
JOSEPHI VALENTINI EYBEL
V. J. D.
ET JUR. ECCLESIAST. PROF.
PUBL. CÆS. REG.

INTRODUCTIO
IN
JUS ECCLESIASTICUM
CATHOLICORUM.

TOMUS QUARTUS.

DE SINGULIS SACRI IMPERII PARTIBUS, ET, QUÆ INDE PRODIIT, ECCLESIÆ CATHOLICÆ POLITIA.





VENETIIS,
SUMPTIBUS FRANCISCI EX NICOLAO PEZZANA.

MDCCLXXXI.
CUM APPROBATIONE, ET PRIVILEGIO.



ELENCHUS
TOMI IV.

LIBER PRIMUS.

DE IIS, QUÆ AD POTESTATEM LEGISLATORIAM PERTINENT.

LIBER II.

DE IIS, QUÆ CONCERNUNT POTESTATEM ECCLESIÆ INSPECTORIAM, ET ORTAM INDE CIRCA PERSONAS ET RES ECCLESIASTICAS HODIERNAM POLITIAM.



LIBER III.

DE POTESTATE ECCLESIÆ EXEQUENTE.



CAPUT PRIMUM.

L I-

LIBER PRIMUS

DE IIS, QUÆ AD POTESTATEM LEGISLATORIAM PERTINENT.

CAPUT PRIMUM.

Regulæ circa constitutiones Ecclesiasticas in genere:

§. 239.

Haustis primis notionibus Ecclesiastici juris, quo Catholici regimur; (Tom. I.) nostræque Ecclesiæ natura (Tom. II.) ac forma (Tom. III.) perspecta, jam ita progredi licebit, ut singulas Sacri imperii, videlicet potestatem legislatoriam, inspectoriam & executoriam perlustremus, (*a*) atque tam ea, quæ circa ipsarum quamlibet, quam illa, quæ præcipua ceteroquin vi ejusdem triplicis potestatis in nostro jure constituta habentur, quantum initiantibus necesse est, exponamus.

(*a*) Quemadmodum sane imperium civile I. jure ferendarum legum, II. Jure actiones ac res omnes subditorum inspiciendi, atque ad salutem publicam dirigendi, III. jure exequendi absolvitur, Cl. de Martini de Jure civit. cap. 3. §. 68. ita quoque præcipua capita imperii saeri eadem partitione distribui possunt. Patet quidem inspectionem, qua scilicet cognoscitur, quid & qua ratione aliquid determinandum sit; ipsis *legibus*, earumque *executioni* præmitti debere; verum *jure* leges ferendi ante instructum eum esse oportet, qui eo fine, ut quidquam legibus determinet, supremam inspectionem exerceat. Recte ergo a potestate legislatoria ordiemur, & quandoquidem nexus atque opportunitas suadet, ut tam hujus, quam executoriæ potestatis examini protinus adjungamus illa, quæ Rectores circa ipsam *legislationem*, ipsamque *executionem* determinanda *inspexere*, & deinde etiam determinavere; sub capite Ecclesiasticæ *inspectionis* peculiariter exercitæ non nisi ea comprehendemus, quæ ceteroquin circa singula membra, & res Ecclesiæ in jure communi determinata habentur.

§. 240. Et quidem quod primum ad ea adtinet, quæ circa legislatoriam Potestatem ipsasque constitutiones Ecclesiasticas nosci debent, eadem magnam partem jam ex hactenus tractatis intelliguntur, & cum reliquis hic scitu necessariis ad pauca facile summaria revocantur.

§. 241. Cognitum nempe, perfectumque tenemus ex præcedentibus, I. constitutiones Ecclesiasticas esse proprie *Regulas actionum, quæ respiciunt homines, quatenus in Ecclesia existunt*, quapropter & *Canones* audiunt (§. 42.) (*a*) II. Earum varias esse species (§. 1. usque 9. & 55. usque 58.) varia principia (§. 9. usque 41.) variasque Collectiones (§. 41. usque 52.) III. in Ecclesia Christi, sicuti sacrum Imperium, & contentam sub hoc veram legislatoriam potestatem dari (*b*) (§. 130. & sequen.) illamque exerceri debere IV. juxta demonstratam sacri Imperii formam, sacramque hierarchiam (§. 131. usque 239.) (*c*) & V. non nisi ad finem spiritualem, (*d*) atque igitur nec indirecte quidem ingrediendo fines imperii civilis, ejusque *placitum* hac de causa non declinando, (§. 87. usque 129.) cum per hoc VI. po-

VI. potestas Ecclesiæ legislatoria potestati civili haudquaquam subjiciatur; atque etiam illius omnimoda independentia in spiritualibus & ad Religionem vere pertinentibus salva maneat, (*e*) denique VII. quarumvis legum Ecclesiasticarum vim & efficaciam sine legitima promulgatione cogitati non posse (*f*).

(*a*) Hæc definitio etiam constitutiones Principum *circa sacra* prorsus comprehendit. Enimvero quatenus subditi *in Ecclesia existunt*, eatenus a Principe tanquam Advocato Ecclesiæ ad omnia ea, quæ cultum Dei & observantiam Canonum promovent, urgentur; & iidem a Principe tanquam Reipublicæ defensore cohibentur legibus, ne propterea, quod *in Ecclesia existant*, ab obligationibus civium exemtos se esse arbitrentur. Revoca in mentem §. 53. ubi de completo Legum Ecclesiasticarum ambitu dicebam. Ceterum *sacros Canones imitari* phrasis est tantum pertinens ad illas Principum constitutiones, quibus ea, quæ ab Ecclesiasticis Superioribus jam constituta sunt, firmantur. Cap. 1. de N. O. N. L. 45. Cod. ad Episc. Nov. 5. cap. 2. Nov. 6. Nov. 42. in Præf. Nov. 83. cap. 1. Nov. 131. in Præf. & cap. 1.

(*b*) Ex hoc, tanquam axiomate, sequitur, leges Ecclesiæ haudquaquam esse ita *conventionales*, ut nulla ex Primatus aut superioritatis jure ortum trahat. Quantumvis enim Christus nullum coegerat, ut se discipulorum collegio aggregaret, & ipse communionem cum Apostolis mediante *testamento* seu *fœdere* exercuerat Matth. XXIV. v. 28. Hebr. VIII. v. 6. & IX. v. 15. quantumvis porro & adulti, cum baptizantur, emittendo professionem fidei eamdem expresse *spondent*, uti in eadem per *pactum tacitum* perseverant ii, quorum loco in pædobaptismo parentes ac patrini spondebant, quamvis denique multa jurium Ecclesiasticorum *pactis solemnibus*, & multa etiam ad externam Ecclesiæ Politiam spectantia *conventionibus* innituntur, atque hoc illove sensu jus Ecclesiasticum *pactitium* dici potest; quemadmodum tamen *pactum*, quo constituitur civitas, non facit, quo minus posita dein civitate subditi a suo Imperante *legibus proprie talibus* & citra ulteriorem conventionem obligentur, ita etiam omnia adducta *fidelium pacta* non obstant, quominus ii, qui a Spiritu Sancto positi sunt regere Ecclesiam, eiusdem membris *leges proprie tales* ponere queant. Imo & illæ leges, de quibus circa disciplinam, & externam politiam condendis initio Ecclesiæ sacros Antistites cum suis fidelibus *convenisse* admittimus, dum conditæ erant, singulos fideles tanquam *leges proprie tales* stringebant. Quidquod *de divinis legibus* ad amussim observandis serventissimi primi fideles peculiarem *conventionem* fecere; & quis tamen inde leges divinas non *leges stricte tales* esse deducet? Conf. meus Ordo Princip. P. II. §. 145. not. b.

(*c*) Ex toto scilicet Tomo præcedente facile intelligitur, a quibus, quo ordine, & qua rationes leges Ecclesiasticæ ferri queant.

(*d*) Cur in quibusdam antiquis canonibus circa res quoque temporales statuta deprehendantur, causa est, quod eadem, quæ Principes in tem oralibus statuere, Episcopi veteres pro sua observa tia etiam suis canonibus urgebant. Porro multa in hisce speciali jussu Principum disposuere, quemadmodum inter Regni Proceres & ad Regni comitia accipiebantur. Auctæ sine dubio temporales Pontificum & Episcoporum constitutiones sunt, quando ii in certa territoria temporale Regimen sunt consecuti. Et hæ ipsæ Constitutiones, etsi in sua origine non nisi illa territoria respiciebant, subinde corpori Juris Canonici intrusa sunt. Sed quantum vigoris eædem habeant, jam monuimus supra §. 52.

(*e*) Tantummodo non e mente dimittas ea, quæ §. 101. num. V. & in not. k. ibidem inculcata sunt.

(*f*) Eamdem nempe, quæ de decretis summorum Pontificum intuitu requisitæ earumdem promulgationis exposui (§. 189. not. f.) ad quasvis leges Ecclesiasticas debent & facile possunt adplicari. Atque de hoc argumento plura legi merentur apud Van-Espen in Tract. de Promulg. leg. Eccles. P. I. cap. II. & III. Gibert. Corp. Jur. Can. Prol. P. priori Tit. IX. Barthel in annot. Tit. de Constit. Zallwein Princ. Jur. Eccles. Tom. I. Q. IV. cap. 2. §. 7. Petrus de Marca de C. S. & J. L. II. cap. 15. qui *certam*, *authoritativam* & *publicam* legum promulgationem necessariam esse melius demonstrant, ac Vitus Pichler, qui quidem in eandem nobiscum sententiam ire incipit, sed firmo pede progrediendi nescius mox eo delabitur, ut admittat legem facta Romæ promulgatione eo tamen casu statim *ubique obligare*, quando addita hæc clausula: *ut statim obliget*, quasi vero non etiam ipsius Clausulæ promulgatio rationi & juri deberet esse consentanea; aperti nobis adversarii sunt Schmier, Boekn, Zech, aliique.

§. 242. Non difficulter autem demonstrantur etiam sequentia; & quidem VIII. Ecclesiasticarum legum materiam esse quoque actus mere internos (*a*), IX. ad earum-

rumdem valorem minime declarandam ab iis, quibus feruntur, requiri acceptionem (*b*), ideoque X. prout universales particularesve (*c*) sunt, ita eas vel apud omnes vel apud quosdam Jurisdictioni Ecclesiasticæ subjectos producere obsequendi necessitatem (*d*), quæ XI. certe ipsam conscientiam tangit, (*e*) quandoquidem XII. lex *mere pœnalis* non ullo jure multaque ex causa non jure Ecclesiastico sustineri potest (*f*).

(*a*) Extra omne dubium est: actiones *internas* non minus ac *externas* (§. 2.) imo *internas* præcipue, ne scilicet pietas aut politica aut mechanica evadat, ad Numinis gloriam manifestandam & commerendam ita æternam salutem *dirigi* non tantum posse, sed debere etiam. Quis itaque non perspectum habeat, actiones quoque *internas* vel ideo, quod ad æternam salutem *dirigi* queant, illis, qui potestatem actiones fidelium eo dirigendi a Christo accepere, seu Ecclesiæ Rectoribus esse subiectas. Haudquaquam sane ad actiones tantum externas restricta *ligandi solvendique* potestas Ecclesiæ obtigit Matth. XVI. vers. 19. Haudquaquam impleta esset obedientia nostra erga illos, qui *a Spiritu sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei*, si eorumdem Regimini *intellectum* nostrum, quem *omnem in obsequium* Christi II. ad Corinth. X. 5. *in captivitatem redigere* jubemur, subtracturi essemus. Novimus quidem, quibus potissimum idearum confusionibus agitentur sententiæ nostræ adversarii. Ajunt enim I. internos actus ab Ecclesia tantum *indirecte* & *concomitanter*, quantum videlicet ad actum externum necessarii sunt, non autem *directe* præcipi aut prohiberi posse. II. notissima esse juris nostri axiomata, quod Ecclesia de internis judicare nequeat. C. 33. & 32. *de simon.* & nemo cogitationis pœnam in humano patiatur foro. III. Regimen Ecclesiæ esse visibile, adque adeo IV. Ecclesiasticam de actionibus internis legem minime humano regendi modo fore adcommodatam. Verum quid hæ argutiæ apud eruditos & apud quoslibet, qui non quovis *minus probabili* argumento contenti, non unius alteriusve qualiscumque demum Doctoris sententiæ tenaces sunt, contra sanæ rationis & apertæ revelationis dictamen efficient? Enimvero primarius, opinor, cultus Dei internus est, atque ideo primario & *directe* ab Ecclesiastico superiore intendendus. Neque hic profecto sufficit reponere: eundem internum cultum alioquin jam divina lege præceptum, & eadem lege contrarium esse prohibitum. Generatim scilicet præceptum est, ut religionem externam interna nunquam non comitetur; sed non propterea quilibet etiam specialis internus actus, qui demum positis his illisve adjunctis spiritualis nostri Judicis arbitrio injungi debebit, jam ipsa divina lege habetur determinatus. Generatim divina lex externam quoque Religionem præcipit; Attamen hæ illæve actiones externæ nobis proxime ab humano ecclesiastico Legislatore imperantur. Quid quod internus sæpe actus sine aliqua actione externa præcipi, hæc illave mentalis oratio injungi, hæc illave sententia, ne quis eam contra Ecclesiæ judicium vel mente foveat, prohiberi potest. Veritatis hujus confirmationem dant plus quam unius religiosi ordinis statuta, ad quorum, subinde actus mere internos præcipientium, observantiam ejusmodi ordinis consortes quantumvis remote ex proprio subiectionis pacto, proxime tamen ex ipsa sui superioris humani lege & voluntate obligantur. Illa iuris nostri axiomata, quod Ecclesia non judicet de internis, neque cogitationis pœnam in foro humano quis patiatur, notissima quidem sunt, sed notus quoque verus eorundem cum ecclesiastica potestate concordans sensus. Neque certe Ecclesia judicare, num speciatim hic aut ille homo perniciosa ejusmodi cogitatione deliquerit; nequit speciatim aliquem, quem deliquisse nescit, ad publicum pro sustinenda pœna forum producere. Sed quid hæc obstant, quo minus generali judicio quemcunque demum ob certos quosdam internos actus, etsi eorumdem sibi soli conscius ac reus fuerit, ligatum esse judicet, atque generali quoque animam afficiente pœna persequatur. Et denique nullus primarum & universalium juris notionum non omnino expers eam ignorabit rationem, quam potestas ferendi leges a potestate judicandi diversissimam habet; si quidem illa tantummodo objectum, quod determinari, hæc vero obiectum, cujus facta determinatio etiam discuti potest, requirit. Nullus unquam somniabit, hanc utramque potestatem adeo esse conjunctam, ut utraque penes unum eundemque esse debeat. Quomodo igitur non Ecclesia actus nostros internos, qui determinari queunt, determinare poterit, quantumvis subinde, num iidem hanc determinationem receperint, sine externis indiciis discutiendi sit impotens? quomodo ejusmodi determinationem frustraneam dicemus, dum adest ille, qui cunctos internos actus, num Ecclesiasticæ normæ sint conformati, judicaturus est Deus. Manet salvis his omnibus Ecclesiæ nostræ regimen obtutu eorum, qui il-

lud

lud exercent, semper visibile. Manet humanus regendi modus, quandoquidem ejusmodi actus fidelibus manifestatur. Vid. Concil. Trid. Sess. XIII. de SS. Euch. Can. *si quis* & sequ. dist. 30. cap. *ad abolendum* 9. de Haeret. & conferantur cl. cl. de Riegger & Sesrott L. 1. Decr. Tit. 2. nec non Vertimundi Lochstenii *Argumenta pro & contra ecclesiasticam Immunitatem in Rebus temporali*, *pag.* 103.

(*b*) Non quaeso acceptionem cum *Placeto Regio* confunde, atque tibi iterum iterumque inculcatum habe, nullam omnino vere *ecclesiasticam* legem ab acceptione Principum pendere, & nullius ejusmodi legis promulgationem a Principibus impediri posse, quandoquidem illud ex naturalis defensionis jure descendens & cuivis etiam infideli Principi competens *Placetum* tantummodo contra ea, quae Reipublicae saluti adversum statuta sunt, & ideo a genuina Ecclesiae potestate non provenire noscuntur, suam exerit efficaciam: Ita quoque, ut jam alibi diximus, Episcopis non arbitrium, sed necessitas est in *acceptandis* summi pontificis legibus, modo non ultra potestatis Pontificiae limites in jurium Episcopalium diminutionem & detrimentum Dioeceseon sint perlatae. Neque enim illud: motis controversiis usque ad decisionem ab Ecclesia secutam sententiae & constitutioni a summo Pontifice latae *interim* adquiesci debere, aliter intelleximus, quam scissionem unionis propterea nullatenus attentandam, & ipsam quoque Pontificis legem, nisi *gravis obsistat causa*, recipiendam esse, uti clarissime jam exposuimus in §. 142. not. c. in §. 151. not. b. & in §. 154. ad haec igitur nec non ad illa, quae in §. 189. ad valorem Pontificiorum Decretorum requiri, quaeque in §. 193. usque 199. Episcopis competere docebamus, semper probe est respiciendum, & cum hisce conferendi §. 175. 176. 177.

(*c*) Etiam particularis Ecclesiae leges aut subjectione aliarum Ecclesiarum spontanea, aut generali confirmatione animo omnes obligandi subsecuta, aut *legitima* in universalium Canon. codicem relatione universales fieri queunt.

(*d*) Subjectum nempe legis Ecclesiasticae sunt subditi Ecclesiae, atque hic I. *legibus universalibus* non tantum naturalibus & Evangelicis, sed etiam humanis Ecclesiasticis obligantur omnia membra Ecclesiae, si non appareat, humani legislatoris intentionem non fuisse etiam illos obligandi, qui quidem baptizati, non vero Ecclesiae catholicae membra sunt. Taceo infideles, juxta illud, *quid mihi de iis, qui foris sunt*. Ex quo porro sequitur, quandoquidem & singuli Episcopi & ipse Pontifex Concilio & universo Rectorum caetu inferiores sunt, etiam singulos Episcopos & ipsum Pontificem legibus Ecclesiae universalibus, legibusque suorum Antecessorum, quibus ab universali Ecclesia confirmatio seu expressa sive tacita accessit, non tantum vi morivi, & ad exitandum scandalum, sed ex subjectione obligari: vid. caus. XXV. Q. 2. Can. 2. 4. 7. 19. & conf. Bossuet. Declar. Gall. P. III. L. XI. C. III. & sequ. P. Oberhauser Praelect. Can. Tit. de constit. §. 23. Quod autem II. ad leges *particulares* attinet, patet iis tantum obligari membra provinciae vel Dioecesis legislatori subjectae, inter quae quidem numerari debent 1. etiam *capitula & monasteria exemta*, in materia *non exemta*, & in omnibus iis casibus, quibus ex concilii Tridentini Decreto, vel speciali sedis Apostolicae jussu Episcopo subjiciuntur. Imo ex immutabili Ecclesiastica lege pro omni casu, quo Episcopus tributam sibi a Deo potestatem etiam in exemtos exercere saluti Ecclesiae *necessarium* duxerit; 2. peregrini, & quidem non tantum intuitu legum pro peregrinis latarum, cum Episcopus ipsis, quatenus per commorationem temporaria Ecclesiae particularis membra evadunt, leges ferre possit, sed & obtutu illarum legum, quas citra scandalum, aut perturbationem boni publici negligere non licet, vid. Doctrina S. Augustini in Dist. XII. can. 11. multum distans a Doctrina Viti Pichleri, qui peregrinos & a legibus loci ubi morantur, & a legibus sui domicilii, si non eaedem, ubi morantur, obtinent, liberos pronunciat. Et nos quidem admittimus, absentes particularibus suae dioeceseos legibus non teneri, si non moraliter adhuc intra suam Dioecesim existant. Hinc is, qui ab Episcopo suo suspensus est, etiam, in aliis, quas peregre transit, dioecesibus suspensus manet. Cl. Schott. Tit. de constit. §. 153.

(*e*) Naturalis & revelata lex de eo nos convincit, quod etiam humani legislatoris sancita subditos in conscientia ligent. Etenim jure naturali edocemur, conscientiae repugnare alienorum jurium, atque adeo etiam illius, quod legitimo superiori competit, juris perfecti laesionem; & lege revelata nobis aperte edicitur: *estote subditi non tantum propter iram, sed propter* CONSCIENTIAM. Dum igitur utraque hac lege generatim summum Numen nos in conscientia superioribus nostris subjectionem praestare jubet, atque omnes omnino poenales leges excludit, immediate ex quovis legislatoris humani sancito, si non divinae legi adversum tenet, obligatio in conscientia nobis enascitur. Incassum obmovent inter legis tantum humanae violationem, & aeternam mortem, quae conscientiae obligationem sequeretur, desiderari proportionem, praeterquam quod ita magis ii, qui

qui humanæ, quam qui divinæ voluntatis violatores existunt, scilicet humanis sempiternisque pœnis punirentur. Incassum inquam, quando quidem humanæ legis violator nunquam non simul in naturalem atque revelatam ipsius Numinis legem, ac summa proinde cum hujus offensione delinquit.

(*f*) Repugnat sane lex *mere pœnalis* ideæ legis, voluntati legislatoris, scopo legis, ac notioni pœnarum in genere; quemadmodum prima Jurisprudentiæ naturalis elementa vel mediocriter edocti id norunt. Atque dum improbum est cuicumque legislatori talem affingere mentem, ut non tam actum hoc illove modo ponendum, quam solummodo mulctam velit, quomodo leges *mere* pœnales cum Ecclesiastica legislatione, quæ cumprimis ad charitatem & solum animarum bonum restricta est, conjungemus. Ceterum obligatio ad pœnam ita comparata est, ut illa, quæ *ferendæ sententiæ* dicitur, id est, ad quam *sententia* a judice *ferenda* requiritur, etiam demum post *sententiam condemnatoriam*; ea vero pœna, quæ jam per ipsam legem *lata* est, & hinc *latæ sententiæ* compellatur, demum post *sententiam declaratoriam* obliget; quæ quidem si sequatur, non a die pronunciatæ sententiæ, uti *condemnatoria*, sed a tempore commissi delicti, suum effectum exerit; sunt tamen casus, in quibus pœna latæ sententiæ ante omnem declaratoriam sententiam obligat, scilicet I. si sit mere spiritualis, quæ nullam externam actionem aut a reo aut a judice ponendam requirit, veluti censuræ, irregularitates, impedimenta matrimonii ex delicto, II. si legi pœnali adjiciatur clausula: *nulla alia declaratione secuta*. Concil. Trid. Sess. 23. de reformat. III. si sint pœnæ *negativæ* seu *conditionales*, quando scilicet legislator juri cuidam participando conditionem adposuit ea lege, ut *conditione non impleta* quis ab illo jure excludatur. Cl. Schott. Tit. de constit. §. 145.

§. 243. Porro XIII. legem prohibentem (*a*) ex natura sua esse irritantem (*b*); & vicissim XIV. ejusmodi actum, cujus decreta est irritatio, tanquam menti legislatoris adversum, in regula prohibitum intelligi (*c*) XV. legibus in præsumtione fundatis, si communis periculi præsumtio est, manere vim obligandi, etsi in causa particulari præsumptio cessare videatur (*d*).

(*a*) Quid lex *præcipiens*, quid *prohibens*, id patet; sed & quid *disjunctive permittens*, quid *absoluta*, quid *hypothetica*? quænam leges *semper & pro semper*, quænam *semper quidem sed non pro semper* obligent? quid officium *perfectum*, quid *imperfectum*, quid *affirmativum*, quid *negativum*? quomodo in legum & officiorum *collisione exceptio* instituenda? hæc aliasque primas obligationum, legum, jurium, officiorumque notiones postulo ex jurisprudentia naturali. Conferantur itaque cl. de Martini Exercitat. de lege Nat. cap. 2. §. 76. 78. 85. 86. 89. & cap. 4. §. 136. 148. & seq. §. 155. 158. item in posit. de lege Nat. cap. X. & XI. ubi hæc omnia profunde & concinne pertractantur, paucisque paginis rectius quisque eruditur, quam si medii ævi Canonistas consulat, quorum tantum non omnes in vastis suis commentariis sub titulo constitutionum nil nisi scopas dissolutas, quæstiones meris scholasticorum opinionibus decisas, & plerumque nec alia principia, quam præjudicia, nec alia quam sequioris doctrinæ moralis consectaria exhiberet. Quapropter etiam cuivis solidæ legum Ecclesiasticarum scientiæ cupido studium Juris Naturalis & publici universalis tanquam plane necessarium, iterum iterumque enixe commendo.

(*b*) Consule in hoc quoque,

1. Sane rationem, quæ dictat id, quod prohibetur, salva lege esse impossibile, atque adeo valere non posse, seu quod idem est; nullitatem actus naturale prohibitionis esse consectarium.

2. Jus Civile, quod L. 5. Cod. de leg. sat clare id edicit his verbis: *nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente —— generaliter imperamus, ut legislatori, quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat —— ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur: licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit*, INUTILE ESSE DEBERE, QUOD FACTUM EST.

3. Jus canonicum, quod & C. 13. caus. XXV. q. 2. ad Imperialem constitutionem provocat, & C. 64. de reg. Jur. in 6. ita habet: *quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*.

Ex quibus omnibus patet: quamvis *multa* quæ *fieri prohibentur, si tamen facta sunt, roboris firmitatem obtineant*. C. 16. de Regularibus; id tamen non pro regula sed pro exceptione sumi deberi. Obtinet autem ejusmodi exceptio, quanto actus aut ab ipsa lege sustinetur, aut perpetuam prohibitionis causam non habet, aut prohibitus est in favorem, cui renunciari potest, aut quando denique ex ipsis, quæ actum subinde circumstant, & quorum obtutu magis quam ex ratione intrinseca sub prohibitionem cadebat, prudenter & communi præsumtione colligi potest, ejusmodi prohibito

actui nullitatis concedi veniam. Conf. cl. cl. de Riegger & Schrott. l. c.

(c) Quod irritum est legislatoris voluntate, eidem voluntati hoc ipso est adversum. Quis autem voluntati legislatoris adversum agere, non simul conscientiæ adversum, adque adeo prohibitum esse agnoscit. Neque dicas irrita esse jure Romano pacta in foro civili; non tamen prohibitum, ne ex honestate & sponte adimpleantur. Enimvero actio tantum ex pacto nudo irrita erat; an non autem vel ideo etiam actionem ex ejusmodi pacto instituere erat prohibitum? Ipsa sane pacta generatim eadem in linea, in qua non prohibita agnoscebantur, neque habebantur invalida. Profecto, si non quis actus legislatoris menti oppositus esset, cur irritaret non video; atque ipsa certe irritatio salutis publicæ & majoris boni causa, quod imperans statutis, nos subjectione attendendum in conscientia habemus, decreta fuisse præsumi debet. Absque dubio itaque in conscientia non tantum prohibemur, ne ex actu irrito emolumentum consequamur, sed & ne actum irritum effectus & emolumenti inde obtinendi causa ponamus. Quod si citra hunc finem actum irritum poni posse dicas, etiam hoc, seu ex ignorantia vincibili, sive ex temeritate procedet, inter actiones licitas haudquaquam subsistet; ceterum irritantes leges duplicis sunt generis; aliæ enim illico ipsa juris vi & ante omnem sententiam actum irritum esse declarant; aliæ Judicis auctoritatem requirunt, & a rescissoria hujus sententia demum suam ordiuntur efficaciam.

* Notandum vero, per constitutiones Ecclesiasticas in regula tantummodo futura negotia determinari, atque igitur ad præterita illas non pertinere, si non declarationem aut executionem legum jam perlatarum contineant, aut ex speciali motivo etiam præterita ad novam normam reducenda statuant.

(d) Periculum enim universale, quod ipsum ejusmodi legis ratio est, usque manet, atque hoc demum cessante etiam ratio legis, ipsaque proinde lex cessare dici poterit; dum contra legi, cujus fundamentum in præsumtione particularis facti constituitur, hæc semper inest conditio, *si veritas facti etiam ita se habeat*, ac proinde deficiente conditione omnem obligandi rationem amittit. Ceterum præsumtionem probe a juris fictione discernas. Etenim hæc veritati non cedit, dum *in re possibili adversus veritatem justa est legis dispositio*. Ex justa sane causa aliquid, quod re vera non est, perinde ac si esset, ac vicissim quod est, ac si non esset haberi potest. Sic *qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse*. Concil. Trid. Sess. XXIII. c. 1. adde Sess. XXII. cap. 3. & XXIV. c. 8. conf. cl. Schrott l. c.

§. 244. Quemadmodum aliæ cessant leges humanæ (a) etiam Ecclesiasticas leges XVI. vel *universe* respectu omnium, scilicet 1. cessante causa finali, 2. abrogatione, 3. derogatione (b) vel *particulariter* respectu alicujus aut quorundam, nempe per *dispensationem* (c) cessare.

(a) Legibus divinis non tantum naturalibus, quæ alioqui sunt immutabiles, sed etiam positivis, utpote a solius Dei arbitrio pendentibus, potestas humana eximere non potest. Id tamen non obstat, quo minus per eandem potestatem declarari queat, hanc illamve *hypothesim* lege divina non comprehendi; aut quo minus subditi prohibeantur, ne in actionibus a voluntate sui superioris dependentibus aliter, ac ad placitum ejusdem superioris, sibi obligationes inducant sub prætextu, eas per legem divinam firmatas esse. Neque enim lex divina ullam obligationem, nisi *rite* inducta sit, nec speciatim subjectioni, quam alibi præcipit, quidquam contrarium firmat. Quibus Principiis etiam competens superioribus potestas vota ac juramenta subditorum relaxandi innititur.

(b) Tam abrogatio, qua penitus; quam derogatio, qua pro parte lex tollitur, fit vel *expresse* vel *tacite*, nimirum per contrariam consuetudinem. Hoc quoque & illud aut ita contingit, ut simpliciter libertas restituatur, aut ut lex alia *surrogetur*.

(c) Est itaque dispensatio exemtio a lege, Publica authoritate facta, pro aliquo particulari casu, vel persona, manente aliorum obligatione.

§. 245. Attamen veluti in ferendis legibus; ita etiam in iisdem mutandis Potestatem Rectorum Ecclesiæ XVII. ad salutem Ecclesiæ (a) ad Hierarchiam Ecclesiasticam (b) ad limites sacri Imperii (c) & generatim ad sacros Canones (d) adstrictam, ac proinde nec potestatem *dispensandi*, quam sanæ antiquæ & recentioris Ecclesiæ leges cumprimis coarctant, (e) aut summo Pontifici aut Episcopis mere *arbitrariam* esse (f).

(a) Cum

(*a*) Cum *nemo* videlicet *aliud fundamentum ponere possit*, quam ipse religionis Auctor posuit; cum is quoad substantialia Religionis *unus Magister* noster sit, atque ideo etiam solus *Rabbi* vocari voluerit, profecto omnes, qui *a Spiritu sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei*, regimine secundum illud fundamentum limitato gaudent, atque non secus ac *limitati alii Imperantes* sua illa *arbitria*, a quibus pendemus, *legibus fundamentalibus* adcommodanda habent. Salus igitur æterna secundum normam a Christo præscriptam obtinenda ipsis Ecclesiæ Rectoribus & in statutis ferendis & in dispensationibus suprema lex esto. Reflecte ad ea, quæ supra §. 8. 131. & 189. docebamus.

(*b*) Satis superque jam expositum, leges pertinentes ad disciplinam Ecclesiæ pro ejusdem salute ac necessitate mutari posse.

1. A Conciliis universalibus §. 149. not. c. & d.

2. Communi Ecclesiæ consensu §. 155. 159.

3. A Romano Pontifice, & quidem jure essentiali, si inde unionis conservatio dependet, aut ita Episcoporum negligentia suppleri debet §. 149. not. d. 175. 176. 177. quæ tamen bene componi debent cum §. 142. not. c.

4. Ab Episcopis (§. 149. not. d. 182. not. d. 193. not. a. 196. not. b. c. & d. 197. not. a. & b.) ubi ex antiquitate demonstravimus Episcopos non teneri ad recipiendas dispensationes, aliasque legum mutationes per Pontificem factas, si Diœcesis saluti adversæ sint; & generatim eos etiam circa dispensationes in sua antiqua jura redire posse,

5. Ab iis, qui jurisdictionem quasi Episcopalem habent, aut ceteroquin vicarii Episcoporum sunt, quantum hac in parte ipsis est permissum, vel speciatim delegatum (§. 202. & seq.)

6. A summis Principibus, quatenus his tanquam advocatis Ecclesiæ in legibus circa sacra latis pro ratione circumstantiarum vel abrogationem vel derogationem vel dispensationem faciendi, legibusve prioribus alias magis ad salutaria veterum instituta reducentes surrogandi potestas, denegari nequit. §. 105. not. 1. & seq.) & sub finem Tomi II. sed etiam.

7. Poterunt capitula & collegia ipsa immutare & revocare sua statuta (§. 109. not. g.) si hæc tantum in forma communi, & absque prævia causæ cognitione confirmata sunt; secus si in forma *specifica* cum prævia causæ cognitione aut præmisso in Bulla *tenore statuti* confirmatio accessit. Hoc enim casu superior ex tali statuto quasi suam legem fecit, eandemque igitur absque illius consensu jam revocare non licebit.

(*c*) Tota nimirum potestas legislatoria intra fines imperii *spiritualis* consistit (§. 87. 101.), ac proinde nec etiam abrogando, derogando dispensandoque civiles ac temporales effectus producere potest.

(*d*) Ipsi quidem Canones sæpe simul casus dispensationem continent. vid. caus. I. q. 1. Can. 108. cap. 44. de Elect. cap. 14. de filiis Presbyt.; quapropter etiam dispensatio in dispensationem *a jure & ab homine* recte dividitur: nec homo tamen aliter secundum spiritum Canonum, nempe non absque necessitate ac utilitate Ecclesiæ dispensare potest. caus. XXV. q. 1. can. 3. & q. 2. can. 2. 5. 7.

(*e*) Vid. cap. fin. de Rescriptis in 6to, nec non Concilii Tridentini Sess. XXV. cap. 18. de Reform. ubi statutum: ut si URGENS JUSTAQUE RATIO ET MAJOR QUANDOQUE UTILITAS *postulaverit cum aliquibus dispensandum esse*, *id* CAUSA *ac* SUMMA MATURITATE ATQUE GRATIS *a quibuscumque*, *ad quos dispensatio pertinebit*, *præstandum*; *aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur*. Colligitur itaque ad dispensationes requiri, ut 1. adsit causa spiritualis, 2. urgens & justa ratio, 3. causæ cognitio & summa maturitas, 4. ut fiat gratis, 5. ab iis, ad quos pertinet, 6. inter causas dispensationum necessarias & utiles eam esse differentiam, ut, cum necessarii contrarium sit impossibile, & ad impossibile nemo obligetur, necessitas non tantum publica sed & privata ad dispensandum sufficiat, contra utilitas privata publicæ debeat cedere utilitati. Conf. cl. cl. de Riegger & Schrott l. c. Erant nempe Concilii Tridentini Patribus eadem sensa, quæ S. Bernardo, qui L. III. de Consid. cap. 4. ait: *Ubi necessitas urget*, *excusabilis dispensatio: ubi utilitas provocat*, *dispensatio laudabilis*. *Utilitas dico* COMMUNIS, *non* PROPRIA; *nam cum nihil horum est*, *non plane* FIDELIS DISPENSATIO *sed* CRUDELIS DISSIPATIO *est*, & in Epist. ad Eugen. P. a. 1145. scripta. *Quis mihi det antequam moriar*, *videre Ecclesiam Dei*, *sicut in diebus antiquis*: *quando Apostoli laxabant retia in capturam*, *non in capturam argenti vel auri*; *sed in capturam animarum*. *Quam cupio illius te hæreditare vocem*, *cujus adeptus es sedem*! *Pecunia inquit*, *tua tecum sit in perditionem*. *O vox tonitrui*! *o vox Magnificentiæ & virtutis*! *ad cujus terrorem confundantur & convertantur retrorsum omnes*, *qui oderunt Sion*. *Hoc vehementer expectat & omnino expetit a te mater tua*; *hoc filii matris tuæ pusilli cum majoribus desiderant*: de hac materia præcipue scripsere Thomassin. de vet. & nov. Eccles. Discipl. P. II. L. 3. c. 24. §. 20. Petrus de Marca de C. S. & I. L. III. cap. 13. §. 2. & cap. 14. §. 5. & seq. Claudius Espencæus Commentar. in Pauli Epist. ad Titum cap. 1. opp. pag. 478. 479. 480. 483. Duarenus de sacris Ecclesiæ ministeriis ac bene-

neficiis. L. I. cap. 6. pag. 63. Guilielmus Lindanus Episcopus Ruremundensis in Apologet. ad Germanos Antverpiæ anno 1568. edito Tom. I. pag. 19. sequ. Gerson Tract. de Reform. Ecclesiæ in Concilio universali cap. 17. qui omnino legi merentur.

(*f*) *Si ea destruerem*, ait Gregorius M. *quæ antecessores nostri statuerunt*, *non constructor*, *sed eversor esse comprobarer*. Caus. XXV. qu. 2. Can. 4. & vid. ead. Caus. q. 1. can. 15. qu. 2. can. 12. Atque S. Martinus I. Ep. 9. ad Pantaleo. T. VI. conc. pag. 33. ita quoque scribit: *Canones Ecclesiasticos solvere non possumus*, *qui defensores & custodes canonum sumus*, *non transgressores*. Profecto aliter hæc sonant, ac illa, quæ inde a temporibus Innocentii III. *de supremo Pontificis in Canones & supra Jus dominio* partim in ipsis Decretalibus partim in Interpretum sententiis & commentariis continentur. Vid. cap. 4. de Concess. Præb. cap. 5. de Translat. unde dein inter Pontificis & Episcoporum jus circa dispensationes mira hæc fabricata Distinctio, quod Episcopi non nisi ex causa, Pontifex etiam sine causa dispensare queat, dum tamen differentia alia non est, quam quod I. Pontifex vi Primatus etiam *Primus* per universam Ecclesiam hac in parte impeditos vel negligentes Antistites supplendi & ad muneris expletionem adigendi jus habeat (§. 177.) II. quod, donec Episcopi in antiqua sua jura redeant, absque dubio dispensationes sibi soli reservatas habeat, & de ejusmodi dispensationibus intelligendum est cap. 1. de temp. Ordin. is verbis: *cum illi* (Archiepiscopo) *dispensatio a canone minime sit permissa*. Incassum adversarii provocant ad illam clausulam Tridentino consuetam *salva in omnibus sedis Apostolicæ authoritate*. Enim vero, uti jam alibi diximus, Clausula ista concilium declaravit, se contra inimicos Primatus *veram authoritatem sedis Apostolicæ ita tueri*, *ut nullo decreto diminutionem pati videatur*, non vero, *veram potestatem sedis Apostolicæ eam esse*, *ut decreta Concilii aliique sacri Canones per eam solum pro arbitrio abrogari vel relaxari possint*. Incassum quoque adversus Episcopos adserunt in Extravag. Joan. XXII. *Sancta Romana* §. *quidam autem de Religiosis domibus*, ubi dicitur Episcopis non licuisse dispensare *contra formam Concilii generalis*; quandoquidem certe non licuit, *sine justa causa*, ob cujus defectum, non vero quasi Episcopi prorsus potestate in statutis conciliorum dispensandi destitueretur, concessa illa dispensatio invalida pronunciatur. Conf. Gibert Corp. Jur. can. Tom. II. Tit. VII. §. unic. de Episc. Jurisd. circa dispens. Regul. I. & sequ. Ceterum etiam in casibus S. Pontifici de moderna praxi reservatis Episcopi ob justas causas dispensare possunt non tantum I. vi indulti Apostolici, sed & II. si ad Pontificem recursus sit difficilis; uti omnes doctores consentiunt. Conf. cl. Schrott. l. c. §. 175.

§. 246. Quæque hactenus de constitutionibus Ecclesiasticis in genere dicta sunt; etiam XVIII. ad *privilegia*, seu ad *constitutiones speciales*, *quibus potestas Ecclesiastica vel ob meritum aliquid indulget*, *vel extra ordinem aliquid imponit*, *ita tamen*, *ut ad exemplum non trahatur* (*a*) adplicari atque seu *personis* sive *rebus* privilegia tributa sint, (*b*) *in iis interpretatione stricta* (*c*) procedi, simulque ad peculiares illos modos, quibus cessare noscuntur (*d*) adtendi debere:

(*a*) Confunditur persæpe *privilegium* cum *dispensatione*, quæ tanquam relaxatio legis restituit libertatem; & hinc jus tantummodo negativum tribuit, dum illud tanquam proprie lex jus tribuit positivum; & uti ex descriptione patet, non tantum *favorabile*, seu quidquam indulgens, sed etiam *odiosum*, seu extra ordinem quid imponens esse potest. Habent quoque privilegia inde nomen suum, quod *privatæ leges* sunt. Dist. 3. can. 3. Quales quidem si non speciatim dentur ab Imperante, sed jam in ipso corpore Juris contineantur, stricte *beneficia juris* audiunt, & vel in *generalia* vel in *specialia* abeunt, prout scilicet, vel cuivis Ecclesiæ membro in certis circumstantiis constituto, vel huic illive fidelium ordini *singulari jure* sunt concessa. Cujacius *Paratit.* de priv. §. 2. 4. 6.

(*b*) Privilegia tributa personæ *personalia*; tributa rei *realia*, dicuntur, transeunt hæc ad successores; illa cum persona expirant regulariter, nam & personalia quandoque ad hæredes transeunt, veluti privilegium fori intuitu officii obtentum ad liberos & viduam transit. Caus. XVI. q. 1. can. 39. Caus. XXXV. qu. 3. can. 20. Conf. Cujacius L. XV. observ. c. 8. In *dubio* privilegia esse *personalia*, non *realia*, præsumi debent, quod nempe conforme est notioni privilegii, quod *ad exemplum trahi* non debet. Incassum igitur illa, quæ continent merum beneficium nec juri communi nec privato contrarium, *realia*; quæ vero odiosa sunt, *personalia* præsumi debere docet arg. c. 16. & 28. de Regulis in 6. Reiffenstuel Lib. V. Decret. Tit. 33. de Privileg. num. 16. Nec obstat l. 3. ff. de Constit. Princ. quæ privilegiorum latissimam interpretationem eatenus tantum admittit, ut non e contrario absurdum sequa-

ſequatur, aut privilegium non omni deſtituatur effectu; nequaquam vero, ut ad quoſcumque caſus, vel alias perſonas extendatur. Quod privilegia quoque alia *mere gratioſa* alia *remuneratoria*, alia *perpetua*, alia *temporalia*, alia *pura*, ſeu *gratuita*, alia *conventionalia*, ſeu *oneroſa*, nempe ſub reciproca obligatione ad aliquid dandum aut faciendum, alia *communitatis*, alia *privatorum*, alia *motu proprio*, alia *ad preces*, alia vivæ *vocis oraculo*, alia *literis*, alia cuipiam *per ſe* primo, alia cuipiam *ad inſtar* privilegii prius alteri conceſſi, denique alia *contra jus*, alia *præter jus* data eſſe queant; multis exponère ſuperfluum eſſet. Sufficiat etiam de adquiſitione privilegiorum hæc notaſſe I. ad ſubſtantiam quidem privilegii ſcripturam regulariter non requiri Cauſ. XXV. qu. 2. c. 27. requiri tamen ea 1. ad probationem; 2. de ſtylo curiæ *pro foro ſaltem externo* juxta Reg. Cancell. 27. & 52. etſi de *foro interno* ſecus ſentiat Engel de Reſcript. n. 8. aliique. 3. in iis, quæ ſpeciatim in ſcriptis concedi jubentur, veluti facultas ingrediendi clauſuram monialium; Concil. Trid. Seſſ. 25. de Regul. cap. 5. Apoſtolica collatio, confirmatio, & unio Beneficiorum; Extravag. 1. inter comm. de elect. facultas non reſidendi in beneficio curato; Trid. Seſſ. 33. de Ref. cap. 1. II. adquiri poſſe privilegia non tantum expreſſa conceſſione, ſed & conſuetudine, c. 13. de judic. c. 6. de V. S. Can. 8. Cauſ. IX. q. 3. c. 4. & 8. de Præſc.; tantummodo conſuetudo non ſpeciatim a jure ſit reprobata, c. 17. de Cenſ., & hinc intelligi illud axioma *adquiſita privilegio ſunt adquiſibilia conſuetudine*. III. Privilegiorum *communicationem*, qua ſcilicet, quod prius jam alteri fuit conceſſum, ad alios extenditur, eſſe vel *abſolutam* vel *relativam*, prout uni vel *independenter* ab altero, vel quatenus ab altero *dependet*, hujus privilegium communicatur; porro vel *limitatam* & *imperfectam* vel *plenam* & *perfectam*, qualem (exceptis iis privilegiis, quæ uni religioſo in ſpecie, aliquibus Eccleſiis ad determinatum tempus, vel ob rationem prorſus ſpecialem, qua alii carent, conceſſa ſunt) ceteroquin inter ſe omnes ordines mendicantes ita habere docet Reiffenſtuel, ut etſi privilegium poſt *communicationem* apud primos privilegiatos reſtringatur, aut in uſu eſſe deſinat, id reliquis per communicationem privilegiatis non noceat; nec non contra primos reliqui, ſi illi de damno vitando certent, privilegiis communicatis in judicio uti poſſint, loc. cit. §. 2. IV. Gratias in privilegiis motu proprio conceſſis non ſortiri effectum prius, quam privilegia ad illos, quibus conceduntur, perveniant, & ab iiſdem acceptentur, cap. 17. de Præb. in 6. c. 1. §. ex parte de conceſſ. Præb. in 6. ſi non concedens expreſſe id velit; verum ſecus eſſe in Privilegiis ad preces conceſſis, ubi ſcilicet facta conceſſione gratiæ jam etiam acceptatio ſupplicantis adeſt, de quo plura occaſione reſcriptorum gratiæ ſequente capite dicemus, V. *confirmationem* ſeu *innovationem* privilegiorum *formalem* (nam *materialis* tantummodo in nova deſcriptione inſtrumentorum conſiſtit) vel fieri in forma *communi* vel in *ſpecifica* ſeu *ex certa ſcientia*. Illa ſcilicet relinquit privilegium in ſuo ſtatu, ſeu corroborat, quantum valet, quin valorem tribuat, ſi ab initio non validum fuiſſet, aut poſtea valere deſiiſſet; qua propter & de hoc cognoſcere inferiori judici ſalvum manet; hæc vero non tantum privilegium validum corroborat, ſed etiam de novo tribuit, &, ſi a ſummo Pontifice detur, juxta ſtylum curiæ Romanæ ita *partibus os claudit & manum inferioris ligat*, ut 1. judex inferior de ejus validitate cognoſcere, aut enim immutare nequeat, ſi non facultatem ad id ſibi demandatam habeat; quamvis inquirere poſſit, num talis confirmatio adſit, an non literæ Pontificiæ laborent vitio, vel an impetrans talis gratiæ recipiendæ ſit capax, cap. 8. & 6. de Confirm. utili vel inutili. 2. Is, in cujus præjudicium confirmatio cedit, a ſummo Pontifice *aperitionem oris* in ſignatura gratiæ petere debeat. Ceterum quod in forma *ſpecifica* ſit facta confirmatio, haudquaquam evictum eſt per ſolas clauſulas *ex certa ſcientia*, *ex plenitudine poteſtatis* &c. Sed æſtimari debet 1. ex tenore confirmationis expreſſo, præſertim ſi etiam totus ille rei confirmatæ tenor reſcripto confirmationis inſeratur cap. 8. de Reform. util. vel inutil. 2. ex actis publicis præmiſſam cauſæ cognitionem demonſtrantibus. Porro uti in aliis actibus, ita & in privilegiis VI. confirmationem eſſe poſſe aut *neceſſariam* aut *voluntariam*, prout aut ad valorem ſeu durationem abſolute requiritur, aut tantum majoris authoritatis cauſa accedere ſolet; cap. 3. 5. de Confirmat. util. & inut. cap. 20. de reſcript; vel *utilem* vel *inutilem*, prout debito modo & ſervata veritate vel ſecus impetrata eſt.

* Unde ad diiudicandam cujuſcunque actus confirmationem quivis jam facile ſibi normam ſumat.

(c) Quod ad doctrinam de recta interpretatione conſtitutionum Eccleſiaſticarum in genere adtinet, jam ſupra §. 59. auditores & lectores meos remiſi ad univerſales illas regulas, quæ pro interpretatione quarumvis legum in jure naturali traduntur. Circa interpretationem tamen privilegiorum ſpeciatim juxta canones notandum; quantumvis quidem privilegia non ita habeant reſtringi, ut *privilegiatis* prorſus ſint inutilia, c. 30. de Privil. attamen ea nec ad alias perſonas nec ad alias res, quam quibus conceſſa ſunt, extendi poſſe, etſi pro

aliis

aliis par vel major ratio militare doceatur. Dist. 100. can. 8. c. 9. 12. 16. 25. 32. de Privil. cap. 40. de offic. Jud. deleg.

(*d*) Privilegia cessant

I. *Revocatione*. Enimvero tanquam leges Imperantium extra ordinem quid in cujus favorem vel odium statuentes, leges aut consuetudine tolli absque dubio possunt, quam primum Reipublicæ salus exigit, non obstantibus quibuscumque, ad firmandam perpetuitatem, insertis ad ipsum Numen provocationibus, & expressis contra quoscumque ejusmodi privilegium mutaturos horrendis execrationibus. Quandoquidem legislatorum nullus aut se aut successores suos ad minus bonum insuperhabita majore perfectione immutabiliter retinendum, & præ particulari commodo totius Reipublicæ utilitatem negligendam obligare potest; neque apud ipsum Numen ejusmodi provocationes execrationesque, utpote divinæ naturali & revelatæ legi nobis neglectum minoris boni in concursu majoris præcipienti, contrariæ quid valere queunt. Adplica idem ad exemtiones, atque confirmationes quantumvis a centum Pontificibus aut Principibus tributas. Atque hæc aliaque jam demonstrata principia si recogitentur, illico evanescit omnis illa a medii ævi canonistis facta distinctio inter privilegia, quæ ab Imperante civili laicis, & illa, quæ ab eodem Ecclesiis (utpote quas canonistæ isti nullatenus subditis imperii civilis adnumerant) concessa sunt, porro inter *gratuita & generosa*; quandoquidem ista non minus ac illa ob publicam salutem, *quæ suprema lex est*, revocari posse debent. tantummodo is, qui privilegium non sine præstito onere obtinuit, in eo, si possibile est, indemnis servetur. Est autem privilegiorum revocatio.

Vel *expressa* hæc

Vel *Specialis*, quando hoc aut illud Privilegium in specie revocatur.

Vel *Generalis*, quando in genere revocantur omnia privilegia alicui constitutioni contraria; aut per clausulam communem, *non obstantibus quibuscumque privilegiis*, per quam tamen nec tolluntur, 1. privilegia clausa in corpore Juris, & certis personis concessa, cap. 29. de Elect. in 6. Engel de privil. n. 21. nec tolluntur 2. privilegia alia, quibus insertum, ut revocata non censeantur, si non specialis & expressa aut de verbo ad verbum eorum mentio fiat; nec denique tolluntur 3. privilegia per modum meritorum concessa, quæ videlicet, si non exprimantur: *etiamsi per modum contractus, vel meritorum intuitu concessa fuerint*, ob rationem a privilegiis gratuitis diversam in generali revocatione non præsumuntur comprehensa; aut per clausulam extraordinariam: *Non obstantibus privilegiis quibuscumq; sub quacumque verborum forma conceptis*; vel addito: *etiamsi eorum mentio de verbo ad verbum fieri deberet*. Qua quidem pariter onerosorum privilegiorum revocationem absque ulteriore & expressa mentione nondum contineri, communiter docent Canonistæ; Reiffenstuel, de privileg. §. 6. n. 126.

Vel *tacita*, quæ fit,

Si quicumque legislator constituat ejusmodi, quod stante post hac privilegio effectum sortiri non posset. Tali tamen actu, vel generali statuto legislator non censetur derogare velle 1. particularibus locorum personarumque privilegiis, aut talibus, quæ non in corpore Juris clausa sunt, sed peculiari via obtinebantur; quemadmodum etiam 2. nec prius privilegium tollitur per posterius contrarium alteri concessum, si in hoc non specialis mentio prioris fiat, aut illud generale, hoc speciale sit; imo nec 3. prius privilegium generale revocatum est per posterius *speciale*, si per hoc alteri in jure quæsito grave præjudicium oriretur, cum videlicet legislator privilegia peculiaria, non ita ut jura communia in *scrinio pectoris sui* habere, nec cuidam *præjudicare velle* præsumatur. Vid. cap. 19. de præscript. cap. 1. de Constit. in 6. c. 6. de Rescript. c. 1. de offic. & potest. Jud. deleg. cap. 14. de Prob. in 6. Reg. 34. Jur. in 6. cap. 9. de filiis Presbyter.

* Revocationem præcipue velim notes contigisse 1. Privilegiis regularium, quæ Sess. 25. de Regul. aliisque derogatoriis decretis Concilii Tridentini adversantur, 2. omnibus privilegiis, quæ vivæ vocis oraculo per quoscumque usque ad *Urbanum VIII.* obtenta sunt, si non de iis adsint testimonia illorum officialium & ministrorum, quibus vi officii sui de gratiis & privilegiis per Pontifices oretenus concessis vel concedendis fides haberi debet. Conf. Bulla Gregorii XV. *Romanus Pontifex*, quæ est 27. in Tomo III. Bullarii Urbani VIII. *alias felicis recordationis Gregorius XV.* quæ est 121. in Bull. Tom. IV. Præter revocationem vero, Privilegia quoque cessant,

II. Renunciatione, cap. 6. de Privileg. c. 16. de Elect. can. 8. Caus. VII. qu. 1. si 1. renunciatio fuit acceptata c. 7. de proc. in 6. 2. sit mere personale, & non in favorem communitatis dignitatis aut loci concessum, cap. 36. de sent. Excomm. cap. 5. de Arbitris.

III. Si

III. Si privilegium alicui incipiat esse perniciosum. Regul. 61. Jur. in 6, aut

IV. cedere in grave detrimentum aliorum, c. 9. de decimis, c. 16. de Cler. non resident.

V. Si sit *personale*, morte privilegiati; non morte concedentis; si non concessum

VI. Ad dies vitæ, vel durationem officii concedentis, aut is dicat ***ad beneplacitum meum***, ***donec voluero***, cum mortuus beneplacitum, & voluntatem porro non habeat, c. 5. de Rescript. in 6. quam clausulam nolim confundas cum hac: ***usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum***, quandoquidem sedes ipsa non moritur: nec cum ista, ***donec revocavero***, hæc enim absolute revocationem, adeoque novum actum ad extinguendum privilegium requirit; Laymanus l. 1. T. 4. c. 23. n. 11. Sed præscindendo a cit. cap. 5. de Rescript. in 6. & communi Canonistarum Interpretatione non male philosophantur illi, qui & privilegia sub clausula ***donec voluero*** data, morte concedentis non expirare docent, cum voluntas non revocata duret, neque leges, quales utique sunt privilegia, morte imperantis expirent.

VII. Etiam interitu rei, *reale*, si ipsa res, cui *præcise* privilegium inhæret, vel authoritate superioris vel ceteroquin *sine spe restitutionis* destruatur, l. 73. ff. de Contr. emt. c. 2. de Relig. dom.

VIII. *Abusu*, dist. 74. can. 7. c. 24. 4. & 27. Privil. c. 45. de sent. Excommun. c. 3. de statu Monach. c. 9. de Cleric. conjugat. ex quibus tamen canonibus colligitur, privilegia per abusum non ipso jure amitti, sed demum per sententiam, si non aliud in canone expressum est. Veluti can. ult. de immunit. Eccles. c. 14. c. 23. de sent. Excommunic. &c.

IX. Lapsu temporis, ad quod dumtaxat concedebatur, c. 4. de offic. & potest. Jud. deleg. & hinc etiam cessante qualitate aut conditione, cujus durationi privilegium alligatum erat.

X. Cessante *causa finali* cap. 6. de appellat. (si non in unica actione consistens, ante causam finalem cessante jam consummatum suum effectum habuit v. grat. in dispensatione super matrimonio) hinc si paupertas monasterii sola & *finalis causa* fuit privilegii, quod illud jus decimandi, mendicandi &c. adquisivit, monasterio reditibus jam abundante omnino tale privilegium decimandi, mendicandi &c. etiam ex capite cessantis causæ finalis cessare deberet. Dicunt quidem nonnulli cessare tantummodo privilegium, si causa finalis cesset *contrarie*, seu ita, ut usus privilegii incipiat fieri injustus (de quo quidem nec dubium esse potest, cum privilegium ad rem illicitam cogitari nequeat) non vero si cesset *negative*, seu si, cessante licet finali caussa, ipse tamen usus privilegii semper adhuc justus maneat. Verum id ipsum non capio, quomodo justum maneat quidquam cessante causa, ob quam solam a legislatore extra ordinem fuit concessum.

XI. *Non usu* per decem annos L. I. ff. de nundinis, & in Privilegiis Ecclesiæ concessis per 40. annos, si utendi occasio fuit, cessant privilegia affirmativa illa, quæ cum gravamine aliorum concessa sunt. Non item illa, quæ sunt meræ gratiæ & in nullius gravamen cedunt, v. gr. privilegium celebrandi ante auroram. Zoesius de Privil. §. 35.

XII. Actu contrario, seu actione ipsi privilegio contraria cessant privilegia negativa cum onere aliorum concessa quoad fructum privilegii ea vice, cap. 6. & 15. de Privil. ut enim totum tollatur non sufficit unus alterve contractus actus (quamvis, si sine protestatione fiat, adversario inde quasi possessio in ordine ad præscribendum detur) sed requiritur legitima præscriptio, scilicet 40. annorum contra Ecclesiam, cap. 15. de Privil. non obstant. l. 6. cod. ubi Alexander III. ex speciali ratione immunitatem Cisterciensium a decimis ad veteris præscriptionis leges constrinxit, ut notat Justus Hening. Boehmerus ad h. c. Cessat tamen Privilegium etiam unico actu contrario, si id tantum in unico effectu consistat, seu ut ajunt, non *tractum habeat successivum & reiterabilem*, aut ex unico actu Renunciatio privilegiati sufficienter innotescat, c. 8. de constit. Privilegia negativa sine gravamine aliorum concessa, veluti non cessant *non usu*, ita nec *usu contrario*, l. 12. c. de Excusat. Tut. generatim quoque Privilegia, quibus renunciare non licet, minime, *non usu* aut *Actu contrario* admittuntur, & privilegiatus hinc etiam ad ejusmodi cogi potest.

* In privilegiorum collisione æqualia privilegia sese invicem elidunt; hinc in pari causa est melior conditio possidentis. Fortius autem privilegium minus forti derogat. Et quidem illud in regula fortius erit, quod pluribus personis est commune, l. 11. & 12. ff. de minor. Nov. 123. §. 37.

* 247. Obtutu objecti, circa quod, & modi; quo feruntur leges Ecclesiasticæ; earum præcipuas decem distinguunt species, atque distinctis hisce nominibus insigniunt 1. Dogma, (*a*) 2. Mandatum, (*b*) 3. Interdictum, (*c*) 4. Sanctio, (*d*) 5. Canon, (*e*) 6. Edictum, (*f*) 7. Decretum, (*g*) 8. Rescriptum, (*h*) 9. Privilegium, (*i*) 10. Observantia (*k*).

(*a*) Dog-

(*a*) Dogma dicitur constitutio Ecclesiastica ad fidem pertinens, Dist. 4. c. 6.

(*b*) Mandata sunt constitutiones, quæ motu legislatoris proprio ad certas personas diriguntur, & *ordinario* magistratibus, aut legatis profecturis; *extra ordinem* etiam aliis dantur; l. 1. c. de mand. Prin. Conf. Gothofr. ad Cod. Theod. Tom. I. p. 29.

(*c*) Interdicta fiunt ad præsentia vel imminentia mala avertenda.

(*d*) Sanctio pœnam in transgressores statutam continet. Id enim in jure sanctum vocatur, quod impune violari nequit. §. 10. Inst. de R. D.

(*e*) Canonis nomine constitutiones conciliorum universalium vel Provincialium intelligunt c. 28. de Rescr. c. 1. 2. & 3. de foro compet. Et quidem Concilium Tridentinum constitutiones suas, quæ dogmata concernunt; aut ceteroquin contra hæreticos latæ sunt, hoc nomine insignivit. (§. 149. n. a.)

(*f*) Edicti legislator motu proprio universis subditis quid præscribit, l. 3. cod. de leg.

(*g*) Decretum datur super causa inter partes cognita; & quidem si causæ cognitio *quo Tribunali* suscepta & lata *sententia* est, hæc κατ' ἐξοχὴν decretum; sin de plano instituta, ista *interlocutio* audit. lib. 3. §. 8. ff. de bon. Poss. lib. 2. §. 1. ff. de Constit. Princ. Merill. observ. II. 26. Heineccius Pand. Tit. de Const. Princ. §. 111. In canonico autem Jure nomine Decreti venit etiam constitutio, quam Pontifex non consultus cum assensu Cardinalium super aliquo negotio fert, & in scriptum redigit. cap. 11. Caus. XXV. q. 1. c. 11. de his, que fiu. a Prælato sine cons. Capituli. Ceterum decreta etiam constitutiones disciplinam concernentes ex stylo Concilii Tridentini dicuntur. (§. 149. n. a.)

(*h*) Rescripti Ecclesiastici nomine generatim venit responsum, a superiore quocumque Ecclesiastico adalicujus relationem, consultationem, aut supplicationem de rebus Ecclesiasticis datum. Obtinuit tamen, ut sub eo simpliciter & absolute prolato jam solum intelligatur rescriptum Pontificis, dum rescripta Episcoporum aliorumque inferiorum prælatorum magis usitate *literæ* appellantur; quamquam & rescripta Pontificum *literas Apostolicas* compellata legamus c. 25. & c. 28. de Rescr. de Capell. Monach. Jure Romano Rescripta 1. in *adnotationes* vel *subnotationes*, 2. in *Epistolas*, 3. in *sanctiones pragmaticas* dividuntur, prout nempe ad supplicationem, consultationem, relationem, *vel* privati *vel* magistratus *vel* cujusdam universitatis rescribitur. Gothofred. ad Cod. Theod. Tom. I. p. 25. Heineccius l. c. §. 109. certissimum est; rescripta, utpote *constitutiones per Epistolam speciales*, nunquam Jus commune facere, si non ab initio vel subinde promulgata sint ea mente, ut generalis norma etiam omnibus aliis evadant. Quod ipsum quidem intelligitur 1. si per ea in jure jam prius omnibus communi dubium determinetur, 2. si in codicem legum universalium relata sint, ubi tamen reflectendum ad principia, quæ supra §. 52. dedimus, 3. si quacumque demum alia ratione expressa vel tacita legislator suam voluntatem sufficienter declarat, ut id, quod ad hunc illumve rescripsit, ab omnibus emergentes simili negotio teneatur can. 5. Caus. XVI. qu. 3. cap. 19. de sentent. & re judic. c. 2. de translat. Episc. Ceterum ipsis rescriptis promiscue nomina alia, veluti *Mandata*, *Commissiones*, *decreta*, *literæ justitiæ*, *beneficia gratiæ* &c. tribuuntur. Conf. Schrott inst. Jur. Can. Tit. de Rescr. §. 183. Quæ Rescriptorum Pontificiorum copia extat, cur tanta sit, causa jam colligebatur ex iis, quæ supra (§. 51. n. c. & g. & §. 185.) recensebamus.

(*i*) Sat de privilegiis jam dictum. Differentiam inter Privilegium & rescriptum dant hanc, quod privilegium contra jus vel præter jus, rescriptum secundum jus seu ad juris observantiam feratur. Verum etiam per rescriptum juri derogari potest, l. fin. cod. *si contra jus*, & per ipsum responsum ad preces scripto datum extra ordinem quid indulgeri, seu irrogari, adeoque privilegium dari potest. Et tum opinor, si eatenus dicatur *privilegium*, quatenus *quid extra ordinem indulgetur vel irrogatur, ut ad exemplum non trahatur*; eatenus vero *rescriptum*, quatenus est *responsum ad preces scripto datum* rem omnem satis expeditam, utriusque definitione fundatam vel ulteriori disceptatione opus esse.

(*k*) Si quidem observantia strictissime accipiatur, ea non jus, sed actiones jam juri constituto conformes enunciat. Accipitur tamen etiam pro jure, quod demum ex fidelium moribus *generali legislatoris consensu* invaluit. Ea quidem ratione observantiam a consuetudine distinguunt, ut observantiam proprie referant ad jura cujusdam universitatis singularis, perinde ac jus statuta condendi; consuetudinem legem ex tacito seu generali consensu Imperantis quosvis subditos tangentem dicant. Conf. Lud. Bohemeri Princ. Jur. Can. §. 230. 235. Num etiam in Ecclesiasticis rebus observantiæ & consuetudini locus sit, in dubium vocari nequit. Videlicet *mos populi Dei*, *& instituta majorum pro lege tenenda sunt*, ait S. August. apud Gratian. Dist. XI. Can. 7. Et, *si quid tota per orbem terrarum frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est*. Idem Ep. 118. ad Joan. quomodo consuetudo a traditione differat, jam supra §. 27. expositum est.

§. 248.

§. 248. Tot, quæ jus nostrum specialia habet de *rescriptis*, eorumdemque praxis frequentissima, separatum sibi caput; nec non tale etiam illa, quæ circa *observantiam* plura adnotanda sunt, omnino postulant.

CAPUT II.

De Rescriptis in specie.

§. 249. Præcipua saltem de Rescriptis Ecclesiasticis traditiri ita progrediemur, ut I. de Partibus ac multijuga divisione, II. de Impetratione, III. de Præsentatione, IV. de concursu seu collisione, V. de Interpretatione, VI. de Forma & Clausulis adjici solitis, VII. de Exspiratione eorundem quam maxime scitu necessaria dicamus.

§. 250. Cum naturale sit, ut rescribens I. *enarret* negotium, super quo rescriptum conceditur, II. etiam exprimat id ipsum, quod ab altero hoc in negotio *supplicatum consultum* insinuatumque fuit, III. denique ad hæc omnia suam mentem suamque *dispositionem* edicendo *concludat*, facile intelliguntur auctores practici, dum rescriptum *tribus partibus*, quarum altera *narrativa*, altera *supplicatoria*, & altera *dispositiva* est, seu *narratione*, *supplicatione* & *conclusione* absolvi docent (*a*).

(*a*) Engel Colleg. Jur. Can. Tit. de Rescript. n. 6.

§. 251. Non tam facile autem primo statim auditu intelligit quisque omnes illas rescriptorum *divisiones*, quæ apud Auctores & practicos omnino cumulatæ inveniuntur. Dividunt ea scilicet I. in rescripta secundum Jus (*a*) contra Jus (*b*) & præter Jus (*c*), II. In absoluta, conditionata & disjunctiva (*d*), III. in excitatoria, restitutoria & attributoria (*e*), IV. in rescripta *gratiæ* seu ad beneficia (*f*) V. eaque vel in *forma gratiosa* (*g*) vel in *forma dignum* (*h*) & rescripta *Justitiæ*, seu ad lites (*i*) quæ ipsa divisio porro rescriptis *mixtis* (*k*) per nonnullos augetur.

(*a*) Quæ ad Juris observantiam dantur, videlicet aut respondendo de jure consulentibus, aut delegando judices, qui inter partes litigantes justitiam administrent. Et hoc sensu rescripta stricte & proprie talia venire docet Reiffenstuel Jus Can. Univ. de Rescript. §. 8.

(*b*) Quæ comprehendunt quidquam, quod nonnisi contra communes Juris regulas concedi potest, veluti dispensationes, exemtiones, privilegia &c. Zoesius Tit. de Rescr. n. 5.

(*c*) In quibus continentur non alio jure decisa, sed determinationi relecta, ut est beneficiorum impetratio, & quæ proprie *beneficia* compellat Reiffenstuel l. c.

(*d*) Ex verbis patet rescripta esse *absoluta* quæ pure; *conditionata*, quæ sub conditione; *disjunctiva*, quæ ita concepta sunt, ut in iis præceptum quidpiam sit, *si hoc aliudve ita se habere deprehendatur*. Patet porro, ad effectum & plenum valorem rescripti conditionati eventum conditionis; ad effectum & valorem rescripti disjunctivi aut hujus aut illius suppositi veritatem requiri. Cl. Schrott Tit. de Rescript. §. 185.

(*e*) Jam primis seculis noscebantur ejusmodi rescripta Pontificum, quibus Episcopi & generatim, ut officio suo satisfacerent; & speciatim, si qua in parte fuerant desides, frequenter excitabantur. (§. 177.) *Excitatoriis* autem rescriptis, quæ hodie noscimus, Isidoriana disciplina Prototocos fuit. Postquam videlicet eadem disciplina ordinario Episcoporum officio non nisi quædam reliquit, tot alia vero, quæ quondam vel ab Episcopis singulis vel saltem in synodis provincialibus tam facile expediebantur, tanquam causas arduas Romanæ sedi reservavit (§. 185.) *Excitatoria* tantummodo intuitu illorum quæ ordinarii vi sui officii adhuc exequi possunt; respectu reliquorum vero, quæ ipsis adhucdum non, nisi speciatim sint commissa, attentare licet; *attributoria* cœperunt emanare. Tandem cum ob multiplicem nationum querelam ex iis, quæ sibi Romana aula reservavit, saltem quædam Episcopis restitui oporteret, hæc quidem ipsa tantum ita restituebantur, ut eadem Episcopi ceu *delegati Apostolicæ sedis* facere queant. Et tum obtutu istorum rescripta *restitutoria* accessere. (§. 207.) videatur synod. Trid. Sess. 7. cap. 1. Sess. 7. cap. 8. Sess. 14. cap. 4. & Conf. Gibert.

Gibert. corp. Jur. Can. T. 1. Prol. P. post. Tit. X. Sect. 8. §. 1. Reg. 1.

(*f*) Hisce nimirum indulgentiæ, absolutiones, collatio beneficii Ecclesiastici, vel mandata de providendo (quæ etiam literæ beneficiales vel gratiæ expectativæ dicuntur) (§. 183.) aliæve gratiæ comprehenduntur. Quidam *rescripta gratiæ* tam stricta accipiunt significatione, ut id nomen tantummodo tribuant rescriptis ad beneficia; reliqua vero, quibus immunitates, exemtiones, dispensationes &c. conceduntur, nominent *privilegia*; Andreas Vallensis Tit. de Rescr. §. 2. n. 1. quæ ipsa tamen a privilegiis proprie acceptis multum diversa esse ex supra dictis patet. (§. 247. not. 1.) Suarez lib. 8. de leg. cap. 2. quamquam vera privilegia, quemadmodum alia diversi nominis negotia rescriptis inseri queant, unde etiam fit, ut diversa eorundem negotiorum nomina ipsis rescriptis tribuantur. (§. 237. not. h.)

(*g*) *Forma gratiosa* consistit in eo, ut summus Pontifex tali rescripto cum filis rubri croceique coloris expedito Romæ conferat beneficium, eoque dignum impetrantem censeat, nec non *bullam* adjungat *executoriam* seu mandatum ad deputatos executores, qui illum in possessione inducant, & eo tantum casu, quo quidem de jure vellent contendere, de eorundem causa cognoscant; ceteroquin vero omnes alios de facto contradicentes compescant. Si a *Camera Apostolica* fit expeditio, *Bulla illa executoria* in eadem membrana *Bullæ gratiosæ* conjungitur; si vero expediatur per *Cancellariam Apostolicam*, separatur, & cordas canabis habet.

(*h*) Rescripta gratiæ *in forma commissoria* seu *forma dignum* dicuntur illa, per quæ summus Pontifex non ipsæ Romæ facit *provisionem*, sed eam faciendam aut saltem v.g. Tituli collatione perficiendam ordinario Diœcesis ejusve officiali seu Vicario generali ita committit, ut is, pro quo rescribitur, prævie examinatus, & idoneus deprehensus beneficium, ejusque possessionem remotis quibuslibet contradictoribus adipiscatur. Worel. Tract. Theol. can. mor. de Rescr. Sect. 2. §. 3.

(*i*) Hisce interpretatio juris dubii, delegatio judicis, decisiove causarum judicialium continetur. Andreas Vallensis l. c. §. 2. n. 2.

(*k*) Rescripta *mixta* scilicet vocant illa, quæ simul gratiam, simulque justitiam tribuunt, veluti dum Pontifex conferens vel jubens conferri cuidam beneficium ad hunc effectum executorem cum potestate compellendi refractarios constituit. Reiffenstuel l. c. §. 31. Sed & mixti rescripti nomine quidam significant rescriptum super objecto tali, super quo & Pontifex & Princeps laicus, quisque intra limites suæ potestatis rescribere potest, quale est *legitimatio*. Conf. Andr. Vallensis l. c. n. 3. qui quidem ejusmodi rescripta *communia* vocat.

§. 252. Quod ad impetrationem rescriptorum attinet, ante alia valet vulgatum illud: *concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur* (*a*) ut adeo idem in rescriptis impetrandis opituletur cuivis, quem ab hujusmodi impetratione non expresse jure prohibitum habemus (*b*).

(*a*) Caus. XXVIII. q. 1. can. 8. c. 1. de proc. in 6. non obstant. c. 2. de Transl. Episc. §. 1. sub finem utpote quod de materia communiter prohibita loquitur

(*b*) Rebuff. in Tract. de Rescr. n. 3.

§. 253. Prohibentur autem expresse I. Hæretici (*a*), II. Excommunicati excommunicatione majori, quantumvis occulti sint & non vitandi (*b*) atque adeo quidem, ut ea nec quidem pro aliis non excommunicatis queant impetrare (*c*) taceo pro se ipsis: seu ipsi, sive per procuratorem sibi impetrare vellent. (*d*) Nisi *aut* in causa excommunicationis, appellationisve (*e*) *aut* a Pontifice excommunicationis conscio (*f*) *aut* excommunicatione ad plenum effectum nondum deducta (*g*) rescriptum fuerit. (*h*) III. Speciatim a rescriptis *justitiæ* pro alio imperantis prohibentur, quicumque mandatum speciale non habent (*i*) si non sint cum eodem, pro quo rescriptum impetrant, conjuncti (*k*) multoque magis IV. procuratores *falsi* & *revocati*.

(*a*) Ex primis juris publici Ecclesiastici principiis clarum est, absque concessione summorum Principum, qualem vide in l. 2. cod. de sum. Trinit. per potestatem Ecclesiasticam posse hæreticos solum ab impetratione rescriptorum Ecclesiasticorum prohibere (§. 101. n. b.) sed & prohibitio Ecclesiastica ad hæreticos toleratos non omnino extendi debet. Conf. Scharz de Rescr. §. 2. num. 5.

(*b*) Profecto in cap. 16. de Rescr. in 6. nulla distinctio inter excommunicationem publicam & occultam deprehenditur. Quæ generalis prohibitio hoc ipso etiam nullam distinctionem inter excommunicatos toleratos & non toleratos admit-

admittit. Etenim post concilium Constantiense nulli excommunicati sunt vitandi, nisi qui sunt specialiter & nominatim denunciati; vel qui sunt notorii clericorum percussores; & ceteroquin concilium inducendo distinctionem inter excommunicatos toleratos & non toleratos, non ipsis excommunicatis favere voluit, sed fidelibus innocentibus, ne communicando cum excommunicatis censuram incurrant. Conf. ipsa Bulla Martini V. in nominato Concilio edita, quæ incipit, *ad evitanda:* & sub finem expresse habet, *quod per hoc non intendat excommunicatos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari*. Conf. etiam Fagnanus in c. *Quod a Prædecessore* n. 54. & 72. Quod tamen hic sub excommunicatis non quoque minori excommunicatione ligati comprehendantur, patet non solum ex c. 2. de except. c. 1. eod. in 6. sed etiam ex ipsa natura excommunicationis minoris, quæ scilicet sola participatione seu perceptione Sacramentorum privat, c. 10. de Cleric. excommunicat. minist.

(*c*) Cap. 8. de sent. Excom. in 6. Layman cap. ult. n. 1. de procur.

(*d*) Cap. ult. de procur. cap. 1. de offic. Vicar. in 6.

(*e*) Cap. 1. rescr. in 6. Secus etenim justæ defensionis media excommunicato subtraherentur. Reiffenstuel. l. c. §. 43.

(*f*) Hinc is est stylus Curiæ Romanæ, ut rescriptis absolutio a censuris quoad effectum rescripti inseratur. Engel Colleg. Univ. Jur. Can. de Rescr. n. 5. Schrott l. c. §. 191.

(*g*) Veluti si excommunicatio lata sit sub conditione, aut ad diem, quæ nondum extat. Worel. de Rescr. §. III. §. 18. Schrott l. c.

(*h*) Cum excommunicatus extra allatos casus prorsus sit de jure inhabilis ad rescriptum impetrandum, inanis est quæstio, num rescriptum ab excommunicato impetratum sit ipso jure, sit etiam in foro conscientiæ, sit ante omnem sententiam judicis vel condemnatoriam vel declaratoriam irritum. Suarez l. 5. de leg. cap. 5. Sanchez l. 9. de Matr. disp. 27. n. 2. & disp. 30. n. 2. Engel de Constit. n. 43. Castro Palao post. 1. Tract. 3. disp. 2. punct. 2. n. 1. neque porro quæri poterit, an non solum tale rescriptum incipiat valere, quando absolutio ab excommunicatione subsequitur; quomodo enim id, quod nunquam valuit, poterit reconvalescere? Non obstat c. 21. §. 2. de off. & pot. jud. deleg. Ibi enim sermo est de excommunicato, qui post rescriptum impetratum in excommunicationem incidit; Pirrhing tit. de offic. deleg. n. 85. Itaque pluribus aliis Canonibus, qui obstare videntur, obviatur facile adtendendo, quod agant de rescriptis super ipsa Excommunicationis vel appellationis causa impetratis. Neque obstat cap. 1. de except. in 6. Hoc ipso enim in capitulo dicitur: *ut si actor excommunicatus sit publice, & hoc judex noverit quandocumque, (etsi reus non excipiat) judex ex officio suo actorem repellere non postponat*. Absque dubio exceptione opus erit, si de excommunicatione non constet, atque eam obsistere reus probare velit. Atque novimus utique, exceptionem non stricte semper, sed nonnunquam etiam late accipi.

(*i*) Cap. 28. §. 1. cap. 33. §. fin. de Rescr. Hujus prohibitionis ratio utpote in fraudum & protelandarum litium remotione posita cum ad rescripta gratiæ non quadret, eadem pro altero impetrare non minus ac alterius conditionem meliorem facere generatim licet; l. 6. c. de prec. Imp. Offer. cap. 24. de Præb. Schrott de Rescr. §. 162. Imo de stylo & hodierna consuetudine curiæ Romanæ nec ad rescripta Justitiæ pro alio impetranda a personis licet extraneis mandatum exigi docent Navarrus concil. 4. de Rescr. n. 9. Felinus in c. 5. de Except. Gonzalez ad Reg. VIII. Cancell. Gloss. 63. n. 16. sequ. Pirrhing. de Resc. n. 13. Vallens. de Rescr. §. 3. n. 4. Reiffenstuel de Rescr. §. 2. n. 59.

(*k*) L. 35. ff. de Procurat. Glossa in cap. 33. de Rescr.

(*l*) Cap. 33. de Rescr.

§. 254. Adversus quem rescriptum impetrari non posset, nullus est eorum, qui rescribentis potestati subsunt. (*a*) Et quidquid leges atque Canones in judicium deduci, quidquid aut ex officio aut ex gratia Petentibus indulgeri sinunt, id omne ita est comparatum, ut super eo rescriptum impetrari queat. (*b*) Apud quos autem hoc illudve rescriptum petendum impetrandumque veniat, te notio hierarchiæ accedente praxeos peritia debet edocere (*c*).

(*a*) Cap. 15. de Rescr. Hostiensis de Rescr.

(*b*) Luc. de penna in l. unic. cod. de Pistor. l. 11.

(*c*) Quæ vi ut ajunt *legali & executivæ* rescriptorum Pontificiorum, etsi ceteroquin ea vitiis per curiam notatis non laborent, nonnunquam obsistant, colligitur ex iis, quæ supra de authoritate Decretorum summi Pontificis §. 189. exposuimus.

§. 255. *Tempus*, intra quod *præsentari* debeant *rescripta gratiæ* non ullibi in jure determinatum habetur. Sunt illa potius perpetua, neque morte concedentis expi-

rant (*a*) si non intermissa sit præsentatio seu dolo sive culpa & negligentia supina (*b*) aut si non speciatim certum tempus faciendæ præsentationi fuerit præfixum (*c*). Verum *rescripta justitiæ* impetrantes, ea inter *annum* præsentare adeo jubentur (*d*) ut hoc seu per dolum, sive per negligentiam omisso eadem (*e*) jam porro non valeant præ rescriptis posterioribus, etsi ista nullam priorum faciant mentionem (*f*).

(*a*) Cap. 9. de offic. delegat. in 6.

(*b*) Cap. 12. §. fin. de Rescr. in 6. ubi is, qui prius literas beneficiales impetravit, præfertur impetranti posteriori, etsi hic posteriores suas literas prius ac ille præsentaverat; addita limitatione *dum tamen dolus tibi* (primo impetranti) *non possit vel notabilis negligentia imputari*. Vide quoque cap. 11. de Præbend. in 6. de dolo & culpa Judex arbitrabitur inspecta qualitate personæ, loci & causæ, l. 137. ff. de verb. obligat. §. 2.

(*c*) Videlicet, *cum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quæstio*, l. 25. ff. de legat. 3. Hinc habens rescriptum ad præbendam *proxime vacaturam*, prima vacante ad præsentandum rescriptum tenetur; secus gratiam amissurus. Cap. 11. de Præb. in 6.

(*d*) Cap. 9. & 23. de Rescr.

(*e*) Præsumitur post anni lapsum negligentia, nisi rescripto non usus probet, se delegati Judicis copiam non habuisse, aliave de causa citra suam culpam fuisse impeditum.

(*f*) Non obstat cap. 3. de Rescr. Quamquam enim ceterum non valet rescriptum posterius, si non in eo fiat mentio prioris, ab hac tamen regula superius citata capitula 9. & 23. de Rescr. aperte faciunt exceptionem. Alia quidem ex parte hæc ipsa capitula benignæ opitulantur interpretationi, scilicet pro eo casu, quo contrarium rescriptum posterius non adest, cum duntaxat de casu impetrati per adversarium secundi rescripti loquantur. Non extante igitur impetratione rescripti posterioris prius rescriptum etiam post annum valebit, l. c. cod. de div. Rescr. Et hinc patet, quomodo intelligendum sit *rescripta Justitiæ esse perpetua*, nempe: neque tum, quando quis obtentum rescriptum inter annum producit, & contrarium rescriptum posterius prioris mentionem faciens exhiberi non potest; neque etiam tunc, quando quis obtento rescripto intra annum non quidem est usus, sed nec contrarium rescriptum ab adversario est impetratum, illa cessare, sed durare tamdiu, quamdiu durat actio, super qua impetrantur. Fachineus Controv. Jur. l. 8. c. 65.

§. 256. Præsentatio etiam eatenus in rescriptis gratiæ adtenditur, quatenus jam a tempore *data* (*a*) suum effectum sortiuntur, (*b*) si non simul factum judicis vel alterius respiciant, (*c*) aut generatim aliqua sit adposita conditio; (*d*) dum in rescriptis justitiæ demum tempore *præsentata* (*e*) judex delegatus efficacem jurisdictionem (*f*) consequitur (*g*).

(*a*) Id est a tempore, quo in dataria Romana sunt expedita. Nequaquam igitur sub tempore datæ tempus signaturæ papalis intelligitur. Etenim *ante confectionem gratia Apostolica est informis*; Reg. 27. Cancell. Apost. & *nulli suffragatur dispensatio nisi litteris confectis*. Reg. 52. Barbosa lib. 3. Jur. Eccl. univ. cap. 13. n. 199. Puteus Decis. 94. l. 2. in correct. Steph. Gratian. Discept. forens. c. 191. n. 1. & seq.

(*b*) Cap. 7. cap. 19. de Rescr. cap. 14. de Rescr. in 6. cap. 7. de præb. in 6. Unde igitur statim duo concludenda veniunt, nempe I. eum, qui impetravit gratiam, hujus commoda percipere a die datæ, II. in casu, quo duo simul promoventur ad eandem dignitatem, præferentiam a tempore datæ esse dijudicandam. Schrott l. c. §. 225.

(*c*) Cap. 38. de Rescr. Hinc quando nondum perfecta est gratia, sed per alium perficienda mandatur, inspicitur tempus inchoatæ executionis mandati; re enim adhuc integra ex natura mandati gratia facienda morte mandantis expirat. C. 36. §. fin. de Præb. in 6. Ita enim negligentia in parendo mandatis Apostolicis non a die datæ, sed receptione literarum seu notitia imputari potest, de quo casu accipi debent c. 27. de Præb. &c. 1. de concess. Præb. in 6. Et ita etiam, si Pontifex motu proprio jubeat cui provideri de beneficio proxime vacaturo, sufficiet, si is legitimam habeat ætatem tempore vacantis beneficii, quantumvis tempore datæ nondum habuerit, cap. 29. de Præb. in 6. cui non obstat c. 9. de Rescr. in 6. non agens de literis motu proprio concessis, quibus inest conditio, si legitimam ætatem habuerit impetrans.

(*d*) Rebuffus in praxi benef. Tit. Differt. inter Rescr. gratiæ & Justitiæ n. 53. Baldus n. 18. de Rescr. Conditio enim suspendit effectum in eventum futurum, & hinc tempus evenientis conditionis tunc respiciendum est l.

213.

213. ff. de verb. signif. Menochius Concil. 63. n. 28.

(*e*) Cap. 59. de Appell. Et hisce rescriptis inest conditio: *si præsententur*: cap. 12. de Appell.

(*f*) Cap. 59. de Appell. Et hinc judex ordinarius usque ad factam hanc ipsam præsentationem, nuda exceptione non obstante, poterit procedere; sed & ipsi delegato judici tunc obstabit tempus præsentationis, si ante hoc tempus prælatura sua vel renuncians vel depositus abiit, cum delegatio fieri nequeat aliis, quam in dignitate, personatu, vel cathedralis Ecclesiæ canonicatu constitutis, cap. 11. §. 1. de Rescr. in 6. Engel de Resc. n. 18. Scharz de Resc. §. 5. n. 12.

(*g*) Tempus præsentatæ in rescriptis justitiæ tantummodo ad jurisdictionem judici delegato collatam, non ad alios effectus pertinet. Ita scilicet cap. ult. de Rescr. cavetur, ne rescripta Justitiæ ad futuras controversias seu illas tempore impetrationis nondum exortas pertrahantur. Neque ad perpetuandam Jurisdictionem judicis delegati post mortem principalis, ad tempus præsentatæ, sed ad tempus factæ citationis per delegatum secundum theoriam mandati attenditur. C. 20. & 30. de offic. deleg. Neque etiam præsentatio rescripti facta Judici ab excommunicatione soluto illud valere facit, si judex tempore rescripti impetrati fuit excommunicatus, cum literæ ab initio nullæ reconvalescere nequeant, uti jam supra insinuavimus.

§. 257. Quæ facile contingere potest *rescriptorum collisio* (*a*) si contingat in *rescriptis Justitiæ*, regulæ istæ notentur I. si rescriptum *prius* est *generale*, & *alterum* ab adversario impetratum *speciale*, hoc præ illo valet, etsi illius generalis non faciat mentionem (*b*) multoque magis II. valet *speciale* præ *generali*, si hoc sit *posterius*. (*c*) Quidquod III. si *utrumque* etiam *generale* sit, porro indagandum, an non in uno eorum major, ut ajunt *specialitatis* ratio deprehendatur. (*d*) Qua non deprehensa, aut si *utrumque speciale* sit, tum IV. videndum, an posterius aliquam prioris mentionem faciat, vel nullam. (*e*) Etenim si prioris mentionem faciat posterius, per hoc illi derogare voluisse censetur rescribens, si non *prius* communi partium consensu, *posterius* vero per alterutram partem nesciente altera impetratum fuerit. (*f*) Omissa autem mentione rescripti prioris in posteriore, huic nullus valor est (*g*) nisi impetrator prioris eodem seu ex dolo sive ex culpa per annum non usus fuisset (§. 255.) (*h*).

(*a*) Facile nimirum fieri potest, ut duo diversi ad unum idemque beneficium rescripta obtineant; vel etiam ut ad unam eandemque litem rescripta diversa ad diversos Judices impetrentur.

(*b*) Cap. 1. c. 14. h. T. Reg. Jur. 34. in 6. *In toto* nimirum *jure generi per speciem derogatur*, *& illud potissimum habetur*, *quod ad speciem directum est*. L. 80. ff. de Reg. Jur.

(*c*) Cap. 40. de Rescr.

(*d*) Rebuffus Tract. de Rescr. n. 104. Valensis de Rescr. §. 8. n. 3.

(*e*) Cap. 3. de Rescr. c. 12. de offic. deleg.

(*f*) Cap. 3. fin. de Rescr. l. 47. ff. de judiciis. Imo fraudulentus secundi rescripti Impetrator parti alteri etiam ad refundendas expensas tenetur. Cap. 2. de dolo & contum.

(*g*) Tum enim rescribens circumventus esse judicatur.

(*h*) *Cum non firmetur tractu temporis*, *quod de jure ab initio non subsistit* cap. 18. de Regul. Jur. in 6. Patet rescriptum Justitiæ posterius nullam prioris mentionem continens hoc ipso, quia ejus authoritate agi potest contra illum, qui impetrato rescripto priore seu ex dolo sive ex culpa per annum non est usus, non esse *ipso jure nullum*, sed *elidendum ope exceptionis* c. 9. & 23. de Rescr. Neque obstat c. 3. de Rescr. quandoquidem ita intelligendum est, ut ejusmodi rescripta justitiæ in effectu sint nulla, cum ope exceptionis elidi queant, quemadmodum in jure non insolitum est, ut etiam ea, quæ exceptione indigent, eatenus nulla compellentur, l. 25. de verb. oblig. Et verba *vires nolumus obtinere*-*nullam obtineant firmitatem* cap. 8. de Rescr. c. 8. de renunciat. non etiam illud significare poterunt, esse ipso jure nullum, quod ope exceptionis elidendum esse alia jura declarant. Felinus in c. 3. de Rescr. n. 10. Atque hinc validus erit processus, quem formaverit judex tali rescripto datus, si contra illud a parte adversa non excipiatur.

* Tenet glossa magna in cap. 1. de Rescr. & c. 59. v. *Assignatæ* de Appel. atque fatetur Abbas in c. 59. de Apell. n. 22. & sequ. tempore conditæ glossæ communem fuisse, ac in curia Romana multum invaluisse hanc sententiam: *rescriptum prius per posterius sola præventione in præsentando*, *& obtenta inde partis adversæ citatione extingui*. Enimvero jura, quæ in rescriptis Justitiæ tempus factæ præsentationis attendi jubent, (§. 255. & seq.) quæque per citationem & non ante-

per-

perpetuari jurisdictionem edicunt (§. 256. not. g.) haud quaquam universe statuunt de rescriptis etiam non legitime obtentis. Quibus itaque sola præventio in præsentando, & citationem obtinendo nullatenus prodesse poterit. Abbas l. c. Barbosa in cap. 3. de Rescr.

§. 258. In *concursu rescriptorum gratiæ* tenenda hæc sunt. I. Si a duobus rescripta diversa *super beneficio* in eadem Ecclesia sibi conferendo sunt impetrata, & non expressæ clausulæ exprimunt, ut utrique provideatur, (*a*) uno beneficium obtinente repellitur alter, (*b*) II. ex iis, qui super *eodem beneficio* sibi conferendo rescripta impetrarunt; primus impetrans, non prius præsentans præfertur (*c*) in regula, (*d*) III. quando nulla, ut dicunt, *prioritas in data* adparet, neque alio constat modo, quis ad beneficium vacans vel proxime vacaturum literas primas sit consecutus, tum ante alia videri debet, an non rescribens uni illorum concurrentium tantummodo conferendam mandaverit præbendam, alteri vero actu contulerit; Hoc enim casu is, cui ab ipso rescribente collatio obtigit, non obstante priore literarum præsentatione ab altero facta, nec obstante ejusdem ad beneficium receptione præfertur. Quod si neutri aut utrique beneficium ipse rescribens contulit, ob meliorem conditionem possidentis fortius jus habebit ille, a quo rescriptum fuerit citius præsentatum. Et si paria undequaque rescripta eodem etiam tempore uterque præsentet, tum in voluntate illius, ad quem alias spectat collatio, erit positum, quem eligere velit. Et quandoquidem beneficii collatione facta uni mens rescribentis adimpleta est, & idem illud beneficium jam porro non vacat, nec rescribens receptione duorum eandem Ecclesiam gravare voluisse, præsumitur; alter vigore sui rescripti nihil prætendere poterit, si non alterius quoque rescripto, ut ipsi non minus provideatur, expresse sit insertum.

(*a*) V. g. *non obstante, quod pro alio scripserimus.*

(*b*) In dubio nempe non præsumitur Pontifex eandem Ecclesiam receptione duorum gravare velle, cap. 38. & 40. de Rescr. c. 14. eod.

(*c*) Cap. 38. & 40. de Rescr. cap. 7. de Præb. in 6. Reg. 54. Jur. in 6. Neque obstat, quod in cap. 30. de Resc. jubebatur præferri ille, *qui ad datum Apostolicum reportavit*: *prius* enim ad *mandatum* pertinet, atque significat *primum mandatum*, non vero *prius seu citius præsentavit.* Felinus in hoc c. n. 5.

(*d*) Excipe.

I. Casum, quo ex duobus solummodo *gratiam expectativam seu mandatum de providendo* obtinentibus impetrans posterior suas literas non tantum prius præsentavit, sed etiam earundem virtute jam beneficium consecutus est; tum enim huic id beneficium omnino est relinquendum, si non datus executor collationem beneficii ante inhibuit, aut ceteroquin notum fecit ordinario, se ipsum per potestatem a Pontifice sibi factam beneficium conferre velle, aut si non literis primi impetrantis est insertum, quod omne contra eas attentatum a Pontifice irritum & inane decernatur. Cap. 12. de Rescr. in 6.

II. Si impetranti primo in præsentandis literis aut dolus, aut notabilis negligentia potest imputari. Cap. 12. de Rescr. in 6.

III. Si secundus impetrans per insertam suis literis clausulam *anteferri* omnibus ante se ipsum etiam apostolica authoritate receptis anteferri jubetur. Cap. 15. & 40. de Præb. in 6. cap. 7. de Concess. præb. in 6.

IV. Si rescriptum posterius sit *purum*, prius vero *conditionatum* cap. 13. de Rescr. in 6.

V. Si impetranti primo provideri quidem jubetur de præbenda, sed secundo de præbenda & dignitate, personatu aut officio in eadem Ecclesia, tum scilicet, si talis vacat præbenda, quæ dignitati, personatui aut officio annexa est, merito secundus primo anteferretur. Cap. 15. de Præb. in 6. & cap. 42. de Reg. Jur. in 6.

* Quam IV. generatim adferunt exceptionem pro eo casu, quo primus ab Episcopo; secundus ab ipso Pontifice rescriptum ad præbendam adquirendam habet, eam nos haudquaquam admittimus, si non per specialia Nationum concordata summus Pontifex Episcopis in collatione beneficiorum aut quorumdam, aut certo tempore vacantium præferatur. (§. 195.) Quod si non de jure ad rem, sed de jure in re, seu beneficio jam adquisito & collatione priori jam facta agatur, secus esse ipsa glossa monet in cap. 22. de præb. in 6. vid. cap. 31. eod. in 6. & Pirrhing. num. 81. de Præb.

§. 259. *Interpretatio rescriptorum* consistit in declarando, quis finis & quæ mens rescribentis fuerit. (*a*) Et cum generatim finis rescribentium non præsumi possit

alius,

alius, quam ut *finiantur lites & justitia administretur*, si *rescripta justitiæ spectemus*: si vero *rescripta gratiæ*, ut bene *meritis & indigentibus provideatur* (*b*) ex hisce principiis regulæ speciales pro interpretatione rescriptorum tam justitiæ (*c*) quam gratiæ (*d*) facile in dubio (*e*) deducuntur præter generales ex iisdem principiis fluentes, scilicet: & strictioris interpretationis esse utriusque generis rescripta (*f*) salvo quem habere debet effectu, (*g*) & rescriptum quodcumque in dubio ita nos oportere interpretari, ut id quam minime juri tertio præjudicet; (*h*) & denique efficaciam clausularum, quæ in rescriptis obveniunt, non tam ex primævo stylo, quam moderno usu æstimanda esse. (*i*)

(*a*) Cl. de Martini de lege Nat. cap. 22. §. 592. 605.

(*b*) Cl. Schrott. l. c. §. 218. & 219.

(*c*) Intelligetur nimium facile de rescriptis Justitiæ tanquam coosectarium 1. rescripta incertas & futuras lites foventia, aut resuscitantia lites finitas, 2. rescripta causam partium, quæ in eadem Diæcesi existunt, exrra eam aut ultra diætam evocantia, 3. rescripta post impetrationem ultro annum retenta, ut parris alterius rescripta elidantur, fini rescriprorum justitiæ contraria, & reprobanda esse. Cap. 3. 10. de Rescr. Cap. 11. de Rescr. in 6. Cap. 6. de Transact.

(*d*) Ob scopum rescribentis in rescriptis gratiæ, eorundem igitur fructu omnes ii in dubio judicandi erunt indigni 1. qui scientia, moribus, ætate, & aliis requisitis destituuntur qualitatibus, inter quas pro beneficiis curatis merito habetur ratio idiomatis cap. 4. de ætate & qualitate & ord. præf. c. 31. 32. de rescr. Reg. Cancel. 20. uti etiam in certis exprimendus valor proventuum reg. Cancel. 55. 2. qui jam possident beneficium, aut id pensione permutarunt, cap. 17. de Resc. cap. 23. de Præb. in 6. 3. qui silent modum factæ vacationis cap. 6. Rescr. in 6. aut 4. ante eam preces interponunt Reg. Cancel. 21. de non impetrando beneficio per obitum viventium & 30. de verosimili notitia.

(*e*) Enimvero si verba clara sint, propria earundem significatio & communis loqnendi usus jam interpretationem suppeditat; Cic. de off. I. 13. l. 7. ff. de supell. leg. Cl. de Martini l. c. §. 598. cap. 12. de decimis. Barbosa axiomat. 222. n. 4. & seq.

(*f*) Confirmatur I. de rescriptis justitiæ Caus. XXV. q. 2. Can. 15. cap. 18. de Rescr. cap. 30. de offic. Jud. deleg. hinc ex rescripto contra homines Diæceseos impetrato non conveniri queunt *homines civitatis Episcopalis*, qui tantum in materia favorabili seu indifferenti, non item in materia strictæ interpretationis adpellatione Diæcesis comprehenduntur. Cap. 25. de Rescr. cap. 7. de Offic. Ord. in 6. cap. un de rer. perm. in 6. Worel. de Rescr. S. VI. §. 9. seq.

II. De Rescriptis tam circa *dispensationes*, quæ *odiosæ* habentur cap. 19. 38. de Elect. c. 19. de sent. & re. jud. cap. 15. de Rescr. in 6. quam circa *beneficia* ob suspicionem *ambitionis* cap. 4. de Præb. in 6. unde ulteriora hæc profluunt corollaria 1. nomine beneficii intelligi beneficium simplex, & 2. nomine beneficii proxime vacaturi nec quidem intelligi posse beneficium post impetrationem rescripti de novo erectum, multoque minus, 3. sub beneficio proxime per mortem vacaturo ambiri posse beneficium, quod ex resignatione vacat, aut, 4. sub beneficio in civitate vel Diæcesi conferendo beneficium Ecclesiæ Cathedralis, & demum 5. minime omnium sub nomine personatus aut dignitatis beneficium curatum. Quæ omnia etiam in Canonibus exprimuntur: nempe in cap. 6. de Rescr. cap. 4. de Præb. in 6. Clement. unic. de Rescr.

(*g*) Cap. 30. de Privileg. (§. 246. not. c.) hinc obtutu hujus contra ipsum rescribentem plenissimam interpretationem rescripti facere licebit cap. 22. de privileg. cap. 6. de donat. cap. 15. de verb. signif. dummodo non inde ipsi Ecclesiæ grave præjudicium emergat. Quod enim de Ecclesia Romana dicunt, *eam non præsumi in suum præjudicium quemquam privilegiare*; Cap. 17. de Cens. id etiam intuitu cuivis Ecclesiæ in casu gravis præjudicii tanto certius obtinere debet; quanto minus hærere licet, num cujusvis particularis Ecclesiæ salutem æque adtendere debeamus.

(*h*) Id ipsum edicit Regula Cancell. 18. Et quidquid dicant Laymanus L. 1. Theol. moral. Tractat. 4. cap. 25. n. 5. & Suarez l. 8. de leg. cap. 27. n. 7. aliique spurias suas merces, uti eas accepere iterum vendentes, hi omnes sane nulli melius erudito persuadebunt, rescripta in favorem cultus divini, causæ piæ, religiosæ, exemtionis Clericorum a jurisdictione Ordinariorum, etiam in præjudicium tertii largissimam postulare interpretationem. Etenim novimus, quam exceptionem etiam officia erga Deum affirmativa in collisione cum officiis erga nos, proximos & totam patriam ex ipso divino naturali & positivo jure patiantur. Novimus fundamenta plenitudinis potestatis Episcopalis a Christo institutæ. Novimus potestatis sacræ & civilis distinctionem, & jura Principum non minus omni divino jure firmata. Hæc omnia rescribens non minus nosse, & secundum

dum ea, ac communes collisionis regulas disponere voluisse censendus est. Atque hæc omnia in dubio non causæ piæ in præjudicium tertii, non exemtioni Clericorum in præjudicium Ordinarii latissimam interpretationem admittent. Nihil sententiæ huic contrarium dicitur in c. 30. de Priv. hisce verbis: *in hisce, quæ ad cultum divinum facere cognoscuntur, non maligna, sed benigna est potius interpretatio facienda*, & in l. 43. ff. de Relig. & sum. funer. per verba ista: *summam esse rationem, quæ pro religione facit*. Non enim est ratio pro religione faciens contra divinas naturales & positivas regulas in officiorum collisione observandas, & contra Episcoporum ac Principum Jura a fundatore religionis stabilita. Atque hinc etiam interpretatio hisce adversa minime *benigna*, sed potius & verissime *maligna* esset, & juxta ipsas has leges rejicienda.

(*i*) Fleurj instit. Jur. Can. P. II. c. 21. P. Oberhauser de Rescr. §. 6.

§. 260. Præcipua clausula communiter adponi solita, & in omni rescripto *ad instantiam partis* dato, quamvis non adponatur, subintelligenda est illa: *si ita est*, seu *si preces veritate nitantur*. (*a*) Potest nempe contingere facile, ut supplicans aut falsa narrando seu *obreptitie*, aut veritatem supprimendo, seu *subreptitie* (*b*) rescriptum obtineat; & tum vel ideo, quia consensus rescribentis præsumi debet ad veritatem precum, ut ajunt, *relativus*, vigor hujus clausulæ modo diverso sese exeret.

(*a*) Cap. 2. de Rescr. quod igitur minus rigorosum est, quam lex fin. cod. de div. Rescr. Rescriptum omissa hac clausula *nullum* declarans. Praxis etiam in foro civili præ hac lege Jus canonicum sequitur. Schrott l. cit. §. 197.

(*b*) Hæc duo quidem *obreptitie* & *subreptitie* sæpius promiscue sumi, & in jure & apud interpretes deprehenditur. Sanchez l. 8. de matr. dispens. 21. n. 2. Non vero probatur ex jure legitimos esse modos loquendi eorum qui rescriptum *subreptitium* appellant illud, quod expressa falsitate vel suppressa veritate, *obreptitium* vero, quod involucro verborum; veluti ironice vel callide loquendo fuit impetratum. Abbas in c. 22. de Rescr. n. 7.

§. 261. Etenim rescriptum, quod per *dolum* obreptitie vel subreptitie fuit impetratum, ipso Jure est nullum (*a*), seu sit rescriptum gratiæ sive Justitiæ, (*b*) seu obreptio aut subreptio fuerit causa finalis seu tantum impulsiva. (*c*) Et quidem tale rescriptum vitiatur totum, quamquam in aliqua tantum parte falsitas sit commissa; (*d*) præterquam quod precator talis fraudulentus & adversario de expensis & omni damno inde consecuto teneatur, (*e*) & extra ordinem quoque ob dolum commissum puniri queat. (*f*)

(*a*) Cap. 15. & 20. de Rescr.

(*b*) Existimant quidem nonnulli, tantummodo rescripta gratiæ sic obtenta esse ipso jure nulla, ejusmodi autem rescripta ope exceptionis irritanda. Rebuffus in Praxi Benef. tit. differ. inter Rescr. gratiæ & justitiæ. Fagnanus ad cap. 20. de Rescr. Engel de Rescr. num. 17. Verum cap. 20. de Rescr. sat clare loquitur de rescriptis Justitiæ. Et utique annutus rescribentis tam parum in rescriptis Justitiæ, quam parum in rescriptis gratiæ præsumi potest, dum est dolo elicitus; neque sola rescripta gratiæ, sed & justitiæ hanc conditionem naturalem, *si preces veritate nitantur*, sibi annexam habent. Gonzalez in cap. 2. de Rescr. Worel. de Rescr. Sect. IX. §. 2. sequ.

(*c*) Causa *impulsiva* dicitur ea, quæ tantummodo movit rescribentem, ut facilius & citius rescriberet; *finalis* autem, quæ ita movit, ut ille secus omnino non rescripsisset c. 20. de Rescr. Sed sufficit, quod in utroque casu subvertetur dolus, cui rescribens favere velle non præsumi potest, & cui obstat ratio generalis in c. 20. de Rescr. contenta: *quod nemini fraus patrocinari debeat*. Fagnanus ad hoc cap. n. 33. Hinc dicentibus: *quod dolus aut falsitas circa causam impulsivam tantummodo admissa non officiat proprie nisi voluntati rescribentis, cum is salva causa finali, quantumvis non tam cito, rescripsisset*, semper reponi poterit, in rescripto rescribentis voluntatem non tantum *specialem* adtendi debere, sed etiam *generalem*, quæ omnem fraudem & dolum excludit, & a qua vis & valor rescripti dependet. Schrott l. c. §. 208.

(*d*) Hæc sane allegatorum capitulorum verba: *mendax precator careat* PENITUS *impetratis* -- NULLUM COMMODUM *ex illis literis consequatur*, nullam distinctionem inter capita rescripti connexa & non connexa admittunt, atque nec illa regula cap. 37. de Regulis Juris in 6. *quod utile per inutile non debeat vitiari*,

ri, probare quidem potest contra speciales canones ita in pœnam doli & mendacii statuentes; nec probare etiam quidquam l. 2. cod. Si *contra jus*, ubi in illo rescripto (quod, quantumvis mendacio obtentum, quod judicem in eo datum valere dicitur) aut de falsiloquio per ignorantiam sive errorem commisso potius, quam de mendacio proprie tali sermo est, ceu notat Panormitanus; at vero judex intelligitur non delegatus, sed litigantium ordinarius, qui nempe, cum a superiore non fuerit inhibitus, etiamsi non vi rescripti, vi tamen suæ jurisdictionis ordinariæ de causa cognoscere potuit, uti advertit glossa

(*e*) Cap. fio. de Rescr.

(*f*) L. ult. cod. si contra Jus vel util. publ.

§. 262. Si vero rescriptum obreptitie vel subreptitie impetratum sit per *ignorantiam*, tunc id solummodo ad infirmandum talis rescripti valorem eo in casu facit, in quo non circa causam *impulsivam*, sed circa causam *finalem* illa obreptio vel subreptio contigit. (*a*) Et tum quoque tantum *rescripta gratiæ ipso jure sunt nulla* (*b*) non autem *rescripta justitiæ, quæ, si non ab adversario exceptione opposita elidantur, suum valorem retinebunt* (*c*).

(*a*) Absente enim dolo, atque adeo absente contraria generali volnotate manet voluntas rescribentis specialis, & hanc tantum obreptio vel subreptio circa causam finalem non item circa causam impulsivam tollit. Cap. 7. de Rescr. Cap. 14. de Rescr. io 6.

(*b*) In rescriptis gratiæ habetur nempe ratio utilitatis publicæ, & non adest pars adversa, quæ excipit; adeoque deficiente provisione hominis intrat provisio Juris. Quapropter etiam Judex talia rescripta gratiæ executioni dare non potest, sed ad rescribentem ex officio referre debet. Barthel io annot. ad Jus can. Tit. de Rescr. n. 17.

(*c*) *Potest nempe quivis favori pro se introducto renunciare, & huic renunciasse censebitur tertius, qui adversus rescripta ita obtenta non excipit. Neque ob hanc ipsam causam judex tenetur supplere hanc exceptionem, si non subverseturr causa in jure favorabilis, veluti: pupillorum, Ecclesiarum, viduarum. Barthel l. c. De probatione autem hujus exceptionis ita habet Justus Heningius Boehmerus I. E. P. Tit. de Rescr. n. 11. *Non satis tamen determinavit jus Canonicum, quis hanc exceptionem probare debeat? Unde in praxi ambiguæ lites desuper occurrunt. Equidem* MASCARDUS de prob. cit. loc. n. 4. *regulam hanc proponit, impetrantem veritatem rescriptorum probare debere, maxime tunc, si in precibus qualitates & circumstantias expressit, quas in dubium vocat reus, cum rescripto hæc insit clausula*: SI PRECES VERITATE NITANTUR, *adeoque fundamentum ejus probari debeat, sicuti quilibet actor fundamentum libelli probare cogitur, cui regulæ postmodum n. 15. seq. plures pro more, subjungit limitationes. Satis fundata hæc sententia videtur, quia rescribens aliter noluit rescripto vires tribuere, quam si* DE VERITATE PRECUM *cognitum fuerit; proinde si contradictor adest, qui hanc opponit exceptionem, causa, tali contradictione emergente, in litem deducitur, & ita præcisa fundamentum rescripti probare debet. Penitius tamen rem ponderando distinguendam esse judico* inter sub & obreptionem. *Qui subreptionem objicit, rescripto adductas circumstantias falsas esse dicit, & ita revera videtur litem* negative *contestari, adeoque* veritatem *præcisa probare debet, quod maxime in rescriptis gratiæ v. g. pro extruendo molendino, jure braxandi; &c. usu venire solet, de quibus lites variæ sæpe emergunt: nisi adductæ circumstantiæ pro se præsumtionem veritatis habeant, veluti si in rescripto adsit clausula*, si idoneus fuerit; *hoc enim præsumitur*, c. f. x. de Præsumt. *& ita allegantes defectum habilitatis probare debent* cap. 11. de Elect. in 6. *Regulariter ergo impetrans veritatem circumstantiarum probare debet, cum exceptio firmet regulam in casibus non exceptis.* In obreptione *secus dicendum esse volunt, quia excipiens non impugnat adductas circumstantias; sed non omnes, easque* substantiales *adductas esse, pluresque adduci debuisse contendit, in quo suam* exceptionem *fundat, quod tamen dubium est, inde illud decere debet.* WAMESIUS de Jure Pontif. cocf. 1. de Rescr. §. 2. BRUNNEMAN ad l. 11. de interrog. in jur. fac. nu. 35. MASCARDUS cit. l. n. 15. *Sed duos præterea distinguendos esse judico casus: aut enim excipiens* indefinite *excipit de* obreptione, *non omnes easque substantiales circumstantias adductas esse sine speciali earum expressione, & hoc casu probatio ei incumbit: aut vero* speciatim *exprimuntur, & ita dubitatur tantum, utrum expressæ sint, an vero necessario exprimi debuerint: Prius probatione non indiget, cum vel ex precibus, rescripto adjiciendis, vel ipso rescripto, in quo contenta precum repetuntur, de eo statim constare queat. Posterius omnino probandum, & quidem ab allegante, quia in hoc exceptionem suam fundat.*

* Suppeditatur quidem in Jure scripto du-

plex

plex clausula impediens, ne obreptio vel subreptio noceat, videlicet, ut rescriptis *motu proprio* & *ex certa scientia* inseratur cap. 21. & 25. de Praeb. in 6. Attamen consentiunt Doctores, hujus generis clausulas hodie abiisse in stylum curiae, & jam non ita adtendi (§. 259.)

§. 263. Altera clausula in rescriptis tum Justitiae, tum Gratiae solita adponi, aut si non adposita sit, subintelligenda, est illa *salvo jure alterius*, quae etiam Apostolicis, (*a*) Decretalium, (*b*) & Cancellariae regulis (*c*) nititur.

(*a*) *Non enim volumus, ut aliis fiat remissio, vobis autem tribulatio*, II. ad Corinth. 8.

(*b*) Cap. 8. de Rescr. cap. 9. de Donat. c. 16. 19. & 31. de Privileg. cap. 15. de Offic. deleg. c. 12. de Offic. ordin.

(*c*) Conf. Reg. 18. Cancellariae, quae inscribitur *de non tollendo jus quaesitum*.

§. 264. Forma in rescripto data, observanda est specifice; (*a*) & quidem adeo in iis, quae ad substantiam pertinent, ut illa non observata actus inde sequens ipso jure sit irritus. (*b*) Quae forma autem *substantialis* sit, id ipsum aliae clausulae *non aliter, sic, neque alio modo, si secus fiat, irritum sit & inane* (*c*) quam certissime indicant (*d*).

(*a*) Hinc non sufficit formam in rescripto datam per aliquid aequipollens adimplere. Reiffenstuel de Rescr. §. 6. n. 145. post Felinum, Baldum, aliosque.

(*b*) Cap. 22. de Rescr. c. 27. de Praeb. in 6. Pirrhing de Rescr. num. 44. & 45.

(*c*) Barbosa Tract. de Clausulis usu frequent. Claus. 81.

(*d*) Etiam circa has clausulas praesumitur de substantia esse quiscumque ordo procedendi, qui a rescribente certus praefigitur; porro omne id, quod in rescriptis seu mandatis Apostolicis alio modo vel in alium finem praescribitur, ac jus commune requirit, nisi oppositum ex aliis conjecturis innotescat. Reiffenstuel, cap. 147. & seq.

§. 265. Exponere quasvis speciales clausulas, quae pro ratione tot tamque diversarum materiarum, & pro tanta igitur etiam rescriptorum diversitate occurrere queunt, hujus mei instituti limites superat, praetereaque recta cujusvis singularis clausulae expositio prius expositionem singularem materiae illius, cui adjicitur, postulat. Quae igitur ex clausulis una alteraque porro praecipua est, ea suo loco referretur; ceteraeque omissae profecto non aliam relinquunt lacunam, quam quae consulendo commentatores congerendis hisce curiae materialibus totum occupatos, si necesse est, omni momento potest expleri. (*a*).

(*a*) Praeter commentatores, qui in sola decretalium explanatione aliquot foliorum millia rebus Scholasticis curialibusque implevere, inspici poterunt Jo. Ægyd. Alemanni Diss. de Clausul. Rescript. Alt. 1680. Augustini Barbosae Tract. de Clausulis Lugd. 1644. Engelbrecht Diss. de Clausul. concess. Princ. Helmst. 1678. Conf. Bibliotheca Jurid. Lippen. Tom. voc. claus.

* Conferatur quoque, quae ex meis collegiis excerpta prodiit Typis Schulzianis Dissertatio de rescriptis Ecclesiasticis §. 66. & seq.

§. 266. Vitia rescriptorum tanquam totidem notae falsitatis I. in inscriptione (*a*), II. in salutatione (*b*), III. in latinitate (*c*), IV. in signatura (*d*), V. in sigillo (§. 51. not. c n. 14.), VI. in charta, VII. in filo (*e*), VIII. in rasura (*f*), IX. in adnexu insolitorum (*g*) detegi queunt (*h*).

(*a*) Rescriptum, nempe solemniter ac rite conditum in inscriptione habet praepositum nomen Pontificis, subjectum vero annum tam incarnationis, quam Pontificatus, nec non mensem, diem ac locum expeditionis; & quidem per voces integras, non vero per *cifras* seu numerorum notas; cap. 5. de crim. fal.

(*b*) Stylus salutationis in Pontificum rescriptis est iste, ut Patriarcha, Archiepiscopus, Episcopus *venerabilis frater*; alius vero seu Clericus sive laicus *dilectus filius* salutetur, atque erga quamvis singularem personam locutio non illa *vos & vester*, sed *tu & tuus* adhibeatur. Non tamen vitiat rescriptum error in

in nomine vel cognomine commissus, tantummodo alia ratione constet de corpore sive persona, pro qua rescriptum fuit, & dispositio non incerta reddatur, cap. 6. de verb. signif. Non obstat cap. 34. de Rescr. ubi propter errorem in nomine Dioecesis rescriptum cassatur. Enimvero error in nomine non est causa motiva rescriptum concedendi, error autem in Dioecesis illius nomine fuit causa, cur Pontifex ad judicem ejusdem Dioecesis falso expressæ ita rescriptum dederit, uti secus non dedisset. Atque adeo rescriptum illud non tam fuit nullum ob errorem in nomine Dioecesis, quam ob defectum voluntatis ex parte rescribentis, cum rescripta causarum delegationem continentia in regula non concedantur, nisi ad judices delegatos, qui intra Dioecesim rei existunt. C. 28. de Rescr. C. 11. §. cum vero, eod. in 6. Layman in c. 34. de Rescr. Quamquam autem solum inde non vitietur rescriptum, quia Pontifex forte supplicantem *novo titulo* vel *exemtum* compellat, attamen nec inde supplicanti aliquid novi juris adquiritur, quandoquidem intentio rescribentis non fundatur super iis, quæ incidenter narrata sunt. Conf. Engel Tit. de Rescr. n. 8. & seq.

(*c*) Transeunt rescripta per manus officialium complurium, & vel ideo præsumitur, errores in latinitate haudquaquam ab iis relinqui non emendatos cap. 11. de Rescr. Quam tamen præsumtionem non Juris & de jure esse pragmatici docent. Engel de Rescr. n. 13. Neque nocet etiam error legis cap. 11. de fide instrum. juxta illud Bartholi *error in syllaba non nocet* ad l. 54. ff. de Manumiss. test. sed & attendendus Character tum in Bullis tum in brevibus consuetus. Bullæ nimirum expediuntur antiquo stylo characteris gallici. Con. Van-Espen P. I. Tit. XXIII. c. 5.

(*d*) Supplicationes in materia gratiæ per verbum *fiat* vel *concessum*, in materia justitiæ per *placet* signantur. Card. de Luca relat. Cur. Rom. Disc. 9. n. 36.

(*e*) *Gratiosæ Bullæ* ex chordis sericis; *Bullæ* vero *Justitiæ* ex filo canabis pendent. Van-Espen I. E. U. P. I. Tit. 23. §. 3. & seq.

(*f*) Ob rasuram tum in suspicionem vocatur rescriptum, si illa sit,

I. in *loco suspecto*, c. 5. de crim. fals. c. 6. de fide instr. c. 14. de Privil. c. 7. de relig. domib. loca vero ob rasuram suspecta sunt *verba dispositiva*, seu illa pars rescripti, unde ipsius vis ac mota desuper quæstio dependet. Rebuffus in praxi benef. §. Requisi. in lit. collat. n. 33. Et hinc rescriptum non censetur vitiosum, si rasura in loco non substantiali reperiatur, c. 3. de fide Instrum.

II. *Non modica*. Engel de Rescr. n. 15. si quidem constet consulto rasionem in literis Apostolicis ab impetrante vel utente esse factam, quantumvis modica sit, eæ litteræ redduntur nullæ, & radens excommunicatus & falsarius efficitur, etiamsi foret rasura unius syllabæ, litteræ, vel puncti tantummodo. Matthæus de Afflictis Decis. 404. n. 2. Sed tu vide P. Contini Considerat. super Bulla in Cœna Dom. Artic. II. §. 6.

III. *Deprehendatur in literis jam ante præsentationem apertis*. Enimvero si clausæ præsententur, ea quæ adparet rasura, potius in Cancellaria, quam ab impetrante facta præsumitur. Engel de Rescr. n. 15. Neque hodie Vicarii & Delegati Papæ propter rasuram licet in dispositivis imo in *data* sit, ejusmodi Bullas facile rejiciunt; cum literæ Apostolicæ, antequam ab ipsa Cancellaria transmittantur ad plumbum, officialibus ad hoc deputatis ob negotiorum multitudinem permittantur radendæ & immutandæ, prout juxta mentem summi Pontificis, cujus Cancellaria dicitur organum, opus fuerit. Pyrrhus Corradus l. 7. praxi dispensat. Apost. 77. 78. & 79.

IV. *Nec rescriptum alio testimonio sufficienter queat corroborari*. Reiffenstuel l. c. num. 231.

(*g*) C. 5. & 10. de Rescr. Præclare notat cl. Schrott l. c. §. 216. ex allatis, quæ ad æstimandum rescriptum debent considerari; satis adparere, etiam artem diplomaticam inter Jurisprudentiæ Ecclesiasticæ subsidia esse referendam. (§. 86. n. d.)

(*h*) Requiritur itaque ad valorem rescriptorum, ut 1. nullus horum defectuum adsit 2. ut preces veritate nitantur (§. 260. & seq.) 3. non tendant in præjudicium tertii (§. 263.) 4. adsit clausula *derogatoria* non obstantibus privilegiis quibuscumque; casu quo rescriptum alienis privilegiis derogaret. Imo ne quidem clausulæ *derogatoriæ* sufficiunt ad derogandum prioribus dispositionibus, quæ instructæ sunt clausula prægnante seu *derogatoria derogatoriarum*, vi cujus scilicet derogatoriis subsequentibus derogatur; tum enim ipsius clausulæ prægnantis *derogatoria clausula* requiritur. Sed & requiritur 5. ut mentio Ecclesiarum nominatim fiat, & tam *impetrantis* nomen dignitas, & beneficium, quam qualitas personæ ac corporum adversus quæ impetratur rescriptum, exprimatur. Cl. de Riegger de Rescr. Edit. antiq.

§. 267. Exprimant denique rescripta I. *renunciatione* ejus, cui sunt concessa (*a*) si aut in ipsius solius favorem tendant, aut renunciatione non lædatur favor alterius, cui jam est quæsitum (*b*), II. *revocatione expressa* vel *tacita* (*c*), III. *Mor-*

te concedentis rescripta justitiæ aut gratiæ faciendæ re adhuc integra (*d*), IV. *morte ejus, cui executio nominatim committitur.* (*e*) V. *Morte impetrantis*, si non *privilegia* sint realia, aut si non rescriptum Justitiæ in judicio productum, atque res non amplius integra sit (*f*), VI. *Morte illius, contra quem rescriptum Justitiæ impetratum fuit*, si res adhuc integra sit (*g*).

(*a*) Cap. 12. de foro compet. Hinc inane dubium, an rescriptis justitiæ etiam invito adversario renunciari queat. Licet sane ante citationem partis pænitere, & ab actione desistere, imo & post citationem licebit, dummodo actor reo citato, quas iste expensas habuit refundat. Felinus de Rescr. n. 3.

(*b*) Declarant id hoc usitato exemplo: si v. g. Ecclesiæ Metropolitanæ ad ipsius solius preces datum fuit privilegium, ut capitulum una cum suffraganeis Metropolitanum eligant; potest capitulum renunciare privilegio, antequam eo utatur. Cum autem illo jam utebatur, illudve suffraganeis præsentabat, absque suffraganeorum consensu porro renunciare non potest. Hostiensis in C. *ex conquestione* de restitut. spoliat.

(*c*) Revocatio tacita consistit in concessione rescripti alterius, quod rescripto priori juxta superius dicta (§.257. & seq.) præferri debet. Expressa cumprimis post eas fit concessiones, qua nimia petentium importunitate extorquebantur, & damnosæ esse incipiunt.. Cap. ult. de Rescr. in 6. & ita quoque in extravag. execrabilis inter com. de Præb. dicit Joannes XXII. *Ambitio, quæ semper plus ambiens eo magis insatiabilis creditur, quo sibi amplius indulgetur*, *&* IMPROBITAS IMPORTUNA PETENTIUM *a nobis & prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, non tam obtinuisse quam extorsisse plerumque noscuntur, ut unus interdum etiam ad unum beneficium Ecclesiasticum minus idoneus, in diversis Ecclesiis nedum vicinis, sed ad invicem longe distantibus, immo non nunquam in diversorum regnorum partibus situatis plures quam duas vel tres, aut plures etiam dignitates vel personatus officia seu prioratus, aut diversa Ecclesiastica beneficia curam animarum habentia possit dispensative, cum alias non liceret de jure communi, recipere & simul licite retinere &c.*

(*d*) Cap. 20. & 30. de offic. Jud. deleg. c. 36. de Præb. in 6. Jure novo tamen electus Pontifex *revalidare* solet literas a Prædecessore infra annum ante diem obitus concessas. Conf. Reg. Canc. 12. & Schrott l. c. §. 234. not. d. Neque igitur cessant rescripta gratiæ jam factæ, quæ sunt perpetua, cap. 9. de offic. jud. deleg. in 6. neque rescripta faciendæ gratiæ aut justitiæ, dum res non amplius est integra, cum naturam mandati servent.

(*e*) Proprie tamen executio non personæ nominatim commissa esse dici potest, si committatur *dignitati*; quæ itaque, veluti non expirat, neque rescripta morte illius, qui in dignitate illa constitutus fuit, expirare sinet.

(*f*) Cap. 1. de filiis Presbyt. l. 191. ff. de R. J. c. 36. de Rescr. Rescripta justitiæ, etiamsi res adhuc sit integra, tum quidem etiam in successorem impetrantis transeunt, si fuerint impetrata sub nomine dignitatis &c. c. 17. de foro compet. c. 10. de offic. deleg. Engel de Rescr. n. 21. Omnia hæc ex Theoria mandati & litis contestationis facile intelliguntur.

(*g*) Cap. 36. de Rescr. Etiam Exceptionem ab hac regula intelligunt Tyrones tunc esse faciendam, quando rescriptum contra dignitatem potius, quam contra personam impetratur. Engel l. c.

* Ex omnibus hactenus dictis colligitur, differentias inter rescripta gratiæ & justitiæ præcipuas igitur esse has, quod

Rescripta gratiæ.	*Rescripta justitiæ.*
1. Procedant ex mera liberalitate, & gratiam contineant.	Procedant ex juris ordine, ita ut vel explicetur jus dubium, vel delegetur Judex, vel alia ratione Justitia administretur.
2. Valorem obtineant a die *datæ*, id est factæ expeditionis.	Valeant a tempore præsentatæ seu insinuationis.
3. Habeant subscriptum verbum *fiat*.	Signentur verbo *placet*.
4. Soleant, ut ajunt, bullari, filo serico rubro & croceo & dirigantur ad ordinarios locorum.	Expediantur filo canabis, in quo pendet plumbum, & mittantur ad ipsos judices delegatos.
5. Non exspirent morte concedentis, nisi sint rescripta gratiæ *faciendæ*, quæ scilicet ceu nuda mandata expirant morte mandantis.	Exspirent morte concedentis ceu mandata, nisi lis *contestata* sit, aut saltem facta citatio.

C A-

CAPUT III.

De Observantia & Consuetudine.

§. 268. Cur legislator Ecclesiasticus observantiam ubivis locorum etiam se inscio vigentem, tantummodo naturalibus positivisque Dei legibus non repugnet, generali suo consensu per legem *expresso* stabilire, eique ita vim legis tribuere non posset, (*a*) profecto ratio non est, & dum generalem ejusmodi consensum exprimens constitutio adest (*b*) omnis jam de hoc disputatio inanis evadit.

(*a*) Profecto non sola taciturnitas legislatoris ad singulos fidelium actus vim legis consuetudini tribuit; sed ejusdem consensus generalis & lege consuetudinem probante *expressus* facit. Quamquam consensus tacitus ad mores fidelium & singulos actus efficiant, ut per eosdem non obsistente specifica legislatoris contradictione obtineri queat occasio, seu conditio, sine qua nunquam enasceretur id, cui ille consensus legislatoris generalis & *expressus* vim juris largitur.

(*b*) Cap. 1. de Consuet. VI. (§. 247. n. k.)

§. 269. Certissimum igitur est I. Consuetudini vim omnem ex legislatoris consensu (§. 247. 268.), & quidem II. vim legis esse (*a*).

(*a*) Hinc consequitur, ut consuetudo possit esse

1. *Secundum legem*, quæ aut canones jam existentes firmat, ac etiam de hoc, quod jam olim tales extiterint, convincit juxta illud S. Augustini l. 5. de Bapt. c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec a conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissime creditur*, aut canones obscuros tanquam *optima legum interpres* authentice interpretatur. Dist. XII. can. 6. cap. 8. de consuet. cap. 25. de verb. signif.

2. *Præter legem*, quæ jus novum introducit Dist. XI. can. 7.

3. *Contra legem*, quæ veluti lex posterior priorem legem abrogat, eive derogat, etsi eam muniat *clausula irritatoria* cap. 6. & 11. de consuet. Barthel in annot. ad univ. Jus Can. de consuet. n. 18. Atque ii, qui *consuetudinem contra Jus* exeo impugnant capite, quia *tacitus* legislatoris consensus, ut moribus subditorum legum efficacia subvertatur, concipi nequit, nos non morantur, qui non in ejusmodi moribus & legislatoris ad actus singulos taciturnitate, sed in generali consensu legislatoris per legem expresso causam consuetudinis constitutivam collocamus (§. 247. 268.)

4. Aut *universalis* aut *particularis*; prout videlicet aut per universam Ecclesiam invaluit, aut particulari Ecclesiæ propria est, unde consuetudines *provinciales* & Diœcesanæ Dist. XI. can. 8. cap. 13. de Celebr. Miss. cap. 6. de consuet. cap. 31. de Elect. cap. 3. de cognat. spirit. quæ itaque particulares consuetudines subsistent, etsi disciplinam a Romana diversam contineant. Fundamentum hujus jam expositum supra §. 196. not. b. adde Concil. Nicæn. Can. 6. Dist. XI. can. 7. Dist. XII. can. 3. 4. 8. 10. cap. 2. de frigid. Petrus de Marca de C. S. & I. L. III. c. 9. Bossuet Defens. cler. Gallic. L. XI. P. III. c. 12. Non obstant Dist. XI. can. 10. & 11., qui de causis fidem & uniformem ipsius Ecclesiæ statum concernentibus loquuntur. Cironius Paratit. de consuetud. §. 13. multoque minus obstant Ei. Dist. Can. 1. & 2., utpote qui ex mercibus Isidori sunt.

5. Aut *publica* aut *privata*; prout publicis vel privatis Ecclesiæ negotiis normam præbet. (§. 247. n. k.)

6. Ut judicari debeat juxta consuetudinem, quamdiu non tollatur.

7. Ut tollatur, sicuti alia lex, lege aut consuetudine *posteriores*; generalis tamen abrogatio tantummodo consuetudinem universalem comprehendit, non consuetudines particulares, nisi & harum mentio fiat, aut clausula derogatoria adjecta sit cap. 1. de Constit. in VI. Imo si non consuetudo immemorialis sit irrationabilis, aut eadem militet ratio etiam immemorialis consuetudinis tollendæ, aut sublata generaliter quacumque consuetudine duntaxat unus certus casus excipiatur, cujus ipsius ratio consuetudini immemoriali non convenit, extra hosce casus plurimi interpretes consuetudinem immemorialem sub revocata quacumque consuetudine, seu sub hac clausula *nulla obstante consuetudine contraria* non intelligendam esse volunt. Reiffenstuel Jus Can. L. I. Decret. T. 4. §. 8. n. 188. & sequ. Quemadmodum etiam consentiunt, prædictam clausulam tantum ad consuetudines tempore conditæ legis extantes, non item ad *futuras* pertinere juxta ea, quæ paulo ante num. 3. dicta sunt de viribus consue-

suetudinis, quæ scilicet ut lex posterior legem priorem ipsamque in ea contentam derogatoriam clausulam tollere potest. Tolli quoque potest consuetudo renunciatione eorum, quibus favet. C. 1. de Constit. 4. de Consuet. in 6. c. 20. de decimis cap. 2. de observ. sest. cap. 25. de consuet.

* Si de consuetudine in genere loquamur, consequitur porro, ut ea esse queat vel *extrajudicialis*, seu in negotiis *extrajudicialibus* locum obtinens, vel *judicialis*, quæ ex *actibus judiciariis* consistens, quatenus ordinem & modum procedendi in judicio determinat, *observantia judicialis*, quatenus vero in ipsis judicialibus scriptis harum potius quam aliarum vocum & formularum usum introduxit, *stylus curiæ* audit, atque ita generatim sese ab *ordinatione curiæ*, quæ jam ab initio authoritate legislatoris obtinuit, distinguit. Verum cum consuetudo, quæ *stricte Ecclesiastica* dici meretur, etiam tantummodo circa negotia stricte Ecclesiastica versari queat, & iis, quæ ad ordinem judiciorum pertinent, in jure consistoriali locus a nobis determinatus sit, de hisce, uti & de *præjudiciis*, quæ judicaturis sunt exemplum ex anterioribus causarum decisionibus sibi similibus ortum, ibidem plura dicemus.

§.270. III. In consuetudine ipsam uniformem & longævam Ecclesiarum praxim promulgationis vicem subire (*a*).

(*a*) Hinc requiruntur

1. Actus frequentes, Dist. 1. can. 4. quorum quidem numerus, veluti etiam requisita ad eos continui temporis diuturnitas legibus & canonibus non definitur, atque num sufficiens sit, ex circumstantiis colligi debet. Neque enim in cap. ult. de consuetud. vox *præscriptis*, unde ad consuetudinem idem tempus ac ad præscriptionem requiri docent, in sensu proprio accipitur. Schrott l. c. §. 238. Quidquod unicus actus sufficere queat, si sit adeo insignis, ut pluribus moraliter æquivaleat. P. Oberhauser Prælect. Can. tit. de consuet. §. 9.

2. Publici, ac spontanei; non itaque clam ex errore aut vi gesti.

3. Non contradicti aut a legislatore (§. 268. n. 2..) aut adversario cujus interest, aut postea iterum ipsorum ad consuetudinem provocantium actibus contrariis infirmati. Vide Princip. Jur. Publici Eccl. Cath. c. 10. §. 10. Edit. Vind.

4. Actus, qui produnt animum inducendæ obligationis, & non sunt actus meræ facultatis, & cum arbitraria devotione, ac ex mera liberalitate positi; quales quidem esse cessabunt, si alteri id, quod ex mera voluntate fecimus, de necessitate jure prætendenti cedamus.

5. Notorii, aut ceteroquin legitime probati. Etsi enim consuetudo rite introducta quod jus faciat, probatione non indiget; probari tamen debent facta, quæ ad consuetudinem necessaria sunt conditio, & hoc ipso, *quod facti sint*, non præsumuntur. Probatio yel fit testibus judicis arbitrio æstimandis, vel actis publicis & monumentis; hæc scilicet sunt optimus modus ad posteros transmittendi consuetudinem, quæ quidem talis manet, etsi in ejusmodi scripturam redigatur. Distinct. I. can. 5. Gibert. Corpor. Jur. Canon. Prolegom. P. poster. Tit. 11. punct. 4.

§.271. IV. Cum actus juri divino, vel naturali vel positivo, ac bono Ecclesiæ contrarios nec tacitus nec expressus consensus legislatoris unquam licitos facere queat, ex hujusmodi non oriri posse justam & *rationabilem* consuetudinem (*a*) sed abusum ac corruptelam (*b*).

(*a*) Hinc reprobantur consuetudines.

1. fidei aut veritatibus manifestatis contrariæ, Dist. IX. can. 4. 5. 6. 7. 8. Dist. XI. can. 6. 7. 8. 9. cap. 8. de sent. & de jud.

2. Peccatis & vitiis faventes, Dist. XLIV. can. 1. Caus. I. q. 3. can. 15. ubi reprobatur consuetudo pro rebus spiritualibus sive ante, sive post earum collationem aliquid exigendi.

3. Multorum saluti nocentes, Dist. I. can. 89.

4. In damnum publicum vergentes, Caus. XVI. q. 6. can. 1.

5. Dei vel sanctorum cultui contrariæ, Dist. III. can. 2. de Consecr.

6. Decentiæ repugnantes, inter quas refertur illa, qua ludi theatrales in Ecclesia, aut per Clericos fiunt, cap. 12. de vit. & honest. Cleric.

7. De radice ambitionis procedentes, veluti: si plura beneficia citra necessitatem possideantur, cap. 1. de Consuet. in VI.

8. Involantes in potestatem Ecclesiasticam aut turbantes ordinem hierarchiæ Ecclesiasticæ, uti si Presbyteri usurpant, quæ sunt ordinis Episcopalis, vel populus sibi Jus ferendi sententiam vindicat. Cap. 3. & 4. de Consuet.

9. Disrumpentes nervum disciplinæ Ecclesiasticæ & morum correctionem impedientes, c. 5. & 7. de Consuet. Extravagant. unic. inter com-

commun. Consuetud. cap. 13. de offic. judic. ord.

10. Inducentes violationem censurarum, cap. 1. de Consuet. aut

11. Violationem libertatis Ecclesiasticæ, cap. 1. de Consuet. cap. 14. de Elect. cap. 13. de Majorit. cap. 49. de sent. Excom. Id quod tamen dijudica juxta illa, quæ §. 109. usque 129. dicta sunt.

12. Repugnantes æquitati, veluti si parochis portio congrua subtraheretur per eos, qui decimas aliosque parochiæ proventus percipiunt, cap. 10. de Consuet. cap. 20. de Præb.

13. Denique etiam repugnantes legibus humanis ejusmodi, quæ in legibus naturalibus, in divinis positivis, in bono Ecclesiæ fundamentum habent. Distinct. XI. c. 1. 4. cap. 3. & 7. de Consuetud. cap. 5. de juram. Calumn. &c. &c.

Conf. cl. de Riegger P. II. §. 112. nov. Edit. & cl. Schrott l. c. §. 250.

(*b*) *Cum abusus*, ait Author Principiorum Juris publici Ecclesiastici Catholicorum, *non raro sese occulat sub imagine observantiæ, hancque imitetur, ut superstitio religionem, in praxi difficile est a laudabili observantia discernere abusus, quibus paulatim infici posse disciplinam Ecclesiæ nimis prob dolor! compertum est*. Conf. Editionem Vindobonensem cap. 10. §. 20. & sequ. ubi etiam recenset causas, cur synodus Tridentina abusus ejusmodi aboleri cupiens desideriorum suorum compos fieri hactenus non potuerit. Rectissime quidem cl. Schrott monet ex œconomica & legislatoria prudentia in evellendis adultis & prævalidis vitiis mitiorem medelam adhibendam, & sæpe connivendum esse, ne triticum una cum zizaniis evellatur; Quod si tamen populus ipse ad triticum separandum paratus sit, & secus timendum, ne a Deistis, aut heterodoxis seducatur in errorem: omnia esse zizania, tum sane ad vera zizania radicitus evellenda superiorum sollicitudo non sat cita, non sat fervida esse potest; quidquod cur superiorum facile populum recta institutione ad hoc præparare possit, quemadmodum non deterrebatur Apostolus, dum ei cum *viris per omnia quasi superstitiosioribus* agendum erat, neque de iisdem in superstitione relinquendis sub ullo prætextu cogitabat. Actor. XVII. v. 22.



L l.

LIBER SECUNDUS

DE IIS, QUÆ CONCERNUNT POTESTATEM ECCLESIÆ INSPECTORIAM,
Et ortam inde circa Personas & Res Ecclesiasticas hodiernam Politiam.

CAPUT PRIMUM.

De Potestate inspectoria Ecclesiæ in genere.

§.272. QUæ pro temporum, locorum ac personarum vicissitudine ordini ac decoro Ecclesiæ jam hac jam illa ratione expedire queunt, quæque etiam *circa* essentialia nostræ Religionis ac Ecclesiæ capita, scilicet, ut eorundem observantia firmetur, atque urgeatur continuo, recens determinanda veniunt, hæc profecto Christus, salvo summorum Principum jure circa sacra, (Tom.II.) Rectoribus Ecclesiæ reliquit (*a*).

(*a*) Act. Ap. IV. 35. XV. 29. XVI. 4. I ad Cor. VII. 10. 12. ad Tit. I. 5.

§.273. Et hac quidem relicta sibi potestate Rectores Ecclesiæ ab ejusdem initio usque ad nostra tempora usi, præter illa, quæ ad ferendas ecclesiasticas leges earumque executionem pertinent (§.239.) I. pro statu & conditione fidelium, qua talium, ac cumprimis ministrorum Ecclesiæ (*a*) II. obtutu cultus divini, sacrorumque actuum, necnon III. circa res Ecclesiæ & Ecclesiasticorum multa alia determinavere. Quæ ipsa, cum præcipuam Juris Ecclesiastici privati (§.58) partem & hodiernam Ecclesiæ nostræ politiam conficiant, sequenti plurium capitum serie membratim singula discutiemus.

(*a*) Non porro hic nobis sermo est de potestate ministrorum Ecclesiæ, & de juribus ab obligationibus ipsum sacrum regimen tangentibus, utpote de quibus tanquam Juris publici Ecclesiastici capitibus Tomo priore dicebamus; sed de juribus ac obligationibus illis, quibus ob ipsam hanc potestatem & suam dignitatem universe præ aliis in communitate Ecclesiastica eminent.

CAPUT II.

De statu Ecclesiastico.

§.274. Quandoquidem status est complexus jurium ac obligationum (*a*) per Jura & obligationes, quæ cuivis membro Ecclesiæ Christianæ qua tali competunt, *status Ecclesiasticus communis* determinatur, & quicumque igitur hunc communem Ecclesiasticum statum acquisivere (*b*) adquisitoque sese frui probare (*c*) queunt, in sensu generali *persona Ecclesiastica* dici merentur (*d*).

(*a*) Cl. de Martini posit. de jure Nat. c.1.
(*b*) Scilicet, suscepto Baptismo & receptione in Ecclesiam cap. 3. de Presbyt. non baptiz. Ant. Riciullus Tr. de Neophytis, qui adjectus est Tr. de jure pers. extra Eccles. grem. existent. Romæ 1662.
(*c*) Probatio fit professione fidei publica (§. 2.) communione Sacramentorum, & judicio ipsius Ecclesiæ aliquem tanquam suum membrum agnoscentis.
(*d*) Arn. Corvinius de Pers. & Benef. Eccles. l. 1. tit. 1. n. 3.

§.275. Inter ipsos autem, qui communi Ecclesiastico statu gaudent, ii *statum Ecclesiasticum specialem* constituunt, I. qui ad sacrum ministerium vocati, & adlecti

ctí sunt (*a*), II. quibus saltem simplex Ecclesiæ officium collatum est, (*b*) III. qui coalescunt in societatem fidelium editis perpetuæ obedientiæ, paupertatis, & castitatis votis secundum regulas ab Ecclesia approbatas sub regimine ecclesiastico peculiari Deo servientium (*c*) vel saltem ad certam regulam, etsi nullis votis præstitis, adstringuntur (*d*).

(*a*) Hi eminenter vocantur 1. *Ecclesiastici* l. 104. Cod. Theod. de decur. lib. 29. ibid. de Episc. Eccles. & Cler. 2. *Clerici* (§. 106. n. c.) nec non etiam 3. simpliciter *Christiani* in l. 50. eod. Tit. de decur. veluti in citata lege 104. *Christianitas* pro clericatu, & capitularibus Caroli Calvi passim *bannum Christianitatis* pro foro Ecclesiastico, & *Christianitas* pro Ecclesia accipitur; Francisc. de Roye Jur. Can. Instit. lib. 1. Tit. 9.

(*b*) Tales sunt, quos supra (§. 166. not. 1.) nominavimus, & qui quidem improprie in multis legibus Clerici adpellantur l. 15. 42. 43. Cod. Theodos. de Episc. l. 1. Cod. Theod. de Just. Collat. S. Hieron. Ep. 13. ad Rusticum Narbon. & in Ep. 49. Et ad hoc, quod alii in officio Ecclesiæ sunt, alii non sunt, illa personarum divisio in *Ecclesiasticas* & *politicas* respicit, Georg. Lud. Bomeri Princip. Jur. Can. §. 78.

(*c*) Vocatur in specie talis societas Ecclesiastica status *regularis* & *religiosus*.

(*d*) Adpellantur quasi *regulares*, & eo pertinent *Patres oratorii*, *Diaconissæ*, *Beguinæ*. Van-Espen P. I. Tit. XXXIII.

§. 276. Sunt igitur in Ecclesia I. alii Clerici (§. 275. n. a.) (*a*) alii Laici (*b*) II. alii Ecclesiastici, alii politici (§. 275. n. b.), III. alii seculares, alii regulares, & quidem *stricte* vel *quasi regulares* (§. eod. not. c. & d.) Et cum Jus Ecclesiasticum peculiares leges tam circa cælibatum, quam matrimonio jungendos junctosque comprehendat, merito inter præcipuas divisiones status Christianorum, IV. divisio in *Cælibes* & *conjugatos* adjungitur (*d*).

(*a*) Generali igitur nomine clerici veniunt quidem omnes ab Episcopo usque ad ostiarium, ex quibus sacris ordinibus initiati *in gradu*; reliqui *in ministerio* esse leguntur. Sydon. Apollin. L. 4. Ep. 24. S. Basilius ad Amphiloch. can. 51. can. 2. Concil. Chalced. Nonnunquam tamen in jure sub *Clericis* non comprehenditur Episcopus, nonnunquam solus clerus inferior intelligitur. Roye l. c.

(*b*) Etiam laici tanquam consortes & cohæredes Christi sub *Clericis* in sensu latissimo continentur. Ep. I. S. Petri; sed cum nomen clericorum in sensu strictiore dein iis solis tributum, qui præ aliis τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης accipere, reliqui de populo fideli extra ministerium constituti a verbo λαὸς, quod est populus, laici dicti sunt. Caus. XII. q. 1. can. 7. Et quidem jus ecclesiasticum distinctos Canones de *summis Imperantibus*; distinctos de *Magistratibus* & *Proceribus*; distinctos de reliqua Christiana multitudine habet. Præterea Ecclesia semper etiam cautissime observavit illa civilia jura, quæ respondent triplici civili statui, nempe libertatis, civitatis, & familiæ; atque hinc tot canones de servis privatorum, de servis publicis; de servis Ecclesiarum, quos habeant in dotem, de varia eorum manu missione, & præsertim de illa in sacrosanctis Ecclesiis; Heineccius Instit. §. 95. 98. Hinc in Decretalibus Tituli de servis non ordin. de conjug. serv. de natis ex lib. ventre. Taceo statum naturalem & inde deductas divisiones personarum in *natos* & *nascituros*, in *masculos* & *feminas*, in MAJORES, qui vel *senes* vel *juvenes*, & in MINORES, qui vel *puberes* vel *impuberes* sunt; pro quorum singulorum diversitate diversa jura, diversæque obligationes in jure Ecclesiastico deprehenduntur, uti quæque suis locis occurrent.

(*c*) Dantur inter regulares *Clerici* non minus ac *laici*, & regularium quidem numerantur sex genera 1. MONACHI stricte tales seu *anachoretæ* vel *Eremitæ*. 2. CÆNOBITÆ seu SYNODITÆ. 3. CANONICI REGULARES (§. 212.) 4. CLERICI REGULARES 5. EQUITES REGULARES. 6. MENDICANTES, quorum diversa regiminis forma porro inter ipsos diversas producit personarum divisiones, de quibus omnibus ex ordine agemus.

(*d*) Hinc etiam illa, quæ de sponsalibus & matrimonio, seu de *conjugali statu* inter fideles contrahendo vel contracto in juris Ecclesiastici explanatione dici debent, inter ea, quæ ad statum fidelium pertinent, sine nævo accipimus.

CAPUT III.

De vocatione & vita clericorum.

§. 277. Clericali statui sese mancipaturi ante alia omnia probe nosse debent, quænam ad hunc statum vocatio necessaria sit, quæque vivendi ratio de iis, qui eundem elegere, requiratur (*a*) Atque hinc etiam utrumque ex legibus Ecclesiasticis; divinis humanisque, ante alia omnia exponendum sumimus.

(*a*) *Dignum est, ut sacerdotalis dignitas prius noscatur a nobis, deinde servetur a nobis, ut Psalmographi sententia queat repelli a nobis, homo cum in honore esset, non intellexit*. S. AMBROSIUS DE DIGNITAT. SACERD. 2.

§. 278. Profecto Ecclesiæ ministerium, cui tot tantæque inhærent obligationes ex ejusdem natura ac dignitate fluentes, unum omnium maxime præcipuam requirit vocationem (*a*) Atque ob id sacræ leges adeo inculcant, ut I. nullus semetipsum intrudat (*b*) II. quisque sui vocationem æstimet 1. ex puritate intentionis (*c*) & amore in solum Religionis & Ecclesiæ bonum promovendum prorsus exuberante (*d*) 2. ex aptitudine munus Ecclesiasticum omnino explendi. Quæ ipsa aptitudo citra respectum ad generis claritatem (*e*) perpendendo regulas in conflictu officiorum observandas (*f*) & conferendo conditionem suam cum iis, quæ per sacros Canones ab Ecclesiæ ministris in scientia (*g*) in moribus tam vitæ ante actæ (*h*) quam futuræ (*i*) porro circa corporis vires statumque externum (*k*) requiruntur; quæque speciatim ceu impedimenta exercendorum & suscipiendorum ordinum determinantur (*l*) examinari debent: Et denique III. ut totum hoc negotium non præcipitanter, sed fervida divini auxilii imploratione (*m*) abdicata propria voluntate (*n*) nec non cum probe selecto tali conscientiæ arbitro, qui ipse genuina doctrina, peritia ac prudentia probatus est, (*o*) ac cumprimis ex proprii Episcopi judicio (*p*) perficiatur (*q*).

(*a*) *Qui loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare*, S. Gregor. Pastor. part. 2. c. 3. Et hinc etiam ait Petrus Blesensis. *videte fratres vocationem vestram, Eminentiam & dignitatem ordinis vestri*, serm. 61. Quod etiam pro motivo in suis canonibus Clero præscriptis jam pridem sumsere Concil. Senon. 1528. Concil. Burdigal an. 1582. & synodus Amerina an. 1595. &c. Conf. Ludovici Tronson forma Cleri Tom. 1. cap. 1. & 2. §. 1.

(*b*) Matth. XI. 38. XV. 13. XX. 20. & seq. Joan. X. 1. & seq. XV. 16. Act. Ap. c. 1. 24. ad Hebr. V. 4. & 5. *Quod pertulerunt* ait S. Augustinus, *superbi illi levitæ (Core, Dathan, & Abiron) qui Domino non jubente sibi sacerdotium vindicabant: hoc patiuntur, quicumque se in Episcopatus, aut Presbyteratus vel Diaconatus officium impudenter conantur ingerere. Quomodo combusti sunt illi in corpore, sic isti exurentur in corde.* Serm. 98. de Temp. Et Petrus Blesensis *Cathedra Pastoralis est illis Cathedra pestilentiæ, dum sibi & aliis sunt causa ruinæ*. Ep. 23. adde Concil. Burdigal. an. 1624. Tit. de ordine cap. 6. num. 2. non obstat I. ad Timot. c. 3. v. 1. Conf. Antonii *Godeau* Ventiensis Episcopi Tractatus de Vocatione Religiosa, P. I. Prop. 10., *in mea nova Collectione selectorum Opusculorum, quæ antiquissimis Ecclesiæ legibus innituntur*, cap. 1. pag. 40. Fit autem intrusio 1. adulatione, 2. obsequio, 3. precibus, 4. pretio, 5. aliis fraudulentis ambagibus. Concil. Burdig. l. c. n. 4. S. Bernard. L. 4. de Consid. c. 4.

(*c*) Scilicet

1. non ob temporale commodum, de quo ita scribit S. Gregorius; *quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia ex panibus meis manducastis, & saturati estis. Per eorum personam Dominus illos intra Ecclesiam detestatur, qui per sacros ordines ad Dominum propinquantes non virtutum merita, sed subsidia vitæ præsentis exquirunt, nec cogitant, quid vivendo imitari debeant, sed quæ compendia percipiendo satientur*. L. 23. cap. 17. idem scribit Gregor. Naz. Orat. 1. Et si jam hoc non tolerandum, ut status sacer tanquam

subsi-

subsidium necessariæ sustentationis adsumatur, quid dicendum de iis, a quibus porto quæstio fieret, *quæ sit summa redituum*, ut conqueritur de hujusmodi Petrus Blesens. Ep. 15. ad Episc. Carnot. Adde Concil. Colon. 1536. p. 1. c. 21. Sed & singulare est, quod Concil. Burdig. an. 1624. cap. 6. de ordine num. 2. ita habet: *In nulla re profecto magis elaborat hujus seculi homines, quam ut filii præcipue deformes, & ad secularia negotio inepti in sortem Domini assumantur; in beneficia certe, non ad officia Ecclesiastica, quacumque ratione, cum non eos vocet Dominus, promovendi*. Profecto ea, quæ supra contra spontaneam cujusvis intrusionem in sacrum ministerium adduximus, duplici ratione gravant parentes, a quibus liberi in Ecclesiasticum statum saltem *secundum quid* coguntur. Vide quid de his S. Chrysost. homil. op. 35. imp. in Matth.

2. Non ob honores. *Ille* enim tantummodo *ad ovile ovium intrat per ostium, qui culmen regiminis ad officium portandi oneris suscipit, non ad appetitum gloriæ & transitorii honoris*. Gregor. lib. 7. Ep. 48. Et generatim *qualem profructum post producere corrupta radix, mens cupida honoris; nec Dei gloriam quærere, neque proximorum valet utilitatibus insistere*. B. Laurent. Justinian. de complanct. Christian. perfect.

3. Non ad otium, de quo queritur Hugo Cardinalis hisce verbis: *non propter laborem operis desiderant Episcopatum, sed propter quietem dicentes cum diabolo ascendam in cælum, super astra cæli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti; In quo notatur appetitus quietis & dignitatis* in Tomo 3. & S. Bernardus: *Curritur in clero passim ab omni ætate & ordine, a doctis pariter & indoctis ad Ecclesiasticas curas tanquam sine curis jam quisque victurus sit, cum ad curas pervenerit*. Ep. 42. Henric. Seno. cap. 7.

(*d*) Joann. XXI. 15. *Quo affectu & proposito accedant ordinandi videndum, accurateque, investigandum; num videlicet Dei causa tantum*, ait Concil. Colon. an. 1536. p. 1. cap. Adde Concil. Trid. Sess. 23. de Reform. cap. 4.

(*e*) *Dignos & idoneos divina probat Electio: secundum vitæ, non generis meritum* Cypri. serm. de unct. chrismatis & S. Bernardus inter abusus sui temporis etiam hoc vehementer deplorat, quod *scholares pueri & impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promoveantur ad Ecclesiasticas dignitates, & de ferula transferantur ad principandum Presbyteriis*. Declam. c. 5.

(*f*) Reflecte ad ea, quæ supra (§. 19. n. b.) exposuimus.

(*g*) Conf. supra (§. 109. n. d. 201. n. b.)

(*h*) I. ad Timot. III. v. 2. & seq. ad Tit. I. v. 7. Can. 60. Apost. Concil. Nicæn. I. Can. 2. 9. & 10. Concil. Carthag. 4. c. 68. Agath. c. 43. Hilarius P. in Synod. Rom. c. 3. Siric. P. Ep. 1. cap. 14. Innoc. I. Ep. 22. c. 3. Gelasius Ep. 1. c. 14. Quæ omnia in luce collocantur, his Augustini verbis: *Apostolus Paulus quando elegit ordinandos, non ait; si quis sine peccato est. Hoc enim si doceret, omnis homo reprobaretur, & nullus ordinaretur. Sed ait, sine crimine, sicut est homicidium, adulterium, aut aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium & cætera hujusmodi. Crimen autem est grave peccatum accusatione & damnatione dignissimum. Quolibet itaque horum implicatus ordinari non debet, vel si jam ordinatus ante tempus, vel si post tempus suæ ordinationis aliquid eorum admisisse convincitur, suscepti gradus officio privabitur*. Tract. 41 in Joan. ad cap. 8. Conf. Tronson P. I. cap III. art. 4. & Godeau loc. cit. propos. 6 pag. 127.

(*i*) *Clericorum status, quemadmodum laicorum ordini dignitate præponitur, sic morum honestate, & vitæ spectabilitate, ut sidera in hoc terreno Ecclesiæ cælo debet præfulgere*. Synod. Massens. an. 1626. Tit. de Cleric. moribus & vita, & Concil. Mediolan. 4. *Eam* ait *vos virtutem induite, ut alii videant quasi lumen vestrum sanctitatem elucere* p. 3. Tit. de monit. Conf. Concil. Trid. Sess. 14. c. 1. de ref. Sess. 22. c. 1. de Reform.

(*k*) Vires tam ingenii quam corporis ad laborandum seu in *verbo* sive in *doctrina* non infirmas requiri, atque igitur tenellos delicatosque nimium jam etiam ex hoc capite tuta conscientia clericalem statum non assumere posse manifestum est. Godeau l. c. p. 111.

(*l*) Vocantur *Irregularitates*, & de his capite sequenti in specie agemus.

(*m*) Luc. VI. v. 12. & 13. ubi *specie tibi datur*, ait S. Ambros. *forma præscribitur, quam debeas æmulari; Quid enim te pro salute tua facere oportet, quando pro te Christus in oratione pernoctat. Quid te facere convenit, cum vis aliquod pietatis officium adoriri? Quando Christus missurus Apostolos oravit prius*. L. 5. Comment. in Evangel. Luc. c. 6.

(*n*) *Divinam voluntatem, inquirentes, abdicatis omnibus affectionibus suis, animum suum a propria voluntate penitus exactum & in neutram partem magis vergentem Deo per orationem exhibentes cognitionem divinæ voluntatis percipient*. S. Joan. Climac. grad. 26. de discret. cap. 4. hinc immane quantum aberrant ii, qui absque ulteriore examine ac consilio solum inde suam deducunt vocationem,

quia post institutam aliquot diebus devotionem status cujusdam suscipiendi ideam retinent, quae aut motu proprio propriaque affectione, aut aliorum persuasione orta & fortasse jam facto ad eundem obtinendum adparatu promota est. Conf. meus Ordo Princip. P. I. §. 116. not. b.

(o) *Nemo sibi sufficit ad electionem utilium*, ait S. Basilius hort. de felicit. *propterea quod naturaliter se ipsum quisque amat, & quia in seipsum quisque propensior est, ideo in veritatis judicio fallitur*. Idem Constit. Monastic. cap. 22. Non tamen quoruncumque, sed proborum simulque eruditorum ac prudentum consilia exquirenda esse docet S. Bernardus his verbis: *Omnia fac cum consilio: nec tamen omnium aut quorumcumque sed tantum bonorum* Ep. 28. ad Ardution Geben. Episc. *Ipsa consiliorum mater sapientia, de se ipsa loquens: Ego sapientia, inquit, habito in consilio: sed quali consilio? nunquid in qualicumque? Et eruditis, ait, intersum cogitationibus — ad consilium soli eligantur, qui prudentes esse videantur*. Ep. 42. ad Henric. Senon.

(p) Matth. XX. v. 8. *Nullus debet ordinari, qui* JUDICIO SUI EPISCOPI non sit *utilis aut necessarius suis Ecclesiis*. Sess. 23. c. 16. de Reform.

(q) Iis, qui objiciunt, si tali opus est vocatione; pauciores fore, qui ad ministerium sacrum promoveri possent, quam sint Ecclesiae, quae tamen ministris indigent, respondet Godeau l. c. p. 67. & illis, qui absque ejusmodi vocatione honores Ecclesiasticos & ministerium adiere, consulit Tronson P. 1. c. 3. Art. 7.

1. SECESSUM ab honoribus Ecclesiasticis juxta illud Petri Blesensis: *currite ad conscientiae vestrae testimonium, & si inveneritis vos minus canonicum habuisse ingressum, sitis solliciti de egressu, nam hic resignatio habet locum — Et sancta & salubris est cogitatio facta de Episcopatus cessione privatam eligere vitam, si recolitis conscientiam vestram jam dictae promotionis obtentu fuisse vel in modico vulneratam*. Ep. 44. ad Arnulph. Lexov. Episc.

2. POENITENTIAM, *cum etiam gravissimi criminis reis, si ex toto corde poenitentiam gerent, Sacramenti caelestis refundenda gratia*. S. Ambros. l. 2. de Poenit. cap. 3.

3. INTENSAM POSTHAC OPERAM AD COMPARANDAS DOTES CLERICO NECESSARIAS secundum illa Bernardi: *Bonas fac de caetero vias tuas & studia tua & ministerium sanctum. Si vitae sanctitas non praecessit, sequatur saltem* — videlicet *etsi facta tua & studia tua in nullo prorsus visa sunt huic convenire officio. Quid tamen? Non potest Deus de lapide hoc suscitare filium Abrahae? Non potest facere Deus, ut quae praeire debuerunt bona, subsequantur?* Ep. 27. & 28. ad Ardut. Ep. Geben.

§. 279. Quae peculiaria a clericis in vivendi ratione sacri canones requirunt; ad duo reduci possunt, scilicet 1. ad honestatem internam, seu intimum universae virtutis studium (a) & II. ad honestatem externam, seu *decorum*.

(a) Matth. V. 13. & seq. I. ad Tim. III. ad Tit. II. 7. Accipitur hic honestas in sensu latissimo. Confess. cl. de Martin. de lege Nat. c. 4.

§. 280. Peculiariter itaque I. clerici ad excellentiam fidei, spei ac charitatis non solum erga Deum, ejus Ecclesiam & salutem propriam, sed etiam erga proximum ad prudentem animarum zelum, mansuetudinem, patientiam, paupertatem, castitatem, obedientiam, sensuum mortificationem, humilitatem, purissimam muneris sui demandati curam, ac scientiarum, quae eo pertinent, aestimationem, suum animum adhibere; peculiariter ab ambitione, vanitate, luxu, arrogantia, intemperantia, incontinentia, immodestia, otio, negligentia, avaritia, contentionis spiritu, hypocrisi, tutela abusuum, & dandis scandalis, imo a vitiorum etiam levium incuria, nec non a secularibus occupationibus suum animum cohibere debent. (a)

(a) Conf. meus ordo princip. P. I. de lege Ecclesiastica divina tam naturali quam positiva §. 15.

§. 281. Quae ipsa animi innocentia & intimae virtutis soliditas facillime dein etiam II. illam peculiarem honestatem externam, seu decentia producit, quae speciatim 1. in cultu corporis, 2. in aedificatione vitae, 3. in omissione operum clericos dedecentium per canones exigitur.

§. 282.

§. 282. Exigunt autem canones circa cultum corporis 1. vestitum statui Ecclesiastico convenientem (*a*) 2. Tonsuram (*b*) 3. neglectum barbæ & comarum (*c*) 4. abstinentiam ab armis.

(*a*) Per quinque priora secula clerici in vestitu non forma aut colore, sed sola modestia a laicis discernebantur, uti clarum est ex hisce P. Cælestini verbis, *discernendi a plebe vel ceteris sumus doctrina, non veste; mentis puritate, non cultu*, in Ep. ad Episc. Viennens. & Narbon. provinc. an. 428. adde S. Hieron. Epist. ad Nepot. & Concil. Carthag. IV. can. 45. Mutatio igitur quoad formam vestitus clericalis (qui posthac etiam extra sacra, in *alba* super veste *talari* consistebat) seculo VI. in occidente introducta, dein non tantum moribus roborata, sed & a Conciliis vindicata est; colore tamen nigro demum post Tridentinam synodum stabilito; Thomassin P. I. l. 2. c. 46. 48. 50. Prohibetur speciatim Clericis, ne utantur *panno rubro & viridi*, *manicis*, *sutularibus consuticiis*, *frænis*, *calcaribus deauratis*, *cappis manicatis*, *fibulis & corrigiis ex auro argentove*, ac *annulis*, nisi quibus ex officio competit &c. &c. vide cap. 15. de vita & honest. cleric. Clem. 2. eodem; sed quamquam hi canones semper adhuc eatenus valent, quatenus omnem vanitatem clericis interdicunt, veluti caus. XXI. q. 4. c. 1. ubi corripiuntur clerici, *qui unguentis & claris vestibus & fulgidis lasciviunt*; Ceterum tamen num hoc aut illud etiam hodie vanitas sit, & proin, num respectu hujus illiusve adhuc canonum istorum ratio obtineat, ex hodierno usu æstimari debet.

(*b*) Cap. 7. de vita & honest. Cleric. Erat olim tonsura per totum caput, sola capillorum corona in medio relicta, Thomassin P. I. l. 2. cap. 37. sequ. habitus scilicet Romanorum is erat, ut toga longa, capillis resectis & barba rasa sese distinguerent a barbaris, qui brevi & adstricta veste, capillis longis barbaque vel promissa vel rasa incedebant. Romanorum itaque communem habitum retinentes, & ita non generatim a laicis, sed solum a barbaris sese discernentes clerici etiam omnibus, quos e barbaris in clerum receperunt, absciderunt capillos, togamque tradiderunt. Concil. Agath. c. 20. Matisc. c. 5. Tolet. IV. c. 41. Braccar. c. 66. Fleury Institut. Jur. Eccles. P. I. c. 5. §. 1. Quæ ceterum de Tonsuræ initiis nosse oportet, jam præmisimus §. 166. n. b. Et tantum hæc porro notanda, quæ decrevit synodus Tridentina Sess. XIV. cap. 6. de Reform. & Sess. XXIII. c. 6. de Reform. nemp. 1. quod clerici *in majoribus ordinibus constituti aut beneficium habentes*, si ab Episcopo suo moniti, honestum habitum clericalem & tonsuram non portaverint, *& ita vestes clericales abjecisse ac parvi pendisse dici queant*, per suspensionem ab ordinibus, officio, beneficio, fructibus, reditibus & proventibus ipsorum beneficiorum, nec non „ si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum coerceri possint ac debeant, 2. quod clerici in minoribus ordinibus constituti & beneficium Ecclesiasticum non habentes etsi non teneantur ad deferendum habitum & tonsuram clericalem, citra hanc tamen privilegio *fori* (secus igitur de privilegio canonis dicendum) non gaudeant.

(*c*) Cap. 4. de vit. & honest. Cleric.

(*d*) Cap. 2. de vit. & honest. Cleric. intelligendum partim de armis proditoriis, partim de armis more laicorum gerendis, non vero usu armorum in casu, quo se alios, ac patriam non aliter defendere possent (§. 109. n. a.)

§. 283. Exigunt canones iidem; quod ad ædificationem vitæ adtinet; ut clerici 1. non tantum leges de cælibatu sibi perlatas observent (*a*), sed & 2. omnem vitent incontinentiam, & familiariorem cum mulieribus conversationem (*b*) porro 3. omnes scurrilitates & turpiloquia (*c*) atque ut etiam ab horum omnium fomentis sibi, 4. potus cibique moderatione, seu sobrietate (*d*) præcaveant.

(*a*) De cælibatu clericorum hæc notanda

I. Nullo quidem jure divino, nec naturali nec positivo, cælibatum clericis præceptum esse, atque plures sanctos Patres Episcopos & sacerdotes etiam primis Ecclesiæ seculis fuisse conjugatos. Roye Institut. Jur. Can. l. 1. T. 23. de conjugatis clericis, sed velut,

II. Christus castitatem perfectam possibilem demonstravit, & consuluit Matth. 4. 5. 6. 11. 12. eamque exemplum Apostolorum ab uxoribus suis secedentium, ac Paulus commendavit I. Corinth. VII. 1. ita jam,

III. Apostolorum tempore cælibatum conjugio prælatum fuisse, S. Hieron. l. 1. adv. Jovin. Boehmerus Jur. Eccles. Protest. l. 3. Tit. 3. §. 5. neque obstare I. ad Cor. IX. ubi non de uxoribus, sed piis feminis Apostolos secutis sermo est, uti exponunt Tertul. libr. de monog. Hieron. l. 1. in Jov. August. libr. de op. Monach. c. 4. aliique, vide etiam Dist. XXXI.

c. 2.

c. 2. & conf. Ciron. ad Tit. de cohab. mulier. §. 5. Et dum

IV. etiam successores Apostolorum eorundem exemplo inhæsere, inde a primis Ecclesiæ seculis saltem moribus tam apud græcos quam latinos obtinuisse, ut qui ante virgines aut vidui sint ordinati, ad vitam cælibem adstringerentur, quamvis ob majora mala evitanda SS. Patres & concilia consuetudinem græcorum ductas ante ordinationem uxores retinendi toleraverint. Orig. Homil. 23. in lib. num. Eusch. l. 1. demonst. Evang. cap. 9. Cyril. Hierosl. Catech. XII. S. Epiph. hæref. l. 9. Cathac. Socrat. hist. Eccles. l. 1. cap. 8. Quæ antiquitatis testimonia nobis sufficiunt, quin disputemus, num præcepto Apostolico aut synod. Nic. can. III. cælibatus præceptus fuerit. Conf. Alexander Natalis in hist. Eccles. Sec. IV. Diss. XIX. Prop. 2. & 3. Tom. IV.

V. Hanc itaque observantiam non debere suam originem sub finem Seculi IV. Syricio Pontifici, etsi hic primus eam intuitu Episcoporum, Presbyterorum & diaconorum expressa lege firmaverat. Natalis Alexander l. c.

VI. Seculo demum XI. determinatam esse disciplinam, quæ incassum editis Leonis magni & Gregorii Magni constitutionibus hac in parte adhuc fluctuabat circa subdiaconatum, eundemque uti sacris ordinibus, ita legi cælibatus accessisse. Leo M. Ep. 84. c. 4. Gregor. M. l. 1. Ep. 42. Thomassin l. c. cap. 65. §. 3. Et quidem

VII. stabilitum in Ecclesia latina nunc esse

INTUITU CLERICORUM

in majoribus ordinibus.

ut

1. Si attentent matrimonium, id sit invalidum, cap. 1. qui cler. vel vov. matri. Trid. Sess. XXIV. can. 9. de reform.

2. Compellantur mulieres dimittere, & facti pœnitentiam agere, cap. 1. & 2. qui cler. vel vov.

3. Prohibeantur in susceptis ordinibus ministrare, & ad altiores ascendere, cap. 1. qui cleric. vel vov. de qua irregularitate (§. 278. n. I.) capite sequenti dicemus.

4. Ipso facto incurrant excommunicationem latam. Clem. unic. de consangu. non tamen reservatam.

* Possunt tamen seriam pœnitentiam agentes & posthac vitæ probitate se commendantes ex indulgentia Episcopi officio & exercitio ordinis restitui, cap. 4. de Cleric. conjug. Andreas Vallensis Paratit. l. 3. T. III.

INTUITU CLERICORUM

in ordinibus minoribus.

ut

1. Valide & licite quidem contrahant matrimonia, Dist. XXXII.

2. Attamen & ad beneficia posthac obtinenda reddantur inhabiles, & beneficia quæ possident, amittant ipso jure, adeoque absque ulteriore judicis sententia ad restitutionem fructuum a die conjugii perceptorum in conscientia obligentur. Cap. 3. & 5. de cleric. conj. in quibus verba: *spoliandos, privandos, compellendos* non de *jure* & *titulo* beneficii, quibus scilicet jam exciderunt, sed solum de *possessione* intelligi debent. Cæterum veluti hæc sanctio obtinet, etsi *ratum* tantummodo fuerit matrimonium, non tamen obtinet, si matrimonium fuerit *nulliter contractum*, cum tantum de valido matrimonio jura loquantur.

3. Privilegia quoque clericalia amittant, scilicet & immunitatem realem (§. 127. n. b.) & personalem seu privilegium *fori* (§. 112.) & privilegium *canonis*, Caus. XVII. q. 4. c. 49. vi cujus manus violentas in clericorum injicienincurrit excommunicationem summo Pontifici reservatam, & de quo plura suo loco dicemus. Si quidem 1. matrimonio cum unica eaque virgine contracto, 2. Ecclesiæ cuidam de licentia Episcopi deserviant, atque 3. habitum & tonsuram clericorum more deferant, tam privilegium canonis, quam fori in criminalibus retinebunt, cap. un. de Clericis conjug. in 6. Trid. Sess. XXIII. cap. 6.

INTUITU

ordinandorum, qui conjugati sunt.

ut

1. Consentiente uxore, eaque

2. religionem ingrediente vel, si per ætatem de incontinentia suspecta non sit, votum castitatis emittente

3. ipse ordinandus pariter castitatem prius voveat.

* Secus ad ordines etiam minores, vel primam tonsuram non admittendus, Dist. LXXVII. can. 6. cap. 2. de cler. conjug. cap. ult. de temp. ordin. in 6. Trid. Sess. XXIII. cap. 4. 5. & 6. de convers. conjug. unde patet, ut si de facto conjugatus majores ordines reciperet, eum perpetuo ab executione ordinum etiam soluto Matrimonio manere suspensum, Dist. LXI. can. 9. Concil. Nic. cap. 2. Trid. l. c. cl. Schrott l. c. §. 490.

VIII. In Ecclesia autem græca hanc hodie esse disciplinam, ut

1. Episcopo non liceat post consecrationem contrahere conjugium, nedum prius contracto uti.

2. Et-

2. Etiam reliqui manere debeant in cælibatu, si cælibes ad sacros ordines pervenere, & solummodo

3. uxoribus ante ordinationem ductis Inferiores Episcopo cohabitare queant; obligati tamen, ut antequam S. Missam celebrent, vel per hebdomadam vel per triduum saltem ab illis abstineant. Concil. Trul. can. 13. cap. 6. de cler. conjug. Benedict. XIV. Bullar. Tom. I. Bulla 57. de dogm. & rit. ab Italograec. tenend. §. 7. num. 28.

IX. Obligari itaque clericos ad cælibatum non tantum ex voto, sed etiam ex præcepto.

X. Et neque per id quidquam consiliis Evangelicis aut sanctæ veterum disciplinæ contrarium præcipi, neque hoc etiam, quod ex consilio, usque laudabili *præceptum* conditum sit reprobari posse, cum 1. Ecclesiæ libertas sit hosce potius, quam alios ad ministerium admittendi. 2. solum cælibes admittendi rationes in scriptura & antiquitate fundatas habuerit 3. per hoc tam parum aliquis ad cælibatum quam ad ipsum sacrum ministerium cogatur 4. Ministri religionis instructi iis dotibus, quibus veram vocationem probari diximus (§. 278.) adjuvante Deo tantam difficultatem in cælibatu observando non sint habituri, 6. præceptum illud naturale de sobole procreanda & educanda tanquam *affirmativum* requirat occasionem, & hanc excludat munus sacrum, si id ea cum perfectione geratur, quam Salvator & Apostolus cupit, scilicet exoptantes, ut ministri Religionis necessariis vitæ subsidiis contenti non de uxore & rebus mundi, sed unice de Deo & Religionis bono solliciti ac prorsus non divisi sint. Et generatim 7. præceptum de sobole procreanda in collisione suas jure divino naturali innixas exceptiones patiatur, ac ab ipsis etiam laicis, aut occasione simpliciter deficiente aut obveniente majorum officiorum conflictu postponi possit ac debeat. Denique 8. neque doctrina neque lex nostræ Ecclesiæ ita sit concepta, ut si in collisione salus vel totius Ecclesiæ, vel Ecclesiarum particularium postulet, circa præceptum de cælibatu abrogatio, derogatio dispensatione judicio illorum, qui regimine gaudent, obtineri nequeat.

(*b*) Concil. Trid. Sess. 23. cap. 14. de Reformat. ubi clericis non tantum interdicitur apud se detinere concubinas, sed & mulieres quascumque, de quibus haberi posset suspicio; imo cum talibus etiam extra domum habere consuetudinem. Quapropter, ait cl. de Riegger, l. 3. Decret. Tit. II. §. 19. *sustinendum non est, quod habet Pichler Cand. Abbrev. ad h. t. n. 2.* NEC PRO SUSPECTIS PER SE HABENTUR DICTARUM MULIERUM FAMULÆ — NEC VI CONSUETUDINIS COQUÆ VEL ANCILLÆ ETIAM JUNIORES AD REM ŒCONOMICAM CURANDAM NECESSARIÆ. Et saltem tam laxæ doctrinæ sectatoribus quam maxime necessarium existimavi inculcare doctrinam S. Augustini neque cohabitationem cum sorore generatim admittentis *quia feminæ, quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt*. Dist. LXXXI. can. 25. Conf. etiam Andreas Vallensis ad Tit. de Cohab. cler. & mul. n. 2. Pœnas in transgressores synodus Tridentina statuit has

1. *Ut si a superioribus moniti ab ejusmodi mulieribus se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventuum, ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumque & pensionum ipso facto sint privati, quæ fabricæ Ecclesiæ aut alteri pio loco arbitrio Episcopi adplicentur.*

2. *Si in delicto eodem cum eadem, vel alia femina perseverantes secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis adplicentur, sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione, quorum Ordinarius etiam, ut sedis Apostolicæ delegatus arbitrabitur, suspendantur.*

3. *Si vero ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum iis ita versentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis & pensionibus quibuscumque Ecclesiasticis* PERPETUO *priventur, atque* INHABILES *ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis, & officiis in posterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum superioribus, cum iis ex causa visum fuerit dispensandum,*

4. *Si, postquam eas semel dimiserunt intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas excommunicationis gladio plectantur.* Sess. XXV. cap. 14. de Reform.

* intuitu illorum igitur clericorum, qui beneficium non habent, præter excommunicationem, c. 2. de cohab. cleric. & mul. pœna erit arbitraria.

** Ob periculum *perjurii* volunt canones, ut clerici ad concubinas dimittendas quidem, non vero ad *abjurandas* compellantur, cap. 3. eod.

*** Quod in Dist. XXVII. can. 5. & 6. dicitur, nempe concubinarii vel fornicarii clerici missam non audiendam, & Sacramenta ab eo non percipienda esse, ita intelligendum, ut, si habeatur de vitiis hisce *notorium juris*, nempe seu per sententiam aut confessionem in jure factam, seu *notorium facti*, quando scilicet crimen toti populo patet, eo fine talis sacerdotis sacra vitari deberent, ut videns se contemni, ad pœnitentiæ fructum trahatur, cap. 7. & 10. de coh. cler. & mul.

(*c*) Dist. XXXIV. can. 19. XLIV. can. 6. cap. 12.

cap. 12. & 15. de vita & honest. cleric. ubi & prohibetur, *ne clerici mimis jaculatoribus & histrionibus intendant, ipsimet ludos theatrales instituant, & suæ insaniæ ludibria edant*, porro, *ne larvis se tegant, ne ejusmodi cœtibus se immisceant, ubi amatoria cantantur & turpia, aut obscœni motus corporum choreis & saltationibus efferuntur*: adde Dist. V. can. 35. de consecr. quid quod & repræsentationes rerum sacrarum *comice*, quatenus magis scurrilitates quam devotionem excitant, nequeant probari.

(*d*) Hinc clericis prohibetur quoque extra necessitatis casum, & si non in itinere constituti sint, frequentatio popinarum & tabernarum, cap. 14. & 15. de vita & honest. cleric. & Dist. XLIV. porro conviviorum publicorum aut nuptialium, Dist. XXXIV. c. 19.

§. 284. Denique, quod clericos decentia & ideo ipsis per Canones prohibita opera concernit, hæc sunt, 1. lusus omnes, aut fortunæ aut artis, si in maximam & quotidianam praxim deducantur, aut ceteroquin non sine scandalo fiant, (*a*) 2. occupationes mere seculares (*b*) 3. & inter has præcipue etiam *mercatura* (*c*), 4. opera manuum sordida (*d*) atque 5. speciatim *venatio* (*e*).

(*a*) Etsi enim neque ratio canonum, neque Ascetarum doctrina ad lusus licitos interdum & solummodo relaxationis causa susceptos sese extendat: *S. Thomas c. 2. q. 168. artic. 2. in corpore. S. Salesius, Introd. ad vit. devot. f. 3. c. 31.* attamen juxta eos frustra pallio inde sumto sese tegunt ii, qui *quotidiana* tractatione & animum, & affectum lusui applicando hanc recreationem non solum faciunt periculosam, sed & simpliciter malam; aut eam non secundum temporis, loci, personarum, aliasque circumstantias ordinant, aut per id præ aliis studiis clerico dignis apud mundanos homines vel liberalioris conversationis laudem sectantur, vel sui acceptionem promotionemque ita conantur præparare. Inculcat hoc Sanctus Chrys. serm. 15. ad pop. Antioch. in auth. Interdic. cod. de Episc. & Cleric. cap. 15. de vita & honest. cleric. Trid. Sess. 22. c. 1. de reformat. Sancti Caroli I. synod. Prov. p. 2. c. 5. Synodi Burdigal. ann. 1583. c. 21. & Bituricen. ann. 1584. Titul. 25. can. 7. Aquensis 1585. Titul. de vita, & honestate clericor. Avenionen. ann. 1594. c. 32. Narbonen. 1609. quæ synodi chartharum quoque lusum comprehendunt. Conf. etiam cap. 11. de Excess. Prælat. ubi clare reprobatur excusatio a moribus & consuetudine.

(*b*) Veluti sunt officium *procuratoris*, excepta orphanorum & viduarum defensione, aut ceteroquin munus *judicis*, *administratoris*, vel *Præfecti* apud seculares, porro officium *Tabellionis* seu *Notarii publici*, nisi in causa inquisitionis contra hæreticos, multoque magis *ordinatio aciei*, *præfectura machinarum bellicarum* &c. item EXERCITIUM *artis chirurgicæ*, *præsertim per incisionem*, & *adustionem* &c. &c. quibus omnibus intelligitur extremæ necessitatis casus non comprehendi, (§. 109. n. a.). Neque ad occupationes mere seculares refer studium juris civilis, si id non animo se secularibus & forensibus miscendi, sed tantum ad firmanda sibi certa judicia arbitro conscientiæ & bono civi necessaria addiscatur.

(*c*) Distingue inter *mercaturam œconomicam & negotiatoriam*. Illa clerico licet; quatenus unicum est medium necessariam sustentationem sibi comparandi, l. 8. cod. Theod. de Episc. & cleric. Hæc autem, quæ solius lucri causa fit, sub pœna depositionis, excommunicationis, & privilegii clericalis *quoad bona* amittendi prohibetur, Dist. LXXXVIII. Distinct. XCI. can. 4. cap. fin. de vita & honest. cleric. cap. 6. ne cleric. vel monach. Trident. Sess. XXII. cap. 1. de Reform. *Nulli clerico licet cauponariam habere tabernam*, ait synodus Trident. can. 9. & synodus Mechlin. anno 1609. statuit, *ut ex cellis ad capitulorum aut cleri administrationem spectantibus lucra non quærantur*. Tit. 17. cap. 7.

(*d*) V. grat. occupatio macellarii &c. Hac prohibitione itaque non continentur opera manuum honesta, quæ ad otium vitandum aut ex licita œconomia suscipiuntur, quandoquidem ipse Apostolus ait: *quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ*. Act. Apost. c. 20. v. 34. —— *laboramus operantes manibus nostris*, I. ad Cor. cap. 4. v. 12.

(*e*) Distinguunt Canonistæ inter *clamorosam & non clamorosam* venationem, atque hanc quidem licitam, non illam dicunt. Verum num clamor in venatione liceat aut non liceat, intuitu ferarum capiendarum a venatoribus adtendi quidem potest; Attamen clericis, qui a Salvatore *piscatores hominum* facti sunt, magis adtendendum, an non per hanc æque ac illam venationem cura animarum patiatur. Quod quidem contingit certissime, si in venationem abripiatur animus, si præbeantur mala exempla, taceo summa scandala, veluti si ipsis festis diebus, ad quos solum divino cultu transigendos incitandi sunt fideles, iidem ad agitandas feras avocarentur; aut dum generatim *panis*, *qui miserorum & pauperum*

rum victui sufficeret, panis de Reditibus Ecclesiasticis collectus, quod est patrimonium Christi, ad bestiarum cibum indigne transfertur. Conc. Aquilej. an. 1596. Tom. 15. Concil. Lab. Rubr. 11. col. 1501. Et illa quidem, quæ venationem raro non comitantur, clericum indecentia (Fleury Disc. III. in hist. Eccles. §. VIII.) causa sunt, cur illa adeo clericis prohibeatur in cap. 1. & 2. de cler. venat. Concil. Lateran. IV. can. 15. Trid. Sess. XXIV. cap. 12. de Reform. Si indignum est, ut, *qui paulo ante Breviarium manibus tractabant, publice accipitrem deferant; qui cum Angelis in Ecclesia gratiarum actiones & laudes Deo persolvebant, inter canum latratus & multitudinem versentur, & incomptis obstrepant vocibus*, ut ait laud. Concil. Aquilej. quomodo id non erit quam maxime indignum Pastoribus, quomodo non contrarium illi, qua Episcopi eminere debent, sanctitati; quo respicit S. Hieronymus dicens: *Piscatores invenimus sanctos in scripturis sanctis, sed penitus non invenimus sanctum aliquem venatorem*, in Ps. 90. v. 3.

* Sæpius in hac voluntate detentus Episcopus tribus mensibus a communione, Presbyter duobus, Diaconus ab omni officio deponi jubetur, Can. 1. de cler. venat. & Conc. Trid. l. c. etiam in specie canonicos comprehendit. Conf. Van-Espen, de Instit. & off. can. P. II. c. 6. §. 4.

CAPUT IV.

De Irregularitatibus.

§. 285. Quæ præcise tanquam *exercendorum* ideoque & *suscipiendorum ordinum impedimenta regulis Ecclesiasticis* (*a*) determinata sunt, atque hinc pariter a quovis statum Ecclesiasticum adituro antea pernosci debent (§. 278. not. I.) ea vel in commisso delicto (§. 278. n. h.) (*b*) vel etiam in quodam aut animi aut corporis aut fortunæ defectu (*c*) suum fundamentum habent, & vel cujusvis ordinis suscipiendi exercendique jure, vel quodam dumtaxat susceptorum ordinum usu privant (*d*). Unde *irregularitas* I. in *totalem & particularem*, II. in eam, quæ ex *delicto* venit, & eam, quæ ex defectu oritur; porro cum alia, si non dispensatio superveniat (*e*) *perpetuo* duret, alia vero solo lapsu temporis & cum cessante defectu cesset, III. in *perpetuam* & *non perpetuam* dividitur.

(*a*) Et inde compellati sunt illi *irregulares*, qui regulis hisce determinatum impedimentum habent, uti jam dicitur Can. 17. Nicæn. de clerico usuras & turpe lucrum sectante, *deponatur e clero, & fit alienus a canone* id est *a regula*. Conf. Joseph. Gibalin. de irregul. & impedim. Canon.

(*b*) Cum vetus Ecclesia attenderit, ut semper clerici e laicorum sanctissimis seligerentur, talis tum rigor fuit, ut pœnitentia acta de criminibus, horum quidem veniam & receptam communionem, non vero habilitatem ad ordines operaretur. Dist. L. c. 55. Thomassin. de vet. & nov. Eccles. Discipl. P. II. l. 1. c. 56. Sed dein dispensationes introductæ fublestis authoritatibus scilicet Dist. L. c. 14. 16. 18. & Ep. Gregorii M. l. 7. indict. 2. Ep. 54. quæ merito suspecta, quia contraria ejusdem Viri aliis Epistolis, veluti l. 3. Ep. 26. l. 4. Ep. 16. & 17. lib. 6. Ep. 39. lib. 7. indict. 1. Ep. 25. Fleury instit. P. I. c. 4. §. 11. Thomassin. Disc. P. II. l. 2. c. 17. n. 9. P. IV. l. 2. c. 24. n. 22. Introducta quoque distinctio inter crimina publica & occulta, quorum illa irregularitati quidem manent obnoxia, hæc vero sola purgantur pœnitentia, nisi dispensatio speciatim requiratur. Trid. Sess. XXIV. c. 6. de Reform. Hodie itaque ad irregularitatem requiritur, ut delictum, 1. sit consummatum, 2. grave, 3. actum externum involvens, & 4. in id expresse irregularitas jure statuta sit, cap. 18. de sent. Excom. in 6. Non obstat cap. 12. de homicid. ubi dicitur in dubio præsumi debere contractam esse irregularitatem. Enimvero non hic sermo est de dubio circa irregularitatem in hoc illove casu jure statutam, sed de dubio circa factum, num id ad illum casum pertineat; atque tum delicti reus tutiorem semitam eligere & pro irregulari se gerere jubetur, adde c. 5. de cleric. Excom. ministr. *Omnis igitur irregularitas juris est, & nulla facti*; haudquaquam tamen per hoc iis, qui regimine præditi sunt, ademta est potestas, irregularitatem in plura posthac expresso jure statuendi (§. 109. n. b.)

(*c*) Etsi enim defectus non semper queat imputari, non tamen hic imputatio spectatur, sed dignitas muneris, a quo Ecclesia etiam id remotum vult, unde alii quamcumque irrisionis despectus vel sinistræ memoriæ occasionem sibi sumere aut sibi præjudicium fieri conqueri possent. Quapropter etiam in irregularitate *ex defectu non excusat ignorantia*, quæ quidem attenditur in irregularitate *ex delicto*, si tan-

tummodo sit *facti*, non *juris*; veluti si quis se rebaptizari sinat, non quia ignorat irregularitatem in id jure statutam, sed quia ignorat se jam baptizatum esse. Cl. de Riegger P. II. §. 130.

(*d*) Effectus irregularitatis is est

I. QUOAD ORDINES, ut

Antecedens omnis ordinis licite suscipiendi facultatem adimat,

Superveniens vero privet aut *omni ordinis suscepti usu*, siquidem ex *delicto* venit, aut *eo tantum*, quem impedit *defectus*.

II. RATIONE BENEFICII, ut impediat,

Totalis ab omni beneficio,

Partialis autem ex defectu a beneficio, quod usum defectui repugnantem exigit.

* Verum hodie *contra pristinam disciplinam irregulares suis beneficiis non censentur esse privati, nec ab eorum functionibus suspensi, modo ab ordinum functionibus abstineant, nisi specialiter in jure fuerit expressum*. Cap. 1. de homicid. in 6. Van-Espen P. II. S. I. T. X. c. 1. §. 10. & seq.

(*e*) *Liceat*, dicitur in Concilio Tridentino, *Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscumque casibus occultis, etiam sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ, eis tantum, non eorum vicariis, sit permissum*. Sess. XXIV. cap. 6. de Reform.

* Ipsa lege jam continetur dispensatio circa irregularitatem ex defectu natalium, si eo laborans emittat professionem monasticam, quæ tamen dispensatio tantum ad ordines suscipiendos, non etiam ad dignitates personatus aliaque beneficia hujusmodi obtenta pertinet, Cap. 1. de fil. Presb. Cl. de Riegger l. c. §. 132.

** Patet, quod si proveniat irregularitas ex delicto, quatenus id subjectum potestati civili, ejusdem quoque indulgentia ad illam tollendam opus esse. Roye Instit. L. III. Tit. XVI. sub finem.

286. Irregularitatem ex delicto incurrunt 1. omnes infames infamia juris (*a*); 2. Hæretici, Apostatæ, Schismatici (*b*), 3. rebaptizantes alium aut se rebaptizari passi (*c*), 4. qui circa ordines vel in suscipiendo (*d*) vel in exercendo (*e*) delinquunt (*f*), 5. occidentes aut mutilantes quempiam voluntarie & sine jure (*g*), 6. qui sponte & extra necessitatis casum aut ipsi se mutilabant, aut ab aliis se mutilari patiebantur (*h*).

(*a*) Necesse vero est, ut judiciario ordine comprobata vel alias notoria sint, Cauf. VI. qu. 1. can. 10. cap. fin. de tempor. ordin. nisi crimen jam per se inducat irregularitatem, tum enim hoc ex ejusmodi etiam occulto delicto nascitur.

(*b*) Dist. L. can. 69. cap. 9. 15. de hæret. cap. 8. §. 2. eod. in 6. Quatenus tamen hæc irregularitas etiam illorum filios ad secundam usque generationem attingit, intuitu religionum toleratarum in Germania non servatur.

(*c*) Cap. 2. de Apostat. & reit. bapt.

(*d*) V. g. Si ordines suscipiuntur in Excommunicatione majori; aut sacri ordines eadem die, vel duabus quidem, sed continuato jejunio; aut furtive, de quo mox dicemus; aut simoniace, aut per saltum, aut ab Episcopo, qui renunciavit loco & dignitati; vel qui hæreticus, Schismaticus, interdictus, suspensus, depositus, degradatusve est.

(*e*) Delinquitur circa ordines in exercendo 1. si ministratur in ordine non suscepto; 2. si quis ordinem exercet excommunicatus, interdictus, suspensus, aut si quis celebrat in loco interdicto.

(*f*) Cap. 32. de sent. excomm. cap. 13. de tem. ordin. cap. 1. de eo, qui furt. Ord. susc. cap. 1. de ordin. ab Episc. qui renunc. Episc. cap. unic. de cler. per saltum prom. cap. 1. de cleric. non ordin. ministr. cap. 34. de cler. excommun.

(*g*) Cap. 6. 7. 10. 11. 12. & 13. de homic. clem. unic. de homic. Concil. Trid. Sess. XXIV. de Ref. distinguitur ergo hodie secus ac olim inter homicidium necessarium, voluntarium & casuale. Parum vero refert, seu quis ipse patraverit homicidium, sive ejusdem causa mediata fuerit; cum ratio canonis respiciat delictum, & id cæteris paribus causæ mediatæ etiam magis imputetur. Conf. cl. de Martini de lege Naturali cap. 5.

(*h*) Cap. 1. de corp. vitiati.

§. 287. Ex defectu animi irregulares sunt 1. Neophyti, 2. Clinici, (*b*) 3. Bigami, quorum alii *veri* (*c*), alii *interpretativi* (*d*), alii *similitudinarii* (*e*), 4. causarum criminalium ministri (*f*), 5. occidentes mutilantesve aliquem facto proprio, etiamsi jure fiat (*g*), 6. mentis, vel morbo (*h*) vel ignorantia, (*i*) affectæ (*k*).

(*a*) I.

(*a*) I. ad Tim. III. Dist. 61. can. 4.

(*b*) Qui ægroti decumbentes baptizati sunt, & quorum fidem ac probitatem vel ideo, quia baptismum eo usque distulerunt, veteres suspectam habebant. Cyprian. Epist. 69. Fleury Instit. P. I. c. 4. §. 6.

(*c*) Bigami *veri* in jure Canonico quoad irregularitatem habentur etiam ii, qui cum *duabus* successive matrimonium *valide* contractum consummarunt, Dist. XXXIV. can. fin. cap. 5. de Bigam. non ord. Et irregularitatis quidem hujus statuendæ rationem desumsere ex illo Apostoli: *Oportet autem Episcopum esse unius uxoris virum — diaconi sint unius uxoris viri*, I. ad Tim. III. 2. 5. 9. 12. dum tamen Apostolus forte potius ad binas nuptias eodem tempore constitutas respexit, ut ait Franc. de Roye Inst. l. 3. Tit. 16. provocans ad l. 1. & 12. ff. de his qui not. Inf. l. 35. ff. de donat. int. vir. & mul. nec non ad illam Ethnicis & Judæis tum familiarem consuetudinem uxorem repudiandi, aliamque ducendi, quod sicuti christiana lege prohibitum, ita speciatim tanquam impedimentum suscipiendorum ordinum illico statutum fuit. Quidquid sit, id certissimum est, Bigamiam etiam in sensu juris Canonici aliter a græcis, aliterque a latinis in fundamento suo consideratam esse. Illi enim *defectum continentiæ* pro fundamento posuere; hi vero *defectum perfectæ repræsentationis unionis Christi cum Ecclesia*, *unius cum sponsa unica*, ad Ephes. V. 23. Ep. Innocentii I. ad Victric. Episc. Rothomag. cap. 6. S. Augustinus in l. de bono conjug. cap. 18. S. Leo Ep. 1. cap. 2. vid. c. 3. & 4. de Bigam. Sed etiam Thomassin. de vet. & nov. Eccles. discipl. P. II. l. 1. c. 78. §. 8. ait: *mystica illa contemplatio & imitatio Christi, unam virginem sibi castam Ecclesiam desponsantis nec dum vel Pauli vel aliorum tunc doctorum Ecclesiæ oculis observabatur*.

* Antiqui canones bigamos tantum repellebant ab ordinibus sacris, non a minoribus, ad quos serius hæc irregularitas producta.

** Disputatum, an is quoque irregularis, qui unam uxorem ante baptismum habuit, alteram postea. Græci negabant, & cum iis Hieronymus ob labem incontinentiæ baptismo sublatam; latini vero non in causa morali, sed mystica fundamentum hujus irregularitatis collocantes affirmabant, & cum hisce Augustinus, cum Baptismus peccata, non nuptias tollat. Vid. cap. 1. 2. & 3. XXVI.

(*d*) Ex prædicta repræsentatione unionis Christi cum Ecclesia una & casta *virgine* subinde bigamis *interpretative* adnumerabantur etiam ii, qui matrimonium consummarunt cum tali, quæ seu *culpa* sua sive *vi*, vel *ante* vel *post matrimonium* ab *alio* cognita fuit. Dist. 33. can. 1. 2. Dist. 34. can. 11. & 12. cap. 1. 3. 5. de Bigam. non ordin.

(*e*) Denique cum ii, qui solemni castitatis voto obstricti matrimonium attentarunt & consummarunt, ad *similitudinem* Bigamorum punirentur, delictum hoc & bigamiæ similitudinariæ nomine & irregularitate notabatur. C. 4. & fin. de Bigam. non ord. cap. 2. & 4. de cler. conjug.

* Episcopus scienter ordinans Bigamum suspenditur posthac a collatione ordinum bigamo collatorum, & integro anno a celebratione Missæ; & ordinatus, si sit in minoribus ordinibus, amittit privilegia clericalia una cum facultate habitum & tonsuram clericalem deferendi, Dist. LV. can. 2. c. 2. de Big. c. unic. eod. in 6.

(*f*) Caus. XXIII. q. 8. cap. 29. 30. cap. 5. 9. ne cler. vel monach.

(*g*) Dist. LI. cap. 1. Thomassin. l. c. c. 68. Espencæus l. 2. Digr. n. 6. Est hujus & prioris ratio in *lenitate & mansuetudine* singulari, quam Ecclesia ita palam commonstrare intendit.

(*h*) Ut sunt lunatici, furiosi, dæmoniaci &c. Dist. XXXIII. can. 3. & 4.

(*i*) Dist. XXXVI. c. 1. (§. 109. not. d.)

(*k*) Addunt irregularibus ex defectu animi *non baptizatos & feminas*; sed qui alioquin alicujus juris non capaces sunt, proprie non dicuntur eo privari.

§. 288. Ob corporis defectus inter irregulares collocantur, quibus 1. corporis integritas sacris functionibus peragendis necessaria (*a*), 2. structura nec risum, nec horrorem movens (*b*), 3. valetudo (*c*), 4. ætas requisita (*d*) deest (*e*).

(*a*) Hinc ordinari nequeunt *surdi*, *cæci*, *muti*, destituti *manu* aut *digito* ad frangendam hostiam necessario, vel nimium *tremuli*, *abstemii* prorsus a vino, adeo *claudi*, ut nequeant ad altare consistere. Dist. XXXVI. c. 1. c. 2. de cler. ægrot. cap. 6. de corp. vitiat. non ordin.

(*b*) Arceantur ob structuram corporis *pigmæi*, enormiter *gibbosi*, *aure mutilati*, *carentes oculo*. Dist. LV. can. 13. cap. 2 & ult. de corp. vit. non ordin. cap. 2. de cleric. ægrot.

(*c*) Ex causa valetudinis ab ordinibus interdicuntur *leprosi*, *paralitici*, *Epileptici*, laborantes morbo *comitiali*, quem vulgo dicimus *caducum*, Caus. VII. q. 2. c. 1. 3. & 4. de cleric. ægrot. & sufficit, si hoc morbo semel laboraverunt. Dist. XXXIII. c. 3. 4.

(*d*) Ad *primam tonsuram*, *lectoratum*, *ostiariatum*, & *exorcistatum* requiruntur anni septem; ad acolythatum duodecim completi.

Dist. XXVIII. cap. 5. Dist. LXXVII. cap. 2. nec obstat Dist. LXXVIII. c. 1. ubi non sermo est de receptione ordinum, sed de exercitio, quod arbitrio Episcopi relinquitur. Ad *Subdiaconatum* annus ætatis vigesimus secundus. Ad *Diaconatum* vigesimus tertius. Trid. Sess. 23. de Reform. c. 12. Ad *Sacerdotium* annus ætatis vigesimus quintus. Ad *Episcopatum* trigesimus. Trid. l. c.

* Olim ad subdiaconatum octodecim; ad Diaconatum viginti, ad Sacerdotium triginta anni requirebantur, vid. clem. ult. de æt. & qualit. & ord. præfic. imo vide, quæ supra retuli (§. 109. n. c.)

** Etsi autem ante legitimam ætatem recipiens ordines, fiat irregularis, canones tamen non obstant, quo minus valide ordinem, adeoque etiam characterem recipiat.

*** Si rigor & doctrina juris spectetur, quam certissime tempus jure requisitum ad momentum debet esse completum. Non obstat l. 12. ff. de statu hom. quod enim ibi *expresse* in favorem liberorum dicitur, non est ratio extendendi ad clericos. Etenim his solum ideo, quia ante legitimam ætatem ad ordines aspirant, concedendus favor cedere debet favori totius Ecclesiæ, cujus interest non ordinari destitutos illa ætate, quæ ad perpetuum Ecclesiasticum statum, ad tantum ministerium, ad conscientiæ forum recto gravique judicio tractandum omnino requiritur.

(*e*) Ex vitiis corporis occultis non quidem contrahitur irregularitas, exceptis *Eunuchis* voluntarie talibus, qui quidem ex delicto sunt irregulares, (§. 286.) & *hermaphroditis*, Dist. XXIII. can. 2. Ceterum sicuti in occultis, ita etiam in minus notabilibus vitiis, aut in iis, quæ sibi quis ex *simplicitate* contraxit, dispensare potest Episcopus, alioquin gaudens facultate judicandi de defectu corporis, num talis sit, ut inducat irregularitatem, Dist. XXXIV. can. 3. Caus. VII. q. 2. can. 2. cap. 1. 2. & 4. de corpore vit. non ordin. Trid. XXIV. de Reform. c. 6.

§. 289. Denique ob defectus fortunæ seu status externi irregulares fiunt 1. non legitime nati (*a*), 2. servi & adscriptitii, propriive homines (*b*), 3. quibus deest certitudo congruæ sustentationis (*c*), 4. obligati ad ratiocinia (*d*).

(*a*) Veteribus hæc irregularitas incognita fuit Dist. L. Et seculo demum XI. ut clericorum potissimum in Anglia & Germania invalescens incontinentia suosque illegitimos filios in beneficia Ecclesiastica intrudendi studium reprimeretur, statuta fuit ab Urbano II. in filios Presbyterorum aliorumque in sacris ordinibus constitutorum: *nisi aut in cœnobiis aut in canonicis religiose probati, fuerint conversati*. Dist. LVI. can. 1. Sed cum etiam laici potentiores suos non legitimo toro natos ministeriis Ecclesiæ obtruderent, eadem irregularitas in synodo Pictaviensi sub Paschali II. can. 9. & pluribus deinde aliis canonibus, ad quoscumque illegitimos partim ob dignitatem muneris & status clericalis, partim ex detestatione paterni criminis, partim ex timore paternæ incontinentiæ extendebatur. Cap. 1. de fil. Presbyt. Imo etiam obtenta dispensatione super natalium defectu filius illegitimus nequit in illa Ecclesia, in qua pater beneficium habuit, ullum beneficium, officium aut ministerium vel obtinere vel retinere. Cap. 2. 3. 4. 15. 16. de fil. Presb. Concil. Trid. Sess. 25. de Reform. cap. 15. Quamquam legitimis quoque Presbyterorum liberis non permittitur, ut in ipsius patris beneficium *immediate* succedant, propterea quod Ecclesia remotam velit omnem etiam speciem successionis hereditariæ, quæ quidem non ita aderit, si alius possessor fuerit medius, aut Pater filii legitimi beneficium immediate consequatur cap. 7. 12. & 17. de fil. Presb. Trid. Sess. XXV. de Ref. cap. 7. Declar. Card. 22. Dec. 1594. Tollitur autem irregularitas ista 1. Professione Religiosa (§. 385. n. c.) 2. legitimatione per subsequens matrimonium, etiam quoad dignitates Ecclesiasticas excepta *Cardinalitia*, 3. Legitimatione per rescriptum Ecclesiasticum, 4. dispensatione, quæ quidem est adeo strictæ interpretationis, ut sub beneficio, tantum simplex non *curatum*, aut *dignitas* intelligatur; attamen si ad SS. ordines data sit, hoc ipso saltem porrigitur ad beneficium simplex, cum ordo & beneficium necessitate tituli sint conjuncta, cap. 1. de fil. Presb. cap. 6. qui fil. legit. de Roye loc. cit. Schrott loc. cit. §. 559. Engel de fil. Presb. n. 7. & 8.

* Dispensatio in hac irregularitate ad *minores ordines & beneficia simplicia* & ab Episcopo & a capitulo cathedrali sede vacante (§. 314. n. d.) obtineri potest. Imo, si sit nativitas illegitima occulta, ad majores quoque ordines dispensat Episcopus (§. 285. n. e.).

(*b*) 1. Dignitas muneris & status clericalis. 2. detrimentum domini & inhabilitas Ecclesiæ simul simulque domino debita servitia præstandi. 3. Degeneres plerumque servorum mores hujus irregularitatis causa sunt. Dist. 54. can. 1. & 21. 23. Et quidem ex ratione servitiorum Ecclesiæ præstandorum irregulares quoque non esse non poterant liberti, a quibus Domini in manumissione talia officia sibi reservarunt, quæ cum ministerio Ecclesiæ consistere nequeunt. Dist. LV. can. 7. & 24.

* Domino, quo invito servus ordinatus est, cano-

canones quidem ita consulunt, ut 1. repetenti Domino debeat simpliciter restitui, si tantum ordines minores adeptus sit, 2. Episcopus conferens invito Domino majores ordines tali, quem scit esse servum, hoc quidem statim effecto libero ad duos servos æque bonos vel eorum æstimationem Domino teneatur, 3. servus sua culpa & ex malitia subdiaconatum vel Diaconatum recipiens invito Domino, eidem vel servum æqualem vel sui æstimationem præstare debeat, secus repetenti Domino restituendus. 4. Sacerdotio initiatus in servitutem quidem revocari non possit, amittat tamen peculium, aut hoc deficiente ad operas saltem *canonicas* Domino maneat obligatus. Dist. LIV. c. 9. 10. 19. cap. 1. 2. & 17. de serv. non ordin. Schrott l. c. §. 566.

** Sed & de Monachis statutum, ut *nullus ad Ecclesiasticum officium ex monasterio producatur monachus, nisi quem Abbas loci admonitus propria voluntate obtulerit Episcopo — Et si quis de alterius monasterio repertum vel ad clericatum promovere voluerit, vel in suo monasterii majorem monasterii constituere, Episcopus, qui hoc fecerit, a cæterorum communione sejunctus suæ tantum plebis communione contentus sit, & ILLE NEQUE CLERICUS NEQUE PRÆPOSITUS PERSEVERET*. Dist. LVIII. cap. 1. & 2. Adde Concil. Agath. c. 27.

*** Porro curiales, imperiali nempe revocationi etiam post ordinationem subjectos non ordinare licuit. L. 20. c. de Discess. Dist. LI. c. 2. & 3. Conf. Ciron. Paratit. Tit. 19. §. 4. P. Oberhauser Præl. can. de oblig. ad rat. §. 4. & seq.

*** Cessat hæc irregularitas consensu Domini vel *expresso* per manumissionem, vel *tacito*, si scilicet Dominus *sciens* conniveat, aut se quidem ignorante ordinatum per anni spatium non repetat. Dist. LIV. can. 20.

(*c*) Circa hoc ita statutum est a Concilio Trid. Sess. XXI. cap. 1. de Reform. *Cum non deceat eos, qui divino ministerio ascripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere; compertumque sit, complures plerisque in locis ad sacros ordines nullo fere delectu admitti, qui variis artibus, ac fallaciis confingunt, se beneficium Ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere; statuit sancta synodus, ne quis deinceps clericus secularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia & ætate, ad sacros ordines promoveatur; nisi prius legitime constet, eum, beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus: neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde commode vivere possit; & aliter facta resignatio nulla sit &c. Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum; eo quoque prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint; atque deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut exstingui vel remitti nullatenus possint, donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti; vel aliunde habeant, unde vivere possint: antiquorum canonum pœnas super his innovando*. Concilium quidem Chalcedonense can. 6. *absolutas* ordinationes seu tales, quæ non fierent ad ministerium certæ Ecclesiæ, ex cujus reditibus ordinatus sustentari posset, *irritas* declaravit. Nempe *de Sacramento ordinis* ait Morinus *analogice dicendum, quod de matrimonio & pœnitentia, quorum materias videmus Ecclesiam sæpe sub interminatione irriti Sacramenti restrinxisse, dilatasse vario tempore, variis modis determinasse*. Part. 3. Exerc. 5. cap. 9. Quibus subjungit Van-Espen: *ad illa non reflectens Glossographus apud Gratianum, eumque secuti recentiores canonistæ & Theologi hunc similesque canones invaliditatem ordinationis præseferentes interpretantur de nullitate non absoluta, sed tantum quoad executionem, id est, quod ordinatus nequeat licite exequi, seu obire functiones ordinis suscepti; quamvis valide sit ordinatus; ideoque si functiones illicite & contra Canones obiret, equidem exercet valide. Quidquid sit de occasione introductæ* MODERNÆ ECCLESIÆ DISCIPLINÆ *certum est* EA JAM RECEPTA ET AB ECCLESIA NON IMPROBATA *nequaquam de validitate similium ordinationum, licet attentatæ sint contra canones, esse dubitandum; nec eam validitatem in dubium revocandam*, TAMETSI PRISTINI CANONES INVALIDITATI AMPLIUS FAVERE VIDEANTUR. *Disciplinam contra absolutas ordinationes aliqua ex parte renovavit synodus Tridentina Sess. 33. cap. 16. de Reform. quippe statuit*, UT NULLUS IN POSTERUM ORDINETUR, QUI ILLI ECCLESIÆ AUT PIO LOCO, PRO CUJUS NECESSITATE AUT UTILITATE ASSUMITUR, NON ADSCRIBATUR, UBI SUIS FUNGATUR MUNERIBUS, NEC INCERTIS VAGETUR SEDIBUS. *Non dicit, ordinationem aliter factam esse invalidam, irritam aut cassam*: EO QUOD TEMPORE HUJUS SYNODI ECCLESIA HUJUSMODI ORDINATIONES LICET ILLICITAS, REPUTARET VALIDAS. Schol. in can. 6. Chalced. In similibus igitur semper adtendendum, an non a regula illa generali, *quod lex prohibens etiam sit irritans* (§. 243.) aut expressa & spe-

specialis voluntas Rectorum Ecclesiæ, aut observantia exceptionum faciat. Unde etiam jam lux clarior affunditur iis, quæ dicta sunt supra (§. 109. n. b.) Atque ex allata doctrina Morini & Van-Espen porro semper hæc corrollaria sequuntur; 1. aliud esse: *valide collato ordini negare characterem indelebilem*, aliud: *negare adversus legem legi chalcedonensi similem validum ordinem ac proinde characterem indelebilem conferri & recipi posse*. 2. Ex antiquis quidem constitutionibus non concludi posse, hodiedum quoque ita ut olim erat, esse, aut esse debere, attamen 3. nihil obstare, quominus pro potestate & arbitrio eorum, qui actiones nostras, ut cum præfixis finibus concordent, regendas accepere, iterum ad pristinam disciplinam redeatur.

* Quemadmodum clerici seculares ordinantur vel ad titulum *Beneficii*, vel *patrimonii*, vel *pensionis*, cujus vices subit *titulus mensæ*, quo sustentatio clerico promittitur, donec ad beneficium Ecclesiasticum promoveatur, ita regulares vel tanquam alendi ex monasterio vel ad titulum paupertatis ordinantur. Caus. V. constit. Rom. vid. Zech. de Hierarch. Eccles. Tit. VI. §. 8. & 11.

(*d*) Cum suspecta apud tales sit vocatio, an non scilicet tantummodo ratiocinia & forum civile fugiendi causa ad ordines aspirent, atque Ecclesia ab omni favore doli & damno aliis inferendo sit remotissima, jam antiqui canones hanc irregularitatem continent. Vide can. 8. Concil. Carthagin. ann. 345. Conf. etiam Dist. LI. can. 1. & 3. cap. 1. de obligat. ad ratioc. Ad ratiocinia autem obligati sunt alii ex administratione *publica*; alii ex *privata*. Et si ordinentur tales, 1. ad satisfactionem obstricti manent etiam cessione bonorum, salvo tantum beneficio competentiæ, cap. un. de oblig. ad ratiocinia, cap. 3. de solut. 2. Episcopus, qui sciens tali ordines contulit, in subsidium conveniri potest, Dist. LIV. can. 19.

* Veluti administratio rerum Ecclesiasticarum aut cura personarum miserabilium a clericali statu non aliena est, ita etiam ad hujusmodi administratores & curatores hæc irregularitas sese non extendit. Dist. LXXXI. can. 25. Caus. XV. q. 7. can. 22.

CAPUT V.

De ordinatione Clericorum.

§. 290. Doctrina tam de requisitis ad statum clericalem (§. 277. quam de ejusdem impedimentis (§. 285.) præcognita, progredimur nunc ad leges circa ipsam *ordinationem*, seu illum *actum quo persona habili per legitimam authoritatem sub legitimis ceremoniis ac ritibus potestas clericalis conceditur* (*a*).

(*a*) Ordinatio igitur est actus, quo ordo confertur, quamquam sæpius *ordinatio* & *ordo* promiscue accipiatur.

§. 291. Et quidem, quin aut de Sacramento Ordinis (*a*) aut de gradibus, quos in Hierarchia ordinis habemus (*b*), aut etiam de ritibus in collatione ordinum adhiberi solitis (*c*) ea dicamus, quæ ad studium nostrum prorsus non pertinent, vel repetamus illa, quæ ad pernoscendos singulos gradus Ministrorum Religionis jam supra (§. 164. 165. 166.) adferri debebant, solummodo hic indagabimus, quid porro jus nostrum I. de Ministro Ordinis, II. de temporibus ordinationis, III. de loco conferendorum ordinum, IV. de examine ordinandorum, V. de unctione ad ordinationem pertinente, ac denique VI. de charactere & effectu ordinationis determinata contineat.

(*a*) *Signum externum ac visibile* in impositione manuum tanquam materia, & oratione tanquam forma; Act. XIII. hisce adnexa *promissio gratiæ*, Joann. XX. II. ad Timoth. I. 6. *Institutio seu mandatum Christi*, Actor. XIII. de Sacramento Ordinis per Christum instituto nos dubitare non sinunt. Syn. Trid. Sess. XXIII. can. 3. Quamquam autem ordinatio tantum strictius accepta & quatenus solis ordinibus ab ipso Christo institutis convenit, sit verum Sacramentum novæ legis, cl. de Riegger, P. II. §. 545. cl. Schrott l. cit. §. 442. ordinum tamen etiam minorum quilibet suam specialem *materiam*, & quidem *remotam*, seu id quod ordinem suscipienti traditur, ac *proximam* seu traditionem & acceptationem materiæ remotæ, nec non specialem *formam*, seu verba ab ordinante in traditione & acceptatione proferenda habet, uti colligi potuit supra §. 166. Conf. Rupprecht, Not. Hist. ad lib. 1. Decret. Tit. XI.

Tit. XI. ubi §. 2. docet, ex can. 3. & 4. Concil. Carthagin. IV. formam Presbyteratus æque ac Diaconatus *essentialem* in impositione manuum, *accidentariam* vero in traditione calicis & Evangelii consistere; neque obstare decretum Eugenii IV. pro Armenis soluto jam Concilio Florentino, atque Armenos tantum de formis & materiis in Ecclesia latina usitatis instruendi causa editam.

(*b*) Ea ratione, qua aliqui plane minores ordines a Christo institutos demonstrare volunt, scilicet deducendo 1. *ostiariatum* ab illis ementibus & vendentibus ex templo ejectis, 2. *Lectoratum* a Prophetia Isaiæ in medio seniorum synagogæ a Christo lectæ, 3. *Exorcistatum* a dæmonum expulsione per Christum facta. 4. *Acolythatum* ab illis verbis: *Ego sum lux mundi*, profecto ex pluribus aliis factis Salvatoris ad institutos plures alios ordines concludendum foret. Conf. Morin. de SS. Ordin. P. III. Exercit. 14. cap. 1. Van-Espen, J. E. U. P. II. Titul. IX. §. 4. seq. ubi simul exponitur, nec subdiaconatum ex Canone 42. Canonum Apostolorum utpote apocryphorum, aut ex Epistola S. Ignatii ad Antiochenos utpote sublestæ fidei contra Dist. XXI. c. 1. ad Apostolicam institutionem referri posse.

(*c*) Quamquam fontes rituum in Ecclesia sunt leges ac consuetudines Ecclesiasticæ, has tamen singulas, quatenus ejusmodi ritus continent, maximam partem peculiari rituum sacrorum studio lubentissime relinquimus.

§. 292. Cum Episcopis propria sit potestas ordinandi (§. 164. not. d.) & hinc quoque genuina privilegia *ordinationem strictius acceptam* (§. 291. n. a.) peragendis aliis concessa esse non legantur (*a*) ad majores ordines, I. ut valeant, Episcopus (*b*) & quidem II. ut etiam licite conferantur, Episcopus *proprius* (*c*), vel facultas *alienum* Episcopum adeundi (*d*) requiritur. Et talis quidem, qui Episcopus non est, etiam minores ordines sine privilegio aut delegatione (*e*) nec valide nec licite conferre poterit.

(*a*) Benedictus XIV. de Synodo Diœc. l. 7. cap. 24. §. 5. Van-Espen, P. II. Tit. IX. Zallwein de Hierarch. Eccles. q. 2. §. 8.

(*b*) Valet sane etiam ordinatio ab Episcopo, qui hæreticus factus, vel excommunicatus suspensus depositus est, vel Episcopatui renunciavit; sed ordinatus suspensionem ab executione, & usu ordinis ita incurrit, ut *scienter* ordinatus dispensationem a Pontifice, *ignoranter* ordinatus dispensationem a proprio Episcopo petendam habeat, Cap. 1. & 2. de ord. ab Episc. qui renunc. Qui obstant canones ordinationem irritantes veluti Caus. I. q. 1. c. 68, 72. Caus. IX. q. 1. c. 1. 2. 3. &c. aut *irritum* non stricto accipiunt sensu, aut de hæreticis, qui Episcopi non sunt, aut ad normam Canonis 6. Concilii Chalced. (§. 289. n. c.) debent intelligi. Conf. P. Zech. Hierarch. Eccl. T. 6. §. 13. Oberhauser Præl. can. ad Tit. XVII. l. 1. §. 7. seq.

(*c*) Olim quisque illum Episcopum sibi habebat proprium, a quo primam accepit ordinationem, atque ab eodem jam porro reliquos ordines suscipere tenebatur. Sanctus Augustinus Ep. 140. & 141. cum nempe Episcopus clericum non nisi ad aliquam Ecclesiam suæ Diœceseos ordinare potuerit, (§. 289. n. c.) & clerici ordinatione Episcopo subjiciantur, S. Hieron. in Epist. ad Joan. Hieros. Fundamentum, quo canones recentiores Episcopum proprium exigunt, videtur potissimum in eo consistere, ut clerici ordinentur ab Episcopo, qui eos, num digni sint, quam maxime cognitos habet, & hinc I. finiunt esse proprium vel ratione *originis* Episcopum loci, in quo domicilium fixum habuerunt parentes ordinandi, cum is nasceretur, vel ratione *domicilii* Episcopum loci, ubi quis perpetuo mansurus, nisi quid avocet, suam sedem fixit, vel ratione *beneficii* Episcopum loci ac Diœcesis, ubi ordinandus beneficium congruæ sustentationi sufficiens possidet, vel denique ratione *familiaritatis & commensalitii* Episcopum illum, quocum quis trium annorum intervallo commorabatur (etsi familiaritas inchoata fuerit ante Episcopatum) & simul spem ab eo mox beneficium adipiscendi, simulque ab Episcopo originis & domicilii testimonium super natalibus moribus & ætate habeat. Trid. Sess. XXIII. de Reform. cap. 9. & Bulla Innocentii XII. *speculatores* II. finiunt jam diversos ordines a diversis Episcopis suscipi, modo quisque aliqua ratione ex allatis sit proprius excepto casu cujusdam ordinis a summo Pontifice accepti, quo scilicet, ut reliqui ordines subinde ab alio sine irreverentiæ macula suscipiantur, speciali licentia opus est, Cap. 12. de temp. ordin.

(*d*) Facultas hæc continetur vel

I. *Quodam privilegio Apostolico*, quale quidem nec ante Sec. XII. cognitum, nec initio alia quam deficientes vel negligentes Episcopos supplendi causa datum fuit. Van-Espen I. E. U. P. II. Tit. XI. Concilium Tridentinum hisce privilegiis hosce limites posuit, ut 1. legitima adsit causa, 2. hæc in literis exprimatur, 3. Ordinatio fiat ab Episcopo in sua Diœcesi residente aut pro eo Pontificalia exercente 4. diligenti prævio examine ac 5. testimonio

monio ordinarii de probitate ac moribus. Seff. 8. cap. 11. & Seff. 23. c. 3. de Reform. Neque obstat Pii V. Bulla *Etsi mendicantium*, qua concessum, ut fratres mendicantes a quovis Antistite gratiam & communionem Apostolicæ sedis habente ordines recipere possint. Enimvero Pii V. successor Gregorius XIII. per Bullam *in tanta* denuo hoc privilegium ad terminos Concilii Tridentini reduxit. Schrott l. c. §. 487.

II. *Literis*, quas *dimissorias* vocant, quibus scilicet *a proprio Episcopo datur licentia scripto expressa adeundi alium Episcopum recipiendi ordinis causa*. Hujusmodi literæ vel sunt *generales*, vi quarum a quocumque Episcopo, modo idoneus sit, ordines recipi queunt, vel *speciales*, quibus determinatur Episcopus, quem ordinandus accedere debeat; universe autem potestas dandi literas dimissoriales inter specialia Episcopalis Jurisdictionis (qua quidem de causa sufficit, si Episcopus *confirmatus* etsi nondum *consecratus* sit) adeo pertinet, ut nec competat 1. *Vicario generali* citra speciale mandatum aut remotam Episcopi absentiam. Cap. 3. de temp. Ord. in VI. nec 2. *Prælatis inferioribus*, Trid. Seff. 23. c p 10. de Reform. nec 3. *Capitulo Sede vacante* nisi infra annum & ad arctatos ratione beneficii (§. 214.) not. c.)

* Literæ dimissoriæ non expirant quidem morte concedentis, quandoquidem *ipsa facultas adeundi alienum Episcopum* jam est *gratia facta*, non demum facienda. Propterea tamen successor Episcopus concessas ab antecessore dimissorias literas, quæ nondum executioni datæ sunt, ex justa causa edicto generali revocare potest. Schrott l. c. §. 485.

** Literæ dimissoriæ hactenus expositæ discernendæ sunt

1. a *dimissoriis in sensu antiquo*, quibus clerici a suo Episcopo absolute dimittebantur, ut alterius Diœcesis ac Ecclesiæ Catalogo adscribi possent. Concil. Carthag. I. cap. 5. Trul. can. 17.

2. a *commendatitiis*, seu *testimonialibus*, quibus simpliciter Clerici scientia ac mores testimonio proprii Episcopi aliis commendantur.

3. a *formatis*, in quibus fit fides publica de collatis ordinibus.

** Episcopus alienus quempiam literis dimissoriis destitutum ordinans a conferendis ordinibus, & ordinatus ab exercitio ordinis non secundum canones suscepti suspenditur; Capitulum vero, si potestate sua abutatur, subjicitur interdicto cap. 2. de temp. ord. in 6. Concil. Trid. Seff. 23. c. 8. de Reform. cl. de Riegger l. c. §. 554.

(e) Gaudent privilegio primam tonsuram ordinesque minores conferendi Cardinales tantum Presbyteri, quoad Ecclesias sui tituli; & Abbates si sint sacerdotes, solemniter benedicti, & usum Pontificalium habentes, quoad *suos subditos regulares*, non itaque quoad laicos, aut Novitios. Non obstat cap. 3. de Privileg. in 6. Enimvero Concil. Trid. seff. 23. cap. 10. rediit ad priores limites; vid. Dist. LXIX. can. 1. & 2. cap. 11. de æt. qual. & ord. præf. & conf. Barthel in Diss. de jur. & jurisd. Abb. spir. & tem. cap. 2. in fin. contra Pyrrhing & Scharz.

§. 293. Quæ de temporibus intuitu ordinationum observandis canones nostri sanciunt, reduci queunt I. ad tempora, quibus ipsa ordinatio peragi potest, II. ad tempora, quæ inter ipsos ordines interponi debent.

§. 294. Tempora, quibus ipsa ordinatio peragi potest, olim variabant (a), subinde autem ita determinata sunt, ut I. ordines *minores* (b) singulis diebus Dominicis, ac quovis alio die festo *duplici*, etiam extra missarum solemnia, matutino tamen tempore (c) II. *majores* non nisi in sex Sabathis, nempe in *Sabathis quatuor temporum*, *Sabatho ante Dominicam passionis*, *& Sabatho sancto* intra missarum solemnia conferri queant (d) neque ordinationem a Sabatho in dominicam extendere liceat, si non ordinatio omnium in Sabatho ipsa multitudine fiat impossibilis (e) & tam ab ordinandis quam ordinantibus *jejunium* usque in sequentem dominicam servetur (f) aut quando seu ordinans seu ordinandus privilegio summi Pontificis ad prædicta tempora ordinationis non est adstrictus (g), secus profecto & ordinans & ordinatus pœnas a canonibus ibi injunctas habet (h).

(a) Anastasius Biblioth. plures recenset ordinationes variis temporibus habitas. Leo M. in Ep. 4. cap. 6. ait esse extra canones (sub quibus quidem traditionem intelligit Ep. 11. cap. 1.) ut Presbyteri & Diaconi non etiam die dominico sicut Episcopi, ordinentur. Jam olim etiam Presbyteri & Diaconi sæpius ordinabantur die Paschæ. Leo Magnus loco citato.

(b) Tonsura nulli hac in parte legi subjecta quovis anni tempore die & hora conferri potest.

(c) Concil. Trid. Seff. 23. cap. 11. de Reform. Pontif. Rom. Tit. de ordin. cap. 1. 3. de temp. ordin.

(d) Dist.

(*d*) Dist. LXXV. c. 7. c. 2. 3. 8. de temp. ordin. Pius II. Const. *cum ex sacrorum*: Missas nocturnas postquam prohibuit Pius V. jam etiam ordinationes tali tempore posthac prohibitæ intelligebantur.

(*e*) Cap. 13. de temp.

(*f*) Ad exemplum nempe Apostolorum, qui Paulum & Barnabam missuri ad prædicandum Evangelium jejunantes & orantes eis manus imposuere, introductum & dein lege stabilitum, ut Presbyteri & diaconi non ordinentur nisi præmisso solemni jejunio. Et hinc quoque repetenda jejunia quatuor temporum. Dist. LXX. can. 4.

(*g*) Cum facultas extra præstituta tempora ordinandi juxta canonum interpretes vix non unice ad privilegium S. Pontificis redigatur, patet ipsum S. Pontificem extra eadem tempora arbitrio suo ordinare posse. Cap. 3. de temp. ord.

(*h*) *Ordinatus* characterem equidem recipit, ipso jure tamen ab executione ordinis contra dictos canones accepti suspensus est, quousque a proprio Episcopo restitutus fuerit. Cap. 8. & 16. de temp. ord. & cit. Bulla Pii II. *Ordinans* vero corrigitur censura per sententiam inferenda cap. 2. & 8. de tem. ord.

§. 295. Etiam tempora inter ordines interponenda; quæ *interstitia* dicuntur, olim fuere varia & longiora. (*a*) Hodie hæc tenetur Concilii Tridentini sanctio (*b*), ut inter minores ordines (*c*) & subdiaconatum, atque porro inter unum & alterum sacrum ordinem suscipiendum annus *Ecclesiastice* computandus (*d*) intercedat; relicta quidem Episcopis facultate *ex causa utilitatis Ecclesiæ* ita dispensandi, ut 1. saltem aliquot dierum spatium inter ordinem susceptum & suscipiendum interponatur, 2. non eodem die cum minoribus subdiaconatus aut *duo* conferantur *sacri ordines* (*e*). Quam maxime autem cavetur, ne quis ad superiorem ordinem omisso inferiore seu *per saltum* promoveatur (*f*).

(*a*) Scilicet juxta Apostoli monitum, *ut nemini cito manus imponantur*, & ut ipso diuturniore ministerio singuli in quovis ordine erudiantur, varie atque sæpius etiam ad quinque annos protracta sunt interstitia. Dist. LXXVII. can. 2. & 3. Novell. Justiniani 6. & 123. Quidquid aliqui ad ordinem superiorem non admissi, in inferiore continuo subsistere debuerint? Taceo eos, qui jam in hunc finem, ut non per singulos gradus ad supremum ascenderent, sed præcise, ut in certo gradu ministerii manerent, ordinabantur. Card. Bona Rer. Liturg. l. 1. c. 25. n. 8. Van-Espen P. II. S. 1. Tit. IX. cap. 5.

(*b*) Sess. 23. cap. 11. & 14. de Reform.

(*c*) Postquam ea, quam paulo ante in not. a. laudavimus, veteris Ecclesiæ disciplina, ut ait Cardinalis Bona l. c. *collapsa* est, etiam invaluit, ut minores ordines determinatam temporis moram non habeant, & omnes minores ordines eodem die conferri possint.

(*d*) Hinc ei, qui ordinatus est Sabatho ante Dominicam Passionis, non nocet, si sequente anno idem Sabathum ob mobilitatem festi Paschalis citius recurrat. Barbosa de Potest. Episc. P. II. alleg. 14. n. 2.

(*e*) Imo die Sabathi hunc, alterum die Dominico continuato jejunio conferre licet. Cap. 13. 15. de temp. Ord. cap. 2. de eo, qui furtiv. cl. de Riegger P. II. §. 162. Et recte ait cl. Schrott *examinentur fontes causæ & subsistentia privilegiorum Papalium, quibus Religiosis ordinationes sine interstitiis, aut superioribus regularibus facultas dispensandi in interstitiis quoad subditos suos regulares indulgentur*, l. c. §. 504.

(*f*) Si quidem olim aliquis certo ordini adplicatus, subinde judicabatur altiorem ordinem mereri, sæpe etiam, quin porro in intermedio ordine probaretur, ad illum altiorem promotus est, neque talis aut *per saltum* promotus dicebatur, aut ordinem omissum supplendum habebat. Morinus de SS. Ordinationibus P. III. Exercit. 11. cap. 2. Van-Espen l. c. Hodie ordinatione per saltum facta.

1. Omissus ordo inferior supplendus.

2. Episcopatus neglecto sacerdotio receptus jure nullus habetur.

3. Ordinatus suspenditur ab usu ordinis temere suscepti, & si

4. in ordine omisso ministret ante suppletum defectum aut absolutionem a suspensione, irregularitatem contrahit, (§. 286. n. e.) Cap. un. de cler. per salt. prom. cap. 10. de Excess. Præl. Concil. Trident. Sess. 23. c. 14. de Reform.

§. 296. Locus, quo conferre liceat ordines; non tantum *proprius* (*a*) sed pro majoribus quidem conferendis etiam *sacer* (*b*) etiam *publicus* (*c*) esse debet.

(*a*) Nulli Episcopo in alterius Diœcesi cujusvis privilegii prætextu Pontificalia exercere licet, si non expressam ad id ab ordinario loci habeat licentiam. Et quidem sine hac ordinans ab exercitio Pontificalium, & ordinatus ab exercitio ordinis ipso jure suspenduntur. Quid-

quod Episcopus etiam intra limites suæ diæceseos ad celebrandas ordinationes in locis exemtis, ab eorundem Prælatis veniam impetrasse debet, quamquam nec Prælati, utut exempti, absque consensu Episcopi, in cujus diæcesi constituti sunt, alieno Episcopo potestatem ordinandi facere queant. Cauf. XVIII. q. 2. can. 6. cl. de Riegger loc. cit. §. 564. & seq.

(*b*) Concil. Trid. Seff. 6. c. 5. Seff. 23. c. 8. de Reform. Minores igitur in ipsa domo Episcopali, vel alio quovis honesto loco conferri possunt. Dist. LXXV. c. 6.

(*c*) Ideo nempe jam in Antiqua Ecclesia ordinationes habebantur coram populo & clero, ut quicumque noverit ordinandum laborare vitio ipsum statu clericali indignum facien-te, id detegeret. Ab hoc more remansit, ut adhucdum ordinationes in Ecclesia Cathedrali & in præsentia canonicorum, vel si alibi fieri debeat, semper tamen in digniore Ecclesia & adsistente clero fiant. Con. Trid. Seff. 23. c. 8. de Ref.

§. 297. Juxta illud sane veteris Ecclesiæ institutum, ut *nullus ordinetur clericus, nisi probatus fuerit pravio examine Episcoporum & populi testimonio* (*a*) etiam prævium Examen seu *scrutinium* ordinandorum & quidem *Triplex* Jure nostro stabilitum est.

(*a*) Cyprianus Ep. 68. ad Pleb. & cler. in Hisp. Concil. Carthag. IV. can. 22. apud Grat. Dist. XXIV. c. 6. vid. etiam Dist. LXI. can. 5. Capitular. L. 5. c. 37. & conf. Van-Espen I. E. U. P. II. Tit. X. cap. 4. nec non Ciron. Parat. de Scrutin. in ord.

§. 298. *Primum* scilicet *Scrutinium* ita instituendum præscribitur, ut Parochus vel alius ab Episcopo constitutus uno mense ante ordinationem publice in Ecclesia ordinandos proponat populo, ejusque testimonium de illorum vita ac conservatione exquirat (*a*) *Scrutinium secundum* vero injungitur ipsi Episcopo aut ejus Vicario generali, ut adscitis viris peritis apud omnes ordinandos tam seculares quam regulares, qui non speciatim hac in parte sunt exemti (*b*), in ea, quæ requiruntur ad ordines, aut ab iisdem excludunt (§. 277. 285.) (*c*) diligenter & jure perfecto investigent (*d*). *Tertium* denique in ipso actu, quo presbyteri & diaconi jam ordinandi adstant, ita peragitur, ut Episcopus Archidiaconum vel loco illius adsistentem ministrum interroget, *an sciat ordinandos dignos esse*, & is, siquidem salva sua conscientia potest, reponat, *quantum humana fragilitas nosse sinit, & scio, & testificor ipsos dignos esse ad hujus onus officii* (*e*).

(*a*) Hic atque illic invaluit, ut hoc Scrutinium suppleant testimonia data a Professoribus aut a studiorum Præfectis. Qui igitur vel ideo quod Ecclesiæ, tot animarum ac Reipublicæ salus a constitutione Ministrorum religionis dependet, præcipuam in conscientia obligationem habent in ejusmodi testimoniis exarandis fiduciæ ab Ecclesia & Republica in se collatæ summa cum fidelitate & adcuratione respondendi. Et siquidem Episcopus ab ordinandis desiderat saltem secundam studentium classem, sub hac intelligens classem eorum, qui quidem non inter eminentes aut eximios fuere, necessaria tamen & genuina requisitæ doctrinæ principia sibi laboriose omnia comparantur; tum vero, ut concordetur cum Episcopi mente eique non imponatur, haudquaquam *secunda classis* tribui poterit illis, quos forte alias Academiæ aut Tribunalia profana ex hac classe intelligunt nullius vel infimi progressus specimina dedisse, sed hujusmodi *classe tertia* notari oportebit. Conf. de Cautione circa testimonia Van-Espen P. I. Tit. VII. c. 10. §. XI. & P. II. S. I. Tit. IX. de instit. offic. Canonic. P. III. c. 6. §. 4.

(*b*) Excepti sunt.

1. de cujus dignitate jam aliunde conscius est Episcopus.

2. Advenæ a suo Episcopo probati.

3. Præsentati, electi seu nominati ab universitatibus seu collegiis generalium studiorum, si non simul de iis ad Parochiales Ecclesias constituendis agatur. Concil. Trid. Seff. 7. cap. 13. Seff. XXIV. c. 18. de Reform.

(*c*) Dist. XXIV. c. 5. Trid. Seff. 26. cap. 3. de Reform. Ad validam receptionem ordinum præcise requiritur 1. sexus virilis, cap. 10. de pœnit. & remiss. 2. ut ordinandus sit baptizatus, c. 1. 3. de Presb. non bapt. 3. prævia intentio saltem habitualis, cap. 2. §. *item quæritur* de Bapt. cl. Schrott l. c. §. 489.

(*d*) Monet & præcipit Episcopus ante ordinationem sub pœna excommunicationis, ne quis a jure prohibitus accedat. Hæc protestatio certe facit illicitam, etsi non invalidam, ordinationem illius, qui impedimentum canoni-

cum

cum reticet. Sed quid ? an non cum laxioris disciplinæ doctoribus consulendum *famæ* ? Enimvero impedimentum pandere necesse non est, sed nec necesse accedere ad ordines, atque ita certo fama salva manet; secus famam salvandi causa quorumcumque impedimentorum reticentia & neglectus dispensationum liceret. Quid multis si illud doctrinæ morali conveniret, excommunicatio, utpote ad eos, de quorum vitiis non constat, arcendos lata, & frustranea, & iniqua esset; iniqua quoque pœna foret illa, qua furtive ordinem suscipientes deponi jubentur vitio deprehenso, si vitium famæ consulendæ reticere licuit. Dist. LXXXI. can. 4. & 5. L. can. 55. cap. 20. de Elect. Cabassut. Theor. & prax. Canonici Juris l. 3. cap. 15. n. 15.

(*e*) Peccaret itaque Archidiaconus in ordinatione Episcopo præsentans eos, quos indignos novit. Conf. Van-Espen P. I. Tit. XII. §. 27.

§. 299. Quod concernit unctionem (*a*) quæ in ordinationibus adhiberi solet, & est *delibatio per oleum materiale & benedictum secundum formam ab Ecclesia traditam*, ea quidem inter sollemnia ordinationis Presbyterorum serius accessit, nec ad ejusdem substantiam præcise ex sensu Ecclesiæ Græcæ (§. 291. n. a.) (*b*) refertur, propterea tamen nec vitiosa nec contemnenda (*c*).

(*a*) Unctio est

1. vel *interior* seu spiritualis, & per gratiam habetur, Joan. Ep. 1. c. 2. v. 27. vel est *exterior* seu materialis ac visibilis, qua corpus ungitur.

2. *Vel* Episcoporum & Presbyterorum, *vel* Regum, *vel* baptizandorum, *vel* confirmandorum, *vel* infirmorum, *vel* templorum, altarium & calicum.

3. *Vel* simpliciter cum oleo benedicto, vel ut oleum sit Balsamo mixtum, seu chrisma.

* Sacerdotes inunguntur oleo catechumenorum in ambabus manibus simul sumtis. Cap. un. de Sacr. unct.

** Unctio Regum eatenus rationem habet *nudæ ceremoniæ*, quatenus per eam Majestati nec quidquam additur nec detrahitur, sed solum inter modos publicandi sanctitatem Majestatis Regiæ adoptatum est, quapropter tantummodo ignorantiæ tempora ex unctione Regum concludere poterant, eosdem potestate Ecclesiastica deponi posse. Bossuet def. declar. cler. Gall. Part. I. lib. 2. cap. 44. Maymburg Hist. de Imp. occid. Oberhauser Præl. can. de Sacr. unct. Schrott l. c. §. 587.

*** Leges circa reliquas unctiones earumque ritus partem aliquam suis quasque locis tangemus, quandoquidem magis ad forum Theologicum & notitiam rituum pertinent.

(*b*) Schrott l. c. §. 584.

(*c*) Sess. 23. de S. Ord. c. 5. Van-Espen P. II. Tit. IV. §. 17. P. Scharz. Tit. de Sacr. unct.

§. 300. Ut denique etiam de effectu Sacramenti ordinis id dicamus, quod ad jus nostrum pertinet, videlicet quod canones de *Sacramentis non iterandis* (*a*) complectuntur, paucis hæc notes velim, I. ordinationem, quandoquidem imprimit characterem indelebilem, (*b*) reiterari non posse, si non de neglectis *substantialibus* aut certitudo aut rationabile dubium habeatur. (*c*) Et hinc II. si tantum negligantur *accidentalia* citra ordinationem reiterandam, hæc solum *caute* (*d*) supplenda esse (*e*).

(*a*) Sacramenta, quæ iterari nequeunt, novimus esse baptismum, confirmationem & ordinem.

(*b*) Fundamenta dogmatica, & quæstiones variæ Theologorum apud eosdem videri poterunt.

(*c*) Si certitudo habetur, ordinatio iterabitur *absolute*; si dubium, *conditionate*.

(*d*) Id est cum reverentia, & sine scandalo.

(*e*) In cap. 3. de Sacr. non iter. Pontifex impositionem manuum in Presbyteratu & Diaconatu refert quidem inter caute supplenda. Attamen dicendum, eum non loqui simpliciter de neglectu impositionis manuum, sed contactus corporalis. Cl. Schrott l. c. §. 543.

* Etsi iteratus Baptismus eo modo, quo diximus (§. 286.) inducat irregularitatem, id tamen nec ad confirmationem, nec ad ordinem extendi potest (§. 285. n. b.).

CAPUT VI.

De Ecclesiasticorum Prælatorum electionibus.

§. 301. Cum Ecclesiæ jam tanta universa sit cura atque cautio in personis ad statum clericalem admittendis, non mirum quod per tot canones sollicitudinem multo majorem de promovendis non nisi dignis Episcopis & exhibeat ipsa, & eandem illis, a quibus hujusmodi dependet promotio, generatim inculcet, & speciatim denique formam in Episcoporum electionibus tenendam præscribat.

§. 302. Enimvero formam hac in parte præcise constitutam neque accepimus a Christo, qui Apostolos & discipulos suos ipse vocavit (*a*) neque ab Apostolis, qui quidem, si non speciali divino jussu quosdam determinatos sciebant, (*b*) ceteroquin personarum Ecclesiasticarum electiones, quantum patet, Ecclesiæ suffragiis (*c*) salva in hisce dirigendis & dein conferendis ordinibus (*d*) sua authoritate committebant.

(*a*) Marc. 3. 13. 14. Joan. 20. 21.

(*b*) Act. Ap. XIII. 2. I. ad Tim. c. 1. v. 18. & 4. v. 14.

(*c*) Act. Ap. VI. 2. Act. 14. 22. Quidquod sortem in Electione Mathiæ nil aliud, quam electionem communibus, quæ rei dubiæ sortem ederent, suffragiis decretam fuisse demonstrant Ciron Paratit. in l. 1. Decret. Tit. VI. §. 3. & seq. Francisc. Florens. Tract. VI. ad Tit. VI. de Elect. & Elect. Pot. Conf. mea Lucubr. de Nat. Ortu & Progressu Elect. pers. Eccles. §. 10. & seq. nec non §. 7. ubi simul ostendi, si etiam in electione Mathiæ adhibita fuit veri nominis sors, eam uti sortes, quibus jam in veteri Testamento sæpe Ministri Religionis eligebantur, nihil habuisse impii aut tantum fortuiti, sed partim naturalia ex duobus æque *bonis* se ad unum denique determinandi remedia, partim ab ipso Numine indicata voluntatis divinæ signa fuisse; atque in Caus. XXVI. q. 2. c. 2. & 3. minime hasce sortes per hoc reprobari quia ibidem propter periculum universale & ad præcavenda mala usus sortis in Electionibus prohibetur.

(*d*) Act. 14. 22. I. ad Tim. 5. 14. Tit. I ver. 5.

§. 303. Et hinc etiam proxime subsequens Ecclesia hanc in electionibus servavit rationem, ut ea a collecta Episcoporum synodo, ac simul clero simulque populo non tantum testimonii, sed & suffragii ferendi causa vocato (*a*) peragеretur (*b*).

(*a*) S. Cyprianus Ep. 42. ad Cornel. contr. Schism. Ep. 52. ad Antonian. de Elect. Cornel. Pont. Dist. LXI. c. 15. & 16. LXIII. c. 11. & 34. LXV. c. 13. Caus. VII. q. 1. c. 13. Concil. Chalced. Act. 11. & 16. Remense can. 25. Toletanum IV. can. 19. apud Grat. Dist. LI. c. 5. Socrates l. 1. hist. c. 9. quemadmodum hæc omnia late deduxi in cit. mea lucubr. de Nat. ortu & progr. Elect. Pers. Eccles. §. 12.

(*b*) Illud quidem Cypriani l. 1. Ep. 4. *diligenter de* DIVINA TRADITIONE *&* APOSTOLICA OBSERVATIONE *servandum est & tenendum — ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ quique conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit*, non ita sumendum, quasi *de divina & Apostolica Traditione* plebs ob tumultus aut alia inconvenientia excludi non posset ab electionibus, sicuti factum esse statim audiemus, sed solummodo id generatim divinæ & Apostolicæ Traditioni adversum fore significat, si quis ex mala vita notus in plebe hujus sincero testimonio neglecto ordinaretur. Conf. præterea cit. mea Lucubr. pag. 94.

§. 304. Exclusa quidem posthac sæpius plebs ab electionibus, ne iteratas in iis turbas cieret (*a*) & ab iisdem tempore Justiniani tandem prorsus remota est (*b*). Atque ita Christiani Principes, quorum auxilium & consensus alioquin jam ante semper implorabatur (*c*) tanquam Rectores populi antiquum hujus suffragium reservarunt sibi jure optimo, ac potissimum per optimates exercuerunt (*d*).

(*a*) Con-

(*a*) Concil. Nicæn. I. c. 4. Concil. Antioch. Can. 19. Laodic. can. 12. Ex quibus tamen minime probatur jam tum omnem plebis in Electionibus authoritatem eliminatam fuisse. Neque alii, qui adferri possunt, canones plus evincunt, quam factas a plebe aut a potentioribus tumultuarias & violentas electiones ab Ecclesia reprobatas fuisse. Conf. cit. mea Lucubratio §. 13.

(*b*) L. 42. de Episc. & Cleric. Novell. VI. c. 1. CXXXVII. pr. o. 1. & Nov. CXXIII. c. 1.

(*c*) Rufinus l. 2. c. 10. Sozomenus Hist. Eccles. l. 6. c. 22. Socrates l. 4. c. 24. Baronius ad an. 381. n. 2. Alexander Nat. Sec. c. 2. Pagius in Brev. Hist. crit. Rom. Pontif. ad an. 555. 578. 590. Dist. LXIII. c. 21. 25. 28. Van-Espen P. I. Tit. XIII. c. 3. §. 11.

(*d*) Qui in contrarium adducuntur canones non de legitimo hujus juris exercitio, sed de abusu potestatis secularis loquuntur. Conf. cit. mea Lucubr. §. 14.

§. 305. Inde secutæ *nominationes Regiæ*, quibus scilicet Principes non tantum populo, sed & clero inferiore excluso, (*a*) salva tamen authoritate Præsulum Ecclesiæ, iisque propria ordinandi potestate personas sacris muneribus admovendas designabant (*b*).

(*a*) Enimvero juxta eruditissimum de Marca de Conc. Sacerd. & imp. l. 8. c. 11. §. 2. aliunde in electionibus clerus inferior æquo tantum jure cum populo gaudebat.

(*b*) Thomassinus de veter. & nov. Eccles. disc. Part. II. lib. 2. cap. 6. Van-Espen Part. I. Tit. XIII. cap. 6. §. 13. Conf. cit. mea Lucubr. §. 15.

§. 306. Reliquit quidem denuo Ludovicus Pius hujusmodi electiones Clero ac populo (*a*). Verum hic ipse Princeps ejusque Successores & quasdam nominationes Episcoporum & jus indignis Exclusivam dandi (*b*) & generatim jus Electiones suo firmandi adsensu sibi vindicavere.

(*a*) A. 816. cap. 2. Ab eo igitur tempore iterum fiebant electiones adhibitis Interventoribus, qui obtenta a Rege facultate eligendi ad Ecclesiam vacantem mittebantur, ut clerum & populum per sacras lectiones, trium dierum jejunium, & preces ad electiones disponerent, & hujus commune decretum sigillo præcipuorum de clero populo munitum mitterent ad Metropolitam, ut ab hoc & Episcopis Provinciæ in loco vacantis Ecclesiæ collectis contritio electi examinari, atque, si is dignus judicaretur, nec expetitus Principis adsensus ei deesset, confirmari ordinarique posset. Thomassinus & Petrus de Marca l. l. c. c.

(*b*) Conf. cit. mea Lucubr. §. 17.

§. 307. Tristissimam in Episcoporum promotionibus Epocham constituit Gregorius VII. movens Henrico IV. Imperatori (§. 100. n. e.) propter annulum & baculum in illorum investitura adhiberi solitum non auditas antea controversias, quæ cum eodem Imperatore a Victore III. & Urbano II. cum Henrico V. autem a Paschali II. a Gelasio II. & Calisto II. continuatæ, & ab hoc demum Pontifice notissima transactione ita terminatæ sunt, ut pristinis quidem investituræ signis substitueretur sceptrum, ceteroquin vero Imperatori Jus non tantum in electionibus quantumvis liberis comparendi, sed & discordia eligentium suffragia Metropolitani & comprovincialium Episcoporum consilio Componendi adjudicaretur (*a*).

(*a*) Pleniorem de hisce singulis notitiam dabimus infra in jure Ecclesiastico Patrio.

§. 308. Denique Seculo XIII. Electiones Episcoporum salvis in hac illave Provincia nominationibus Regiis remoto Clero & populo ad capitula Ecclesiarum Cathedralium, a quibus quidem hoc jus jam sub Seculi X. finem usurpari cæpit (*a*) confirmatione Metropolitano relicta (*b*) transiere (*c*) Et quantumvis stabilita hæc capitulorum libertas subinde *Pontificiis* reservationibus fuerit infracta, (*d*) in Germania tamen conclusis inter Nicolaum V. P. & Fridericum III. Imperatorem concordatis (*e*) restituta est.

(*a*) Ob-

(a) Obstitit Conc. Lateran. II. can. 28. apud Harduin. Collect. Concil. Tom. VI. P. II. ad An. C. 1139. Col. 1213.

(b) Synodi igitur provinciales ab eo tempore ad examinandas & firmandas electiones (§. 180. 192.) jam porro non cogebantur.

(c) Vid. aurea Bulla Friderici II. anno 1213. de libert. Eccles. condita in cl. Riegger corp. jur. Publ. Eccles. Germ. pag. 7.

(d) Maxime a Joanne XXII. per Reg. II. Cancellariæ. Conf. Van-Espen J. E. P. I. Tit. XIII. c. 2. n. 4.

(e) Etiam hisce concordatis infra in jure Patrio locus latior est servatus.

§. 309. Hisce ex historia Electionum præmissis, jam ipsum Jus, quod circa promotiones Episcoporum aliorumve cum *Jurisdictione generali* ad Ecclesias viduatas (a) constituendorum præter nominationes Regias (b) atque reliquas *collationes* & institutiones (c) obtinet, ita accipiemus pertractandum, ut hoc capite de ipsa electione stricte accepta (d) dicamus; sequentibus dein de Electionum confirmatione, de Postulatione earumque admissione (§. 180. n. c.), de consecratione, nec non de Pallii usu acturi.

(a) Etenim tantum illi, qui jurisdictionem generalem habuere in suis Ecclesiis, hasce stricte *viduatas*; alii beneficia sua simpliciter *vacantia* efficere dicuntur.

(b) Satis de Jure nominationum regiarum jam dictum (§. 109. n. f.) obtinet id in Gallia, Belgio, Hispania, Lusitania, Hungaria, Bohemia reliquisque Austriæ terris hereditariis; & quidem ita exercetur, ut Princeps ad viduatam Ecclesiam nominet virum requisitis dotibus instructum: a quo postquam examine instituto, & edita dein professione fidei, de qua alibi dicemus, satisfactum est, acta nominationis mittuntur Romam, & per ipsos reges *Diploma confirmatorium* a Pontifice postulatur. Cl. de Riegger P. II. §. 340.

(c) Cum collationes tam liberæ, quam illæ, quæ ad præviam præsentationem fiunt, seu institutiones non propriis prælaturas & dignitates Ecclesiasticas, sed communibus quæcumque *beneficia obtinendi modis* accensendæ sint, earumque notio a notione ipsorum beneficiorum maxime dependeat, nexus postulat, ut doctrinæ de beneficiis adnectantur.

* Eadem causa est, cur ibidem potius quam hoc loco agamus de translatione, quæ scilicet etiam in aliis beneficiis quam Prælaturis Ecclesiasticis obtinet, quæque non proprie aliquem ad Episcopatum, sed jam Episcopum factum ab una Ecclesia ad aliam promovet.

(d) Nempe etiam electio *latius* accepta significat vocationem personæ idoneæ *ad beneficium Ecclesiasticum qualecumque per suffragia* canonice factam, & a legitimo superiore confirmatam; imo *latissime* sumta quamvis vocationem ad munus sacrum denotat. Verum uti hic *stricte* consideratur, est *personæ idoneæ ad* PRÆLATURAM VACANTEM PER VOTA CAPITULARIUM *canonica vocatio authoritate superioris confirmanda*.

§. 310. Et quod quidem ad electionem adtinet, id 1. de eligentibus, 2. de eligendis, 3. de forma electionis, 4. de hujus effectu, & quid juris eadem tribuat, varia suppeditat discutienda.

§. 311. Initium sane electionis fit a convocatione eorum, qui jus eligendi habent. Vocandi itaque de jure communi omnes & soli, qui *votum* & *Sessionem in capitulo Ecclesiæ vacantis* (§. 212. 213. 214.) (a) *exercere* (b) queunt, seu præsentes sint sive *absentes* (c) utpote qui, etsi justo impedimento sint detenti, suo loco *Procuratorem* (d) constituere poterunt (e).

(a) Tantummodo igitur extra ordinem Jus suffragii adquirere possunt *clerici* extranei, & quidem

1. Consensu *unanimi* capituli pro una saltem vice, cap. 8. & 40. de Elect.

2. Si Patronus Ecclesiasticus talem Ecclesiam vel Monasterium fundans sibi id reservet. Cap. 23. de jur. Patron. cap. 4. de Cond. adpos.

3. Bonæ fidei possessione, quapropter votum collatum tanquam fructus possessionis valebit non obstante sententia contraria in petitorio, cap. 7. de Caus. Possess. & Propriet. cap. 55. de Elect.

4. Consuetudine

5. Præscriptione quadraginta annorum; & quidem sine *titulo*, si agatur de jure colligendi, cum *titulo* autem si extranei privativam electionem prætendant. C. 2. de caus. Possess. & c. 1. de Præscr. in 6.

6. Privilegio Pontificis, quod quidem hac in Parte nihil in Germania suis concordatis munita operari potest. Conf. Reverendiss. Rauten-

tenstrauch Instit. Jur. Eccles. S. II. cap. 18. §. 715.

* Neque extranei, qui Jus suffragii extra ordinem adquirere possunt, accensendi laici, qui nimirum jure Decretalium citra speciale indultum S. Pontificis ad electionem absque ejusdem nullitate admitti nequeunt. Cap. 51. & 56. de Elect.

(*b*) Excluduntur scilicet.

Simpliciter.

1. Impuberes, cap. 32. de Elect. in 6.

2. Nondum subdiaconi, Clement. 2. de ætat. & qualit. ord. Trid. Sess. 22. cap. 4. de Reform. Id quod etiam, si non legitima obstet consuetudo ad regulares pertinet; cum apud eos ante Tridentinum ex jure non speciali, sed *communi* sacris ordinibus destituti ad electionem admissi sint.

3. Novitii aut laici conversi, si illi non ex statuto peculiari vel privilegio vel consuetudine jus suffragii habeant. Cap. 32. de Elect. in 6.

4. Regulares voti paupertatis violatores per biennium, Trid. Sess. 25. c. 2. de Regul.

5. Mendicantes religiosi, qui ad ordinem non mendicantium quamvis facultate a S. Pontifice obtenta transeunt, Clement. 1. de Regul.

6. Suspensi ab *officio*, personaliter interdicti, aut excommunicati excommunicatione majori, qui quidem si sint tolerati & adversus eos non excipiatur, valide eligent. Cap. 16. & 39. de Elect. c. 8. de Consuetud. Imo Cardinalis excommunicatus, etsi sit denunciatus, non repellitur ab Electione Pontificis, quæ aliunde ob requisitas duas tertias suffragiorum sat difficultatis habet. Clem. 2. de Elect. Bulla Gregor. XV. *æterni Patris* de an. 1621.

7. Temerarii violatores interdicti localis, cap. 18. de sent. Excom. in 6.

8. Infames infamia Juris, cap. 87. de Reg. Jur. in 6.

9. Quicumque vel constitutionibus Apostolicis vel statutis capitulorum aut ordinum peculiaribus vel per sententiam jure suffragii seu *voce activa* privati sunt. Cl. Schrott l. c. §. 297.

Pro una vice.

1. Absentes absque impedimento legitimo, c. 42. de Elect. in 6.

2. Permittentes fieri electionem per abusum secularis potestatis, cap. 43. de Elect.

3. Scienter eligentes vel postulantes indignum, aut attentantes innovare postulationem a superiore jam cassatam, c. 2. de post. Præl.

4. Non observantes præscriptam electionis formam. Cap. 42. de Elect.

* Si igitur inter capitulares partim habiles sint, partim inhabiles, & certus eligentium numerus non requiratur, nec habiles scienter admiserint inhabiles, sola habilium suffragia attenduntur. Imo si etiam unus tantummodo habilis sit, ad hunc jus eligendi devolvitur, utpote qui hoc jure aliorum culpa privari non debet, & etsi se ipsum eligere nequeat, in illos tamen compromittere, & ita eligi poterit. Cap. 2. de Postul. cl. Schrott loc. cit. §. 268. & 298.

** Quamvis electio ab habilibus celebrata effectum suum non sortiretur, superveniente fortassis morte vel impedimento electi; hoc iis, qui pro una vice a jure suffragii exclusi erant, obstare non potest, quo minus ad novam electionem, si jam ceteroquin habiles sint, admittantur.

(*c*) Si absque Ecclesiæ periculo vocari aut expectari possint cap. 18. de Elect. Hinc dicitur vocandos esse, qui *debent*, *volunt*, ac possunt. Cap. 42. de Elect. In Electione S. Pontificis præsentes Cardinales tantummodo per decem dies tenentur expectare absentes. Cap. 3. de Elect. in 6. Quamquam ob Jus Regium Exclusivæ (§. 109. n. e.) & ad alia vitanda incommoda Cardinales Coronæ, quos venturos esse constat, jam consultius expectentur. Quod in Dist. LXXIX. cap. 10. dicitur, non ita intelligendum est, quasi vero Pontifex sibi successorem denominare & eligere posset, sed quod possint ante mortem suam circa futuram electionem decernere.

(*d*) Etsi enim suffragium dari nequat per literas, Cap. 46. de Elect. in 6. admittitur tamen Procurator, de quo notes velim

1. debere eum esse e gremio capituli, si capitulum non consentiat in *extraneum*.

2. Si capitulum exigat, ut jurejurando fidem faciat de justo impedimento absentis, a quo constituitur, eum omnino ad id obligatum esse.

3. Posse constitui procuratores plures; modo constituantur in solidum, non quidem ut simul admittantur, sed ut melior sit conditio occupantis.

4. Multum differentiæ intercedere inter Procuratorem mandato generali & alium mandato speciali instructum. Enimvero qui mandato speciali instructus est, 1. determinatam a mandante personam eligere debet, quamquam dein, dum proprio nomine fert suffragium, etiam proprium de digniore judicium sequi teneatur. 2. Sui loco alium procuratorem substituere potest, vel ideo, quia mandans personam eligendam jam determinavit, atque igitur arbitrium procuratoris non spectatur. Instructus autem mandato generali, cum omnia suo judicio relicta habeat, neque sui loco alium procuratorem *generali mandato* substituere, neque alium, quam eundem quem suo nomine elegit, etiam nomine mandantis eligere poterit. Cap. 42. & 46. de Elect. in 6.

(*e*) Si

(*e*) Si eorum, quiJus eligendi habent, plures tertia parte vocati non sint, electio est ipso jure irrita. Cap. 57. de Elect. Quicumque autem vocati non sunt, de contemtu agere valent ad electionem, etiamsi jam confirmata fuerit, irritandam. Cap. 36. 38. de Elect.

§. 312. Congregati autem pro suo suffragii jure ad eligendum etiam dotes, quas de eligendo canones requirunt (*a*) & quinam vel ex defectu (*b*) vel ex delicto (*c*) vel ob censuras (*d*) *voce passiva* priventur, seu nequeant eligi, probe nosse atque observare debent (*e*).

(*a*) Dotes istæ sunt.

1. Honestas natalium

2. fidei & morum integritas

3. maturitas ætatis, quæ ad Episcopatum 30. annorum completorum; ad Prælaturas Episcopatu inferiores, si cura animarum annexa est; 25. anni inchoati; si nulla vero animarum cura annexa est, annorum 22. completorum, in eligendis Abbatissis 40. annorum, vel si in eodem monasterio talis non inveniatur, ac talem ex monasterio alio accipere incommodum esset, consentiente superiore, qui Electioni præest, saltem 30. completorum exigitur. Cap. 7. de Elect. Trid. Sess. XXIV. de Reform. cap. 12. & 25. de Regul. c. 7.

4. Scientia, Trid. Sess. 22. de Reform. c. 2 (§. 85. 199. 201. n. b.)

5. Sacer ordo, & quidem eligendus in Episcopum ordine subdiaconatus saltem 6. mensibus ante electionem initiatus esse debet. Trid. Sess. 22. de Reform. c. 2.

6. Professio expressa, cap. 49. de Elect. in 6. Et quidem eligenda in Abbatissam octo annis vel saltem quinque post expressam Professionem laudabiliter vixisse debet; Concil. Trid. Sess. XXV. cap. 7. de Regul.

(*b*) Ob defectum igitur ab episcopatu removentur,

1. Illegitime nati, adeo, ut legitimati tantum per Rescriptum Imperantis civilis, non admittantur cap. 20. de Elect. (§. 189.) imo ad Cardinalitiam dignitatem, nec *legitimatio per subsequens matrimonium* prodest (§. eodem)

2. Orti parentibus hæreticis, cap. 15. de hæret. in 6. quod tamen in Germania non obtinet (§. 286. n. b.)

3. Nondum egressi ætatis annum trigesimum (§. 288. n. d.)

4. Illiterati aut alias irregulares ex defectu (§. 187. n. i.)

5. Sacro ordine aut in religione Professione expressa destituti.

(*c*) Ob delictum arcentur,

1. Consentientes in sui electionem per abusum secularis Potestatis factam, aut intrusi,

2. Ambitiosi,

3. Retinentes plura beneficia *incompatibilia*.

4. Simoniaci, adeo, ut irrita sit electio, etsi simonia non ab electo, sed per tertium ignorante electo ad electionem procurandam commissa sit. C. 59. de elect. Præterquam si electus expresse contradixerit omni Simoniæ quomodocumque per alios commissæ, aut si alter ex malitia & eo fine ut electum *inhabilem* redderet, Simoniacum egisset. Cap. 33. de Simon.

5. Sacrilegi, infames aliique irregulares ex delicto. Cap. 23. 27. 33. 43. 46.

(*d*) Ob censuras

1. Excommunicati etiam excommunicatione minore.

2. Suspensi ab officio vel beneficio.

3. personaliter interdicti.

4. Violatores interdicti localis per celebrationem. Etiamsi sint tolerati. Cap. 7. & ult. de Cler. excom. cap. 20. 59. de Elect. cap. 1. de fil. Presbyt. c. 27. 33. de Simon. Constitut. Sixti V. *Postquam verus*.

(*e*) Electio indigni est ipso jure nulla, etsi hoc non prorsus in omnibus canonibus sit expressum. Cap. 20. de Elect. cap. 64. de Regul. Jur. in 6. Hinc omnis etiam se inhabilem noscens, in conscientia dignitatem Ecclesiasticam nec acceptare nec retinere potest. Imo gravata erit conscientia eorum, qui minus dignum præ digniore eligent. Trid. Sess. 24. c. 1. de Ref. Quandoquidem ad eligendum, quem præ cæteris digniorem judicant, & ob juramentum de hoc præstitum & ex naturali lege majus bonum præcipiente, & ex peculiari officio salutem Ecclesiæ procurandi tenentur. Verum ne electiones quæque in discrimine versentur, & infinitis exponantur litibus, si cæteroquin electio rite peracta fuerit, atque electus non sit talis, qualem allati canones *indignum* pronuntiant, in foro externo exceptio *minus digni* non admittitur. Cap. 19. & 32. de elect. conf. Engel ad tit. de Elect. n. 47.

.* Eligendo Pontifici non obstant impedimenta Juris positivi. Cap. 6. de Elect.

§. 313. Forma Electionis alia *accidentalis*; alia *substantialis* est. Illa 1. locum (*a*), 2. tempus (*b*), & 3. alia præparatoria electionis observanda (*c*) determinat. Hæc autem complectitur ipsa electionum genera, quæ e canonibus (*d*) ita præfiniun-

hiuntur, ut electio vel per inspirationem, vel compromissionem, vel per scrutinium facta esse debeat.

(*a*) Locus debet esse *decens*, atque adeo locus capituli consuetus, aut saltem intra viduatæ Ecclesiæ ambitum situs. Cap. 28. & 30. de Elect.

* Electio S. Pontificis peragenda in Conclavi, quod hodie in Vaticano extruitur, & ad formam determinatam per Constitutiones Pii IV. & Gregorii XV. Conf. Haberlini Romanum Conclave pag. 142. & sequ.

(*b*) 1. Electio non fieri debet, nisi sede legitime vacante, & si vacat per mortem Prælati, non ante hujus exequias, si non metus collisionis, violentiæ, ambitionis, aliave gravis causa festinationem deposcat. Dist. XXIX. c. 7. c. 36. de Elect. Deinde autem 2. Electio Prælati suscipienda *intra tres menses* a die notæ vacationis sub pœna devolutionis cap. 41. de Elect. c. 5. de Concess. Præb. in fin.

* Pro maturanda Pontificis Electione Gregorius X. multa variaque constituit in Concil. Lugdunensi II. quorum tamen omnia non amplius observantur; cap. 3. de Elect. in 6.

(*c*) Ad præparatoria pertinent
1. Missa de Spiritu sancto.
2. Admissio Notarii cum duobus testibus.
3. Deliberatio de forma electionis substantiali.
4. Præstatio juramenti de digniore eligendo.
5. Electio, nulli quidem solemnitati adstricta, trium de collegio *scrutatorum*, qui suffragia singulorum colligant.

* Præcipuum quondam præparatorium erat capitulatio, seu *norma & regula a capitulo vel collegio Ecclesiæ vacantis concepta, ad quam Prælatus ab eo canonice constitutus in administrando regimine Ecclesiastico aut civili se solemni pacto jurato obstringere tenetur*. Verum cum capitulationes ejusmodi essent causa suffragiorum tantummodo iis datorum a quibus certius implementum adpositarum conditionum sperabatur, & inde etiam bona mensæ Episcopalis, jurisdictio Episcopi in capitula, disciplina Ecclesiastica, ac universe bonum publicum paterentur, facile illa circa finem prioris seculi inter Episcopum Herbipolensem L. B. de Guttenberg ejusque Cathedrale capitulum orta collisio, & communis Ecclesiasticorum Germaniæ Principum querela effecit, ut Innocentius XII. die 22. Sept. 1695. statueret, omnes capitulationes super juribus & rebus Ecclesiasticis, quæ fiunt ante electionem, irritas esse, factas autem post electionem valere, si quoad *Ecclesiastica* a summo Pontifice fuerint confirmata. Cui paulo post successit decretum Leopoldi Cæsaris pariter hujusmodi capitulationibus ante electionem factis nullum; post electionem conditis dependentem a confirmatione Cæsarea valorem, quoad *territorialia* tribuens. Conf. Fabri Cancellaria Status P. II. pag. 13. de Riegger Corp. Jur. Publ. & Eccles. Germ. pag. 327. & cl. Schrott. l. c. §. 316.

(*d*) Cap. 42. de Elect.

§. 314. *Inspiratio* vel habetur *vera*, vel *præsumta*: Vera sese manifestat prodigio, & speciali divina revelatione; (*a*) præsumta autem nititur *consensu*, *qui omnes Electores in loco solito congregati nullo præcedente tractatu communiter & quasi uno ore in præficiendam eandem personam feruntur* (*b*).

(*a*) Euseb. Hist. Eccles. l. 6. c. 11. & 29. Sever. Sulpit. in vita S. Martini cap. 7.

(*b*) *Multum dubito*, ait Van-Espen, *an facile esset admittenda & probanda, ne sub prætexu hujusmodi divini impulsus regulæ electionum ab Ecclesia præscriptæ negligantur, & tumultuariis, & præcipitatis electionibus via aperiatur*, P. II. Titul. XXI. c. 4.

§. 315. *Compromissum* consistit *in potestate ab Electoribus* (*a*) *in viros idoneos* (*b*) vel *absolute* vel *limitate* (*c*) translata, ut ipsi *vice omnium Ecclesia viduata de Pastore provideant*, (*d*) & instar mandati expirat (*e*).

(*a*) Et quidem cum intersit singulorum, atque nullus eligentium aliorum arbitrio voce sua activa privari queat, juxta regulas illas, *quod omnes tangit, ab omnibus debet adprobari — in re communi potior est conditio possidentis*. Reg. 29. Jur. in 6. & Reg. 56. requiritur, ut omnes nemine dissentiente in hunc eligendi modum consentiant.

(*b*) Scilicet prudentes probos simulque clericos; nam laici excluduntur, ceteroquin vero nihil interest, an compromissarii sint de capitulo nec ne, porro sive unus, sive plures etiam pares numero, cap. 3. & 40. de Elect.

(*c*) Compromissum *absolutum* est illud, vi cujus compromissarii eligere possunt quemcumque idoneum, adeoque etiam extraneum, c. 30. de Elect. *limitatum* vero in quo potestas compromissariorum est restricta, veluti: ut eligant unum

unum de gremio capituli, cap. 32. de Elect. ut eligant adhibito aliquorum consensu, c. 52. eod. vel quod *strictissime limitatum* est, ut exquisitis secreto votis singulorum illum eligant, in quem non tantum plures in comparatione aliorum (ita enim conceptum non valeret, c. 23. de Elect in 6.) sed *major pars totius capituli* consenserint. Cap. 32. de Elect. cap. 29. eod. in 6. Id quod dicitur compromissum *mixtum scrutinio*, a quo etiam aut parum, aut nihil differt. Engel Tit. de Elect. §. 3. num. 11.

(*d*) Hinc

1. si a compromissariis forma compromissi servata (contra quam scilicet facta electio alioqui non valeret cap. 30. & 52. de Elect.) & ab iisdem electus fuerit idoneus, ad hunc recipiendum compromittentes tenentur, c. 8. de Elect.

2. Si autem compromissarii, seu scienter sive ignoranter elegerint indignum; & electio nulla est, cap. 7. 8. 22. de Elect. & nondum elapso tempore, quod jura electioni præfiniunt, potestas libere eligendi revertitur ad compromittentes, si non ipsi *scientes* talem electionem ratam habuerint, quo casu saltem ii, qui scientes sunt, potestate eligendi pro una vice privantur. (§. 311. n.b.) Cap. *si compromissarius* de Elect. in 6. Reg. 10. J. in 6.

3. Si compromissarii negligant tempus Electioni a jure præfixum, potestas providendi ad superiorem devolvitur. Enimvero imputare id sibi debent compromittentes, quandoquidem contra tales compromissarios facilius, quam contra eligentes indignum sibi præcavere poterant; scilicet non iis tempus illud integrum relinquendo, aut eosdem hoc in tempore urgendo, c. 52. de Elect.

* Compromissarii (*non Episcopi*) qui *indignum & scienter* & in *Prælatum* eligunt, ipso jure per *triennium* sunt suspensi a *beneficiis illis*, *quæ in Ecclesia offensa habebant*, quam pœnam quoque incurrunt talem electionem scienter ratihabentes. Cap. 7. de Elect. c. 37. de Elect. in 6. cap. 4. de Sent. excomm. in 6.

** In compromisso absoluto & puro possunt compromissarii ex se ipsis uni dare votum, & illi hoc acceptando absque nota ambitionis vota majora efficere licebit, cum scilicet vota in compromisso non sint secreta, nec officium compromissariorum aut iisdem aut Ecclesiæ, cui forte unus compromissariorum utilissimus est, perniciosum evadere debeat. Cap. 32. de Elect.

(*e*) Expirat itaque

1. Per revocationem re adhuc integra; scilicet negotio compromissi quoad substantialia nondum cæpto c. 30. de Elect. Quæ tamen revocatio non unius capitularis voluntate fieri potest. Etenim tantummodo id, ut promissum fiat, jura singulorum tangit, ut propterea ad idem consensu unanimi opus est. Cap. cit. Ad mutandum vero consensum jam præstitum, & ad rescindendum id, quod communi omnium consensu stabilitum est, non quisque jus singulare habet, sed id a majoribus totius capituli suffragiis dependet. Nisi demonstretur compromissum ob publicam utilitatem revocandum esse. Cap. I. de his quæ fiu. a maj. parte capit.

2. Per lapsum temporis a *capitulo* aut jure præfixi, ita ut hoc casu jus providendi ad superiorem devolvatur, illud ad capitulum redeat. Cap. 52. de Elect. c. 37. eod. in 6.

3. Per factam electionem, etsi ista non sortiatur effectum. Et quidem si electus renuat consentire, jus eligendi revertitur ad compromittentes, iisque ad aliam electionem celebrandam, non minus ac si Ecclesia denuo vacasset, tempus integrum conceditur. C. *Si electio* &c. *si compromissarius* de Elect. in 6.

§. 316. Electio denique per *scrutinium* fit, quando præsentibus omnibus; qui debent, volunt ac possunt interesse (§. 311. n. c.) tres de capitulo scrutatores (§. 313. n. c.) (*a*) assumuntur, qui diligenter (*b*) sigillatim, (*c*) & secreto (*d*) singulorum vota & suffragia exquirunt, (*e*) & in scripturam redacta (*f*) subinde publicant, (*g*) ac dein facta collatione votorum (*h*) is, in quem totius capituli pars major (*i*) & sanior (*k*) libere (*l*) consenserit, statim electus promulgatur (*m*).

(*a*) In electione S. P. eliguntur novem Personæ scrutinium directuræ; videlicet tres *scrutatores* ad vota colligenda, tres *Revisores*, qui invigilant scrutatoribus, num officio suo satisfaciant, & tres *infirmarii*, qui vota infirmorum Cardinalium ab iisdem adferunt. Conf. Haberlini Romanum Conclave pag. 161.

(*b*) Nempe nullo prætcrito,

(*c*) Ut non bini vel terni, sed singuli separatim audiantur.

(*d*) Ut quilibet votum suum liberius dicere queat; imo usitatius, & in Electionibus Prælatorum Regularium *temporalium* ad præcavendas omnes inimicitiarum occasiones sub pœna nullitatis electionis per Concil. Trid. cap. 6. Sess. 25. de Regul. præceptum, ut eligentium nomina nunquam publicentur; quæ constitutio non subvertit formam c. 42. de Elect. præscriptam, sed tantum eam hoc adjuncto magis determinat. Et sane illa in cit. cap. præscripta forma in Electionibus Prælatorum quorumcumque, adeoque etiam Regularium, qui jurisdictio-

ctionem ordinariam & generalem habent, ceteroquin necessario est observanda. Reiffenstuel l. 1. Decretal. Tit. VI. §. 14.

(*e*) Etiam a se ipsis mutuo vota exquirere debent scrutatores, & quidem si suffragia scripto dentur, nihil interest, sive ante sive post reliquos id præstent; secus si viva voce ferantur suffragia. Enimvero tum votis suis facile in cujusdam favorem majora facere possent. Ceterum patet, primum a Præside capituli, dein ab aliis juxta dignitatis & senii Prærogativam vota colligenda esse. Conf. Engel l. c. num. 35.

(*f*) Possunt scrutatores etiam per Notarium publicum suffragia in scripturam redigere. Et quandoquidem scrutatores sunt contestes, alioqui scripturæ, quam de suffragiis viva voce datis confecerunt, magis crederetur quam eligentibus hæc suffragia se dedisse negantibus, utpote quorum alter de alterius voto testari nequit, cum vota secreto exquirantur.

* Si numerus schedularum numero electorum non congruit, schedulis omnibus combustis novum scrutinium instituendum; porro rejiciuntur vota alternativa, conditionata, incerta, &, qui hoc modo elegerunt, ea vice jure eligendi privantur (§. 311. n. b.) cap. 44. de Elect. in 6.

(*g*) *Publicatio scrutinii* (ad quam, ne secus electio irrita declaretur, scrutatores nullo actu contrario interposito procedere, & nolentes tam ab electo quam ab electoribus implorando officium superioris seu Præsidis Capituli adigi debent) consistit in eo, ut numerus votorum totius capituli numero eligentium respondens pronuncietur, quamquam alii requirant, ut in eodem etiam nomina illorum, qui suffragia accepere, manifestentur. Conf. Engel de Elect. §. 3. §. 36. Reiffenstuel Tit. de Elect. §. 5. n. 131.

(*h*) Collatio votorum est triplex, nempe

1. *Numeri ad numerum*, in qua adtenditur, quis electorum plura vota & quidem valida obtinuerit.

2. *Zeli ad Zelum*, considerando, quorum ex eligentibus qualitates & motiva debeant præferri.

3. *Meriti ad Meritum*, indagando, quis ex electis præpolleat meritis.

* Patet, si omnes concordent in eundem, collationem votorum non stricte talem, & in comparatione aliorum, sed tantum tanquam simplicem investigationem numeri votorum, zeli, & meriti obtineri posse. C. 9. de Elect. in 6. Qui canon etiam contra electionem a duplo majori parte capituli factam nihil aliud, quam quod electionem ipso jure nullam redderet, opponi sinit.

(*i*) Excipe

1. Si legitime introducta contraria consuetudo; ut valeant vota etsi tantum majora comparatione partium minorum: vid. Zypæus in Analitica Juris Pontificii l. 3. *de his quæ fiunt a maj. parte cap.*

2. Quando major pars scienter eligit indignum (§. 311. n. b.)

3. Ubi nec simpliciter totius capituli suffragia sufficiunt, sed duæ tertiæ requiruntur veluti in Electione S. Pontificis (§. 220. n. d.) cap. 3. de Elect. aut quando eligendus concurrit cum postulando, de quo mox infra dicemus.

* Minime ex cap. *Indemnitatibus* 43. §. *sane* de Elect. in 6 probari potest, Abbatissam quoque eligendam esse a duabus partibus Monialium, cum ibidem tantum dicatur: hoc modo electam confirmari posse omni adpellatione remota. Conf. Barbosa in Collectan. ad Concil. Trid. Sess. 25. c. 7. de Regular. n. 6.

(*k*) Neque igitur sufficit pars major, nisi sit sanior neque sanior, nisi sit major, c. 1. de his quæ fiu. a maj. parte capit. c. 56. de Elect. exceptis casibus, quibus electio etiam a minore parte facta subsistit (§. 311. n. b.) cap. 33. & 57. eod.

* In dubio pars major præsumitur etiam sanior, cap. 57. de Elect. & eo fortior est præsumtio donec contrarium probetur, quo major est eligentium numerus, c. 22. de Elect.

(*l*) Canones non tantum electionem coactas irritant reprobata omni contraria consuetudine, sed etiam pœnam excommunicationis statuunt in eos, qui inferendo vim, metumve incutiendo illas extorsere. Cap. 14. de Elect. c. 12. eod. in 6.

(*m*) Ad intelligendos rite canones intelligi quoque debet, quid ii sibi sub *privata*, quid sub *publica* electione velint. Illa consistit in dandis suffragiis, adeoque tot sunt electiones privatæ, quot sunt numero eligentes. Cap. 55. de Elect. *Electio communis* autem seu *capitularis*, atque *publica* fit post data collataque suffragia ab uno nomine totius capituli, c. 42. & 58. eod. in verbis *eligatur — electio celebranda* cap. 21. eod. in 6. Hinc etiam *duplex publicatio*: Altera scrutinii (§. 316. n. g.) altera electionis capitularis. Et hæc quidem fit vel per unum ex scrutatoribus, vel alium ad hoc deputatum in capitulo, vel etiam coram populo hisce vel similibus verbis: *Ego N. nomine meo, & eligentium, mihique consentientium invocata gratia S. Spiritus in Episcopum vel Abbatem hujus Ecclesiæ eligo, & electum coram vobis pronuncio in Nomine Patris* &c. Layman de Prælat. Eccles. qu. 77. Haudquaquam est opus, ut, si promulgans promulgando suum votum ante non dedit, utatur tantum hac formula *Nomine omnium vestrum qui in ipsum consensistis*. Enimvero quamprimum quis vota requisita habet, etiam reliqui, qui antea suum votum ei

non dedere, ex natura societatis majoribus votis accedere, in hisce votis munitum consentire, atque ita dein communem electionem facere tenentur.

* Decretum electionis redigitur in scripturam, eaque totum Electionis processum scilicet 1. scrutinium, publicationem votorum, collationem, & electionem; adeoque etiam, 2. electi nomen & titulum dignitatis; nec non, 3. eligentium nomina, assensum, & subscriptiones singulorum continet, ac 4. capituli sigillo munitum est. Cl. Schrott l. c. §. 310.

§. 317. Effectus electio habet istos, ut I. & quidem jam post publicatum scrutinium suffragia mutari non possint (*a*) II. electio ipsa ab eo tempore, quo commode fieri potuit, intra *octo dies* præsentari electo, ejusque consensus peti debeat (*b*) III. Electus teneatur intra *mensem*, computandum ab intimata sibi electione eandem acceptare, aut ei renuntiare, (*c*) atque IV. electione acceptata quasi conjugale vinculum cum Ecclesia spiritualiter contrahat, (*d*) & saltem jus *ad rem* adquirat (*e*), quo nisi ipse indignus sit, aut forma canonica electionis neglecta fuerit, privari nequit (*f*).

(*a*) Cap. 58. de Elect. nisi scrutinium non posset sortiri effectum, atque ideo novum esset inchoandum. Hinc si quidam ad electionem non vocati fuerint (§. 311.) ex hac solum causa non licet publicato scrutinio variare, quandoquidem aut ipsi illi non vocati adquiescere, aut etiam hisce non adquiescentibus superior motiva irritantem sententiam non ferendi habere posset. Pirrhing Tit. de Elect. n. 175.

* Post publicatum itaque scrutinium in iis electionibus, quæ debent fieri juxta formam c. 42. de Elect. (§. 309.) non admittitur accessus minoris partis ad majorem, excepta

1. Electione summi Pontificis, ubi tamdiu, quamdiu a duabus tertiis præsentium Cardinalium unus suffragia non obtinuit, Electores etiam post publicatum scrutinium & *majoribus scrutinii accedere* possunt. Const. 13. & 19. in Tom. 3. Bullarii Romani & Conf. Haberlini Romanum Conclave pag. 166. & seq.

2. Electione Monialium, quarum minor pars pariter post publicatum scrutinium accedere potest ad illam, quæ quidem per majora, sed nondum per duas tertias electa est, eo scilicet effectu, ut sic electa omni adpellatione remota statim queat confirmari (§. 316. n. i.) Cap. 6. de Elect. c. 43. eod. in 6.

(*b*) Cap. 6. & 16. §. Cæterum de Elect. in 6. ubi præsentationem culpa sua differentes eo ipso per triennium suspenduntur a beneficiis, quæ habent in Ecclesia, quam Electio concernit; adeo ut, si temere intra id tempus dein sese ingerant in hæc beneficia, iisdem ipso jure perpetuo sint privati.

(*c*) Sub pœna amittendi omne jus per electionem quæsitum. C. 5. & 6. de Elect. in 6.

(*d*) Et quidem spirituale matrimonium per electionem dicitur esse *initiatum*, cap. fin. de Translat. Episc.

(*e*) Cap. 21. 22. de Elect. Hinc etiam, qui solum electi sunt, administrationi Ecclesiæ viduatæ tam in spiritualibus quam temporalibus sese ingerere nequeunt, exceptis ob Ecclesiarum necessitates & utilitates ultramontanis, inter hos Germaniæ nostræ Episcopis, nisi quod etiam his prohibita sit rerum Ecclesiasticarum alienatio. Cap. 44. de Elect. cl. Schrott l. c. §. 314.

(*f*) Cap. 3. de Elect.

CAPUT VII.

De Confirmatione Electionum.

§. 318. Facta acceptaque electione peti debet ejusdem confirmatio, seu decretum, quo & electio & persona electa formato prius illius processu, & hujus qualitatibus consideratis a superiore, cui id competit, adprobatur.

§. 319. Et quidem ipse electus ad confirmationem intra tres menses a die acceptationis (*a*) a superiore immediato (*b*) petendam per canones obstringitur (*c*).

(*a*) Secus jure electionis excidit cap. 6. de Elect. in 6. Quid hac in parte ibi obtineat, ubi regiæ vigent nominationes jam supra (§. 309. n. b.) adnotatum est.

* Hinc ii, qui a summo Pontifice confirmationem petendam habent, cum Romam ire jubeantur, jam *intra mensem eo iter adgredi*, vel si impediti sint, *Procuratorem* legitime instructum mittere debent, Cap. 16. de Elect. in 6.

** Quod

** Quod tamen non receptum in Germania, ubi scilicet tantummodo super electione rite celebrata publicum instrumentum conficitur, & a capitularibus, aut scrutatoribus subscriptum ad sedem Apostolicam transmittitur, uti §. sequenti dicemus.

(*b*) Prælati itaque *mediati* confirmationem ab *Ordinario*; Episcopi autem juxta canones veteres a Metropolitano & synodo Provinciali (§. 192.) juxta hodiernos a summo Pontifice (§. 180.) petunt. Idemque jus intuitu prælatorum exemtorum observatur. Thomassin. de vet. & nov. Eccles. Discip. P. II. l. 2. c. 18. Van-Espen J. E. U. P. I. Tit. XIV.

(*c*) Si confirmatio intra tempus præstitum non petita, aut electio ob vitium electorum invalida reperta fuerit, locus est devolutioni. Cap. 18. de Elect. in 6.

§. 320. Conceditur autem confirmatio hac ratione, ut I. *contradictores speciales* nominatim; cæteri edictaliter citentur, (*a*) II. Instituta per Nuntium Apostolicum aliumve Prælatum inquisitione circa electionem & qualitates electi, fideique Professione ab eo exacta totus processus per instrumentum publicum (§. 319. n. b.) & addito inquirentis judicio vel immediate ad summum Pontificem vel in nominationibus Regiis ad Cardinalem illius Regni vel Provinciæ Protectorem transmittatur, (*b*) III. dein Romæ ipsa Confirmatio Episcoporum exemtorumve Abbatum *consistorialiter* (*c*) fiat (*d*).

(*a*) Cap. fin. de Elect. in 6.

(*b*) Vid. Bulla Gregor. XIV. *Onus Apostolicæ*; Concil. Trid. Sess. 22. c. 2. & Sess. 24. c. 1. de Reform.

(*c*) Vel habentur duo consistoria, in quorum priori Cardinalis *relator* tantum propositionem electi, aut nominati seu *præconizationem*; in altera autem prævio examine, ad quod tres alii Cardinales concurrunt, *totalem relationem* facit; subsequente dein illico ipsa confirmatione, qua S. Pontifex ex suffragio Cardinalium electum aut nominatum sub consueta formula Episcopum seu Abbatem pronunciat; vel hæc omnia *ipso S. Pontifice præconizante* in uno Consistorio peraguntur. Atque hisce peractis expeditur *Bulla* aut *Breve confirmatorium*, quod si contineat clausulam *supplentes* aut in forma speciali (§. 246. n. 2.) concessum sit, omnes actui electionis irrepentes defectus juri tantum humano contrarios nec manifestæ Ecclesiæ saluti adversos sanat. Cl. Schrott l. c. §. 324. & 325.

(*d*) Confirmatio electionis Canonicæ debetur ex justitia cap. 30. de Elect. Quod ad Electiones Episcoporum Germaniæ adtinet, de hoc plura T. V. occasione pertractandi Juris Patrii dicemus.

§. 321. Obtentæ confirmationis effectus in eo consistit, ut secundum Decretales (*a*) tum demum *jus in re* nascatur electo (*b*) ejusque spirituale matrimonium cum Ecclesia (§. 200. 317.) *ratum* evadat (*c*).

(*a*) In veteri nempe Ecclesia confirmatio & consecratio Episcoporum non actus separati erant, atque utrumque simul in synodo provinciali peragebatur (§. 180. n. d.)

(*b*) Tum igitur demum confirmati, qui antea *electi* Episcopi vocati sunt, *simpliciter* Episcopi dicuntur, & tum demum plenam administrationem & jurisdictionem tam in spiritualibus (exceptis iis, quæ sunt ordinis Episcopalis & ad quæ porro *consecratio* requiritur) quam in temporalibus (salvo jure Regio) exercere queunt (§. 298. n. a.) c. 44. §. 2. de Elect. cap. 15. eod. cap. 1. eod. Extravang. Com.

(*c*) Hinc confirmatus Episcopus inconsulto S. Pontifice nec suam Ecclesiam resignare, nec ad aliam transire potest. Cap. 4. de Translat. Episc.

CAPUT VIII.

De Postulatione Prælatorum.

§. 322. Cum *Electio*, ac proinde etiam Electionis *confirmatio* non valere queat, intuitu eorum, quibus dotes de eligendis requisitæ desunt (§. 312.) contingere tamen facile possit, ut idem, qui tantum uno alterove laborat defectu, hunc omni ceteroquin præstantia compensent, ac propterea tam vehementer jus suffragii haben-

bentibus exoptatus, quam Ecclesiæ admodum profuturus sit, restat II. in jure nostro via extra ordinem ad dignitates Ecclesiasticas perveniendi scilicet *postulatio* (§. 180. n. b.) (*a*) seu concors petitio capituli aut collegii (*b*) pro persona, quæ ob impedimentum canonicum, dispensari tamen solitum, (*c*) eligi non potest, directa ad superiorem, qui & electiones confirmandi & in impedimentis dispensandi jus habet (*d*) ut is illam dispensando (*e*) ad Prælaturam *admittere* velit (*f*). Quæ si *admissa* est, jam ab *electione confirmata* non in effectu (g) differt (*h*) si autem, non pro mero arbitrio (*i*) sed ob impedimentum, in quo dispensari aut non potest aut non solet, rejicitur (*k*) jus devolutionis producit (*l*).

(*a*) Jam vetus Ecclesia eam noverat postulationem, qua clerus & populus *aut* ad quendam præ aliis omnibus sibi pastorem obtinendum prorsus ardenter vota sua suasque preces exponebat; *aut* eundem, quem sibi præfici optabat, a superiore Ecclesiæ, cui adstrictus erat inde dimittendum flagitabat; *aut* denique a Principibus libertatem electionis, eiusque confirmationem expetebat. Dist. XXVI. can. 1. Dist. LXI. can. 6.

(*b*) Enimvero, quorum est eligere, eorundem est postulare; & hinc etiam postulare possunt, quibus ex compromisso, vel nomine procuratorio, vel ex consuetudine, vel per præscriptionem jus eligendi consequi licuit. Cap. 4. & 5. de Postulat. c.30. de Elect.

(*c*) Impedimenta dispensari solita sunt

1. Defectus natalium (ex simplici fornicatione) cap. 20. de Elect.

2. Ordinis, ut si ad Prælaturam laicus, vel in minoribus ordinibus constitutus petatur. Dist. LXI. can. 10. cap. de Elect.

3. Ætatis, veluti si quis ad Episcopatum promovendus nondum complevit annum trigesimum, Cap. 7. & 10. de Elect.

4. Professionis in Religioso ordine, cap. 13. & 27. de Elect. cap. 28. eod. in 6.

5. Vinculum spiritualis matrimonii jam cum alia Ecclesia contracti (§. 200.) quo etiam tenentur Episcopi Titulares (§. 209.) non autem Episcopi tantum electi, coadjutores, Episcopi qui resignarunt, Cardinales non Episcopi, aut qui jam ante obtinuerunt facultatem ad aliam Ecclesiam transeundi, cap. ult. de Postulat. cap. 2. de Translat. Episc. neque obstat c. 4. eod. ubi redarguitur Episcopus Hildesimensis munitus privilegio transeundi; quod ad Ecclesiam Herbipolensem se transtulerat; etenim hac solum de causa redarguitur, quod terminos privilegii excedens ad minorem vel æqualem transierat, & ante confirmationem sese immiscuerat administrationi.

* Qui hujus generis defectu laborant, hodie sibi plerumque consulunt per *Pontificium Breve eligibilitatis*, quo scilicet obtento immediate ad eam Ecclesiam, obtutu cujus illud obtinuerunt, eligi queunt.

** Hinc vero patet postulari non posse 1. omnino illiteratos, cap. 22. de Elect. 2. irregulares ex delicto, & speciatim hæreticos, excommunicatos, temerarios violatores interdicti, simoniacos, falsarios, aliosque ex delicto. Dist. L. can. 3. cap. ult. de temp. ordin. cap. 87. de Reg. Jur. in 6. cap. 12. & 59. de Elect. cap. 7. de crim. falsi. 3. Bigamos, spurios, natos ex damnato coitu, corpore notabiliter vitiatos, aut deformes. Cap. 10. de renunt. cap. 21. de Elect. cap. 6. de corp. vitiat.

*** Speciali constitutione in Extrav. un. de Postul. Prael. inter Comm. sub gravissimis pœnis prohibetur, ne postulentur 1. minores XXVII. annis ad Ecclesias Cathedrales 2. Religiosi ex ordine mendicantium ad Ecclesias Cathedrales inferiores.

(*d*) Itaque postulatio Episcoporum apud Romanum Pontificem; ceterorum vero non exemtorum Prælatorum apud Episcopum est interponenda, ita tamen, ut salvus sit recursus ad Metropolitanum & summum Pontificem cap. 4. de Elect. Barbosa Jur. Eccles. l. 1. c. 19. n. 24. Imo etiam postulatio Prælatorum inferiorum immediate apud summum Pontificem interponenda, si eidem dispensatio est reservata, uti in defectu natalium quoad dignitatem. Cap. 18. de fil. Presbyt.

(*e*) Ea de causa litteris postulationis inseri debent expresse defectus omnes, quibus postulatus laborat. Dispensatio enim est strictæ interpretationis, & ad defectus superiori incognitos sese extendere nequit. Imo scienter hoc facere omittentes etiam pro ea vice jure eligendi & postulandi privantur. Cap. 10. de Elect. cap. 1. & 2. de fil. Presbyt. in 6.

(*f*) Admissio postulationis innititur nempe soli gratiæ. Atque hinc etiam 1. postulatio *admitti*, non confirmari dicitur, 2. postulatus ante admissionem secutam nullum jus adquisitum habet, & absque speciali indultu sacrorum vel temporalium administrationis sese immiscens pœnam irritæ postulationis sibi inducit. 3. Postulationem non *absolute*, sed tantum *sub conditione*, si superior admiserit, acceptare potest, 4. publicata quoque & acceptata postulatione postulantes variare queunt usque ad præsentationem superiori factam. Qua quidem facta ob solam reverentiam debitam superiori, absque ejusdem consensu variare non licet. Hac quoque de causa 5. ille cujus postulatio jam reje-

cta est, iterato postulari nequit. Et quidem id sub pœna *privationis* juris eligendi & postulandi pro ea vice prohibetur. 6. Petitio pro admissione prorsus expensis petentium seu ipsorum postulantium fieri debet, ac denique 7. superior ad postulationem admittendam postulato *ex justitia stricte tali* non obstringitur, quamvis respectu habito ad salutem Ecclesiæ viduatæ huic quidem ad illam admittendam urgente necessitatis aut publicæ utilitatis causa ex officio & justitia sit obligatus. C. 1. 2. 3. 4. 5. de Postulat. Prælat. c. 16. de Elect. in 6.

(*g*) Proinde postulatione admissa non opus est alia confirmatione, si non penes alium jus confirmandi; penes alium jus in hoc illove impedimento dispensandi resideat (§. 318. n. b.)

(*b*) Differentiæ itaque inter Electionem & postulationem ex dictis colliguntur esse istæ, quod

Electio fit	*Postulatio* fit
1. Vocatio personæ idoneæ	Petitio pro admittenda persona minus idonea, non ipsi sed superiori oblata.
2. Statim jus tribuat electo, petendæ scilicet confirmationis, & hinc	Postulato nullum jus tribuat, & hinc
3. Eligentes publicata semel scrutinia variare nequeant.	Postulantes a postulatione recedere possint, antequam superiori postulationis decretum oblatum fuerit, nam postea variare neque ipsis licet, ne superiori illudere videantur.
4. Electio dicatur confirmari	Postulatio admitti
5. Confirmatio electionis innitatur justitiæ, sed etiam hæc præcipua accedit differentia, quod	Admissio postulationis innitatur gratiæ, quatenus dispensationem super aliquo defectu continet. Respectu enim Ecclesiæ, si de ejusdem utilitate est, superior postulatum admittere ex officii necessitate tenetur.
6. Eligendus si cum aliis eligendis concurrat, debeat habere vota majora, habita ratione totius Capituli, Si autem concurrat cum postulando non nisi tertia votorum parte indigeat, quandoquidem ideo, quia sine defectu est, quæ altero defectum habente Ecclesiæ utilior esse censetur. Cap. 40. de Elect. cum quo concordat Constitutio Innocentii XI. apud Fabri *in Status Cancellaria*. P. XI. pag. 751. Conf. cl. Oberhauser ad Tit. de Postu. & Panormit. ad cap. 40. de Elect. nec non Scharz ad Tit. de Postul. contra Layman in Q. can. de Præl. Eccles. 9. 7. & Schnorrenberg Inst. can. T. V. q. 12. 1. qui electo per unam tertiam in concursu cum postulando non tribuunt verum jus, sed asserunt, ab arbitrio superioris dependere, num electionem confirmare, vel postulationem admittere, vel utramque rejicere velit.	Postulandus quidem etiam si concurrat cum altero postulando, prævaleat per vota majora, habita ratione totius capituli; si autem concurrat cum eligendo, votis opus habeat *duplo majoribus*, atque adeo non ipsi sufficiant duæ tertiæ, quæ tantum efficiunt votorum duplum, sed unum insuper suffragium requiratur, ut scilicet postulatio, si non perfecte concors est, propius accedat ad *Concordiam*, quæ tot postulantium judicio fundatam inducit præsumtionem: postulatum, non obstante hoc illove defectu Ecclesiæ magis fore utilem.

* Corollarium discriminis inter electionem & postulationem intercedentis est, ut postulantes abstinere debeant ab his formulis *Eligo & postulo*, aut *postulo eligendum*, *eligo postulandum*; imo, si non prudens dubium subversetur, etiam ab hac *eligo & postulo prouti melius de jure valere potest*. Cap. un. de Postul. in 6. Conf. cl. Barthel in annot. ad univ. Jus can. de Postul. q. 2.

** Ceterum itaque etiam in postulatione servari debet forma & solemnitas in cap. 42. de Elect. præfixa, & quidem eo magis, quo majus periculum Ecclesiæ ex postulatione imminet. Conf. P. Zech. Hierarch. Eccles. Tit. XX. §. 230.

(*i*) In hoc enim casu libertas novæ electionis ad capitulum redit.

(*k*) Siquidem tale sit impedimentum, in quo salvis constitutionibus Ecclesiasticis, nec quidem dispensari potest, privatio electionis & postulationis pro ea vice ipso jure inducitur Cap. 5. de Post. Ob impedimentum vero dispensari non solitum postulatio per sententiam privatoriam irritari debet. Cl. Schrott l. c. §. 268.

(*l*) C. 1. in fin. de Post. c. 23. de Elect. Quod tamen intelligendum de eo casu, quo in postulationem indigni omnes de capitulo consensere; secus enim postulatio vel electio ad innocentes devolvitur (§. 303. n. b. *).

* Po-

* Postulatio, de qua hactenus egimus, dicitur *propria & solemnis* & ita discernitur ab illa *simplici minus solemni* & *impropria*, qua quis 1. non defectu laborans, sed vi obedientiæ & muneris adstrictus alicui, 2. ab hoc suo superiore, etiam laico, ut is illum 3. exobedientia munereve dimittat, pro quadam Prælatura vel Ecclesia postulatur. Tali postulatione indigent Cardinales non Episcopi ad Episcopatum, clerici beneficiati alienæ diæcesis, Abbates ad Episcopatum, omnes subditi intuitu sui Imperantis. Cap. 3. de Postul. Caus. VIII. qu. 1. c. 37. cap. 36. de Elect. in 6. Et ejusmodi quidem cap. 24. de post. in 6. etiam intuitu Religiosorum ad Abbatiam alienam promovendorum observari jubet; Verum Clemens V. nullum Religiosorum in Abbatem alterius Religionis vel habitus eligi sinit clem. 1. eod.

CAPUT IX.

De Consecratione Episcoporum & usu Pallii.

§. 323. Electionem confirmatam, admissamve postulationem; aut quamcumque demum legitimam rationem, qua quis ad Episcopatum promotus fuerit, sequitur III. consecratio (§. 309.) seu impositio manuum super caput promoti a legitimo consecratore (*a*) tempore (*b*) loco (*c*) ac ritu (*d*) per canones determinato; (*e*) ideo peragenda, quia ejus ministerio demum Episcopalis officii plenitudo confertur (*f*).

(*a*) Consecrator legitimus per duodecim secula erat Metropolitanus, Dist. LXXIV. can. 6. & 8. Dein vero una cum Episcopalium electionum confirmatione tanquam hujus *appendix* etiam consecratio Romano Pontifici reservari cæpit (§. 180. n. d.) Conf. cl. Rupprecht Not. Hist. in Un. J. can. Tit. de Elect. n. 105. & seq.

(*b*) Tempus, *quo* peragi potest, est dies dominica vel Natalitium Apostoli festum; Tempus vero *intra quod* peragi debet, est trimestre. Et quidem antiqui Canones consecrationem Episcopi *intra menses a cæpta vocatione* in regula exigebant. Concil. Chalced. can. 5. apud Grat. Dist. LXXV. can. 2. sed Concilium Tridentinum eam præcipit *intra tres menses a confirmatione*; imposito negligentibus onere restituendi fructus perceptos, additaque etiam hac sanctione, ut, si intra aliud trimestre iterum consecrationem suscipere neglexerint, ipso jure sua Ecclesia priventur. Sess. XXIII. c. 2. de Reform.

* Cum olim omnia in synodis provincialibus expedirentur, sufficientes facile esse poterant tres menses a cæpta vocatione. Devoluto autem ad sedem Apostolicam confirmandi & consecrandi jure, & hisce actibus per consequentiam distinctis, necesse erat alios temporis terminos constituere.

(*c*) Injungunt canones, ut fiat in propria electi Ecclesia vel saltem in eadem Provincia, si tamen fieri potest. Dist. LXXV. can. 1. Conferatur quoque Pontificale Romanum.

(*d*) Ritus in eo consistunt, ut

1. Consecrator æque ac electus vigilia præcedenti jejunet.

2. Præter Episcopum consecratorem adhibeantur porro duo adsistentes Episcopi. Concil. Nic. can. 4. Dist. LXIV. c. 4. & 5. qui tamen, ex ratione eorundem Canonum, & hodierna praxi tot exemplis anterioribus innixa patet, non tam de consecrationis *substantia*, quam de *probatione solemnitatis* desiderantur. Rupprecht l. c. Oberhauser Tit. de Elect. §. 37. Van-Espen J. E. U. P. I. Tit. XV.

3. Consecratori ad altare sedenti major Episcoporum assistentium offerat electum dicendo: *postulat sancta mater Ecclesia catholica, ut hunc præsentem Presbyterum ad onus Episcopatus sublevetis.*

4. Consecrator interroget, *an habeat mandatum Apostolicum*, quo scilicet consecrandi potestas committitur.

5. Respondente Episcopo adsistente: *habemus*, hoc mandatum recitetur.

6. Electus dein illico sedi Apostolicæ juramentum fidelitatis præstet, eoque præstito

7. Ad varias interrogationes de moribus & fide respondeat verbis *volo & credo*. Post hæc

8. Inchoetur sacrum, sub quo

9. Lecta Epistola & graduali dicantur lytaniæ, & hisce finitis

10. Evangelii liber imponatur Cervici & humeris electi. Subinde

11. Consecrator & duo assistentes Episcopi ambabus manibus tangant caput consecrandi dicentes; *accipe spiritum sanctum*, & porro interpositis semper consuetis precibus formulis & canticis.

12. Caput electi, nec non

13. manus eodem chrisma ungantur

14. Tradatur consecrato præmissis benedictionibus baculus pastoralis, annulus, & jam acceptus

ptus de humeris Evangeliorum liber; hocque facto

15. a consecratore & assistentibus ad osculum pacis recipiatur, ejusdemque

16. absterso capite, & lotis manibus

17. in Missa pergatur.

18. Ad offertorium consecratus consecratori duo *intorticia* accensa, duos panes, & duo barrilia vino plena offerat.

19. Consecrator, & consecratus simul missam prosequantur, & hic quidem ab illo communionem de eadem hostia & eodem calice stans accipiat.

20. Imponatur denique mitra capiti consecrati, & manibus induantur chirothecæ prius benedictæ, itaque indutus

21. collocetur in sedem Episcopalem, ac tandem

22. cæpto Ambrosiano Hymno ab assistentibus per Ecclesiam, ut omnibus benedicat, deducatur, totusque actus

23. solemni benedictione & dato pacis osculo finiatur.

* Non omnia ex hisce ritibus jam vetus Ecclesia adhibuit, nec hodiedum in cunctis Ecclesia latina cum græca convenit. Van-Espen l. c. Morinus de SS. Ordin. P. III. Exerc. 6. cap. 2.

** *Baculo pastorali tanquam symbolo potestatis in inferiores exercendæ* AB IMPERATORIBUS *quondam donari solitos esse Patriarchas & alios præcipuos animarum Præfectos scribit Cordinus cap. 20. & quidem his verbis*: PATRIARCHA DEIN IN SUGGESTUM CONSCENDENS DE MANU IMPERATORIS PEDUM PASTORALE ACCIPIT. Jacobus Goar. in Notis ad Rituale Græcum, pag. 313. Edit. Paris. de anno 1647.

*** Romanus Pontifex non utitur baculo pastorali, quia 1. S. Petrus discipulo Martiali fertur *dedisse baculum*, quo is tangeret mortuum suum collegam Matthæum, eumque suscitatum juberet ire & prædicare Evangelium, & quia 2. mystica hujus est ratio multiplex cap. un. de Sacr. unct. Scilicet sententia, quæ Pontificis potestatem immediate a Deo, potestatem vero Episcoporum immediate a Pontifice derivavit, illico etiam in hoc deprehendit caussam, cur Episcopi baculum, utpote a Pontifice acceptum habeant; non item Pontifex. Verum acta Martialis spuria & fabulosa esse pridem adverterunt eruditi apud Van-Espen l. c. §. 18. ubi etiam adnectuntur ex Tom. 9. Concil. General. Col. 659. & ex auctore appendicis ad Reginonem anno 964. argumenta, quibus commonstratur, Pontifices olim omnino *Pontificiali ferula* usos esse.

**** *Hactenus dicta sat ostendant*, ait Van-Espen *ritus ac ornamenta Pontificalia in ordinatione Episcoporum unice ex mente Ecclesiæ ad hæc adhiberi, ut ipsis Episcopis in memoriam reducatur, quas virtutes ministerium Episcopale in ipsis exigat, & qualiter suo officio eos incumbere oporteat. Hinc videant Episcopi, quantopere a spiritu Ecclesiæ aberrent, qui illa Pontificalia ornamenta sibi quasi ad pompam ac fastum mundanum imposita & data credunt*. l. c. §. 25.

***** Abbatibus consecrationis loco tribuitur Benedictio, quæ quidem ad similitudinem consecrationis instituitur, *absolute* tamen non est necessaria. Ceterum tenentur eam Abbates intra annum a die electionis computandum ab Episcopis, in quorum Diœcesibus monasteria existunt; juxta ritum in Pontificali Romano præscriptum suscipere, & susceptæ effectus in potestate 1. exercendi ea, quæ sunt veluti actus ordinis, 2. gestandi baculum, mitram aliaque insignia Pontificalia. Vid. Constitutio Benedicti XIII. de anno 1725. cl. de Riegger l. c. §. 345.

(*e*) In canonibus quidem antiquis minime omnium deprehenditur quidquam de juramento fidelitatis ab Episcopis Pontifici præstando. *Seculo* adhuc *Nono* in Concilio Cabillonensi II. can. 13. & in conventu Aquisgranensi an. 816. can. 16. prohibitum fuit, ne ab ordinandis professio jurata exigeretur, & *seculo* etiam *undecimo*, quo juramentum adjici cæpit, id unice *canonicam obedientiam* respexit. Tom. IX. Concil. General. col. 1211. Videlicet demum Gregorius VII. primus fuit, qui an. 1079. a Patriarcha Aquilejensi in Concilio Romano non duntaxat canonicam obedientiam exegit, sed etiam juramentum fidelitatis non absimile illi, quod vasallus domino directo præstat II. feud. 5. 6. 7. vid. cap. 4. de jurejurando & cap. 4. de Elect. nec non cap. 13. de major. & obed. ubi jam habetur formula a Clemente VIII. reformata & aucta. Juramenti hujus præcipua capita sunt hæc

1. de obedientia præstanda sedi Romanæ, & integro conservando ejus statu.

2. de secretis sibi revelatis non propalandis.

3. de juribus sedis Papalis & Regalibus S. Petri defendendis.

4. de honore Nuntiis Apostolicis exhibendo.

5. de fugiendis illis, qui quidquam moliuntur adversus sedem Romanam, quæque eidem noxam afferre possent, illico manifestandis.

6. De recipiendis humiliter decretis, reservationibus, institutis & mandatis Apostolicis, iisque vel per se vel per alium diligenter exequendis.

7. De hæreticis & schimaticis persequendis.

8. De adventu ad synodum, si vocatus fuerit.

9. De rationibus Romano Pontifici intuitu totius pastoralis officii reddendis, & hinc de visitandis omni triennio liminibus Apostolorum (per quæ tamen non intelliguntur Ecclesiæ

SS. Petri & Pauli eorumve sepulchra, sed sedes Apostolica; veluti & olim *visitare limina Apostolorum* significabat Romam ad synodum se conferre, ad quod tum temporis quidem soli Episcopi Metropoli Romanæ subjecti & propiores obligabantur. Dist. 95. can. 4.)

10. De bonis mensalibus inconsulto Romano Pontifice non alienandis.

Additur quidem Clausula *salvo ordine meo*. Verum dicere liceat cum Van-Espen. 1. *Quandoquidem plures ex articulis hujus juramenti sunt plane conformes iis, quos continet juramentum a Vasallo præstandum Domino directo, non satis conveniens apparet, ut similes articuli proponantur Episcopis, qui Romano Pontifici in temporalibus nec immediate nec mediate sunt subjecti, neque Pontifici tanquam eius vasalli ratione temporalium sunt obstricti, præsertim, ut id ipsum jurejurando obsignent* — 2. inter articulos hujus juramenti, quibus absque *consensu Principum* præsertim in quibusdam Provinciis satis fieri non potest, esse *legatum Pontificis ut talem agnoscere, adire, excipere & comitari, Regni finibus excedere vel ad synodum vel ad Pontificem proficisci*, de quibus etiam videri potest Franciscus Florens ad titulum de concessione Pallii pag. 231. & ab eo citati. 3. *Nonnullos articulos ita expressos esse, ut attento expressionis tenore & spectatis Provinciarum inveteratis moribus sat ambiguum sit, num Episcopis suo juramento quoad hos articulos satisfacere possint*. OPTANDUM ESSET, ET OB RELIGIONEM JURAMENTI, ARTICULI CLARIORIBUS TERMINIS, ET PROVINCIARUM JURIBUS ET CONSUETUDINIBUS CONFORMIBUS EXPRIMERENTUR, ATQUE ITA OMNIS ÆQUIVOCATIO ET AMBIGUITAS, QUÆ IN JURAMENTIS SOLICITE VITANDA EST, EVITARETUR, QUIN ET SATIUS ESSET, UT JUXTA SANCTOS CANONES ET LAUDATISSIMAM PATRUM DISCIPLINAM AB OMNI EXACTIONE JURAMENTI ABSTINERETUR; ET SOLA FIDEI PROFESSIO ET OBEDIENTIÆ PROMISSIO EXIGERETUR, QUÆ SOLA PER DECEM ET AMPLIUS SECULA IN USU FUISSE LEGITUR. Qui illas vere penetravit divina naturali lege fundatas regulas *juramentum sequitur naturam promissionis, cui adjicitur* — juramentum *nequit esse vinculum iniquitatis*; qui porro divina naturali lege innixis civitatum & gentium juribus recte studuit; qui denique semper *probabiliorum* amans est, is clarissimo Van-Espen illico assentitur. Conf. Van-Espen l. c. §. 11. 17. & 18. nec non Fleury Hist. Eccles. l. 63. num. 2.

(*f*) Effectus scilicet consecrationis sunt, ut 1. consecratus accipiat characterem ordinis Episcopalis, adeoque etiam potestatem functiones hujus ordinis peragendi, nec non

2. ius *intrinsecum radicale*, ac proprium Jurisdictionis. Conf. Barthel Diss. de concord. Germ. III. c. 3. §. 31.

3. Inter Ecclesiam & Prælatum matrimonium spirituale ita reddatur consummatum, c. 2. de Translat. Episc.

4. Consecratus salutetur a Pontifice frater. Ivo Carnot. Ep. 8.

5. Beneficia, quæ antea habebat Episcopus, ipso jure vacent. Cap. 7. de Elect.

* Singulis annis solemnem consecrationis memoriam fieri jubet. Dist. I. de cons. can. *solemnitates*, & seq. Et in Martyrologio dies ordinationis *Natalis* Episcopatus dicitur. Conf. Cironius in Paratit. Tit. de Elect. §. 33.

§. 324. Archiepiscopis quidem præterea Pallium (§. 182.) (*a*) Roma petendum (*b*) adeo omnibus injungitur, (*c*) ut ante illud obtentum (*d*) Pontificalem Potestatem suam plene exercere nequeant, (*e*) Episcopis id ornamentum obtingit tantummodo quibusdam, & vi singularis Privilegii (*f*) vel ipsis ad *personam* concessi, vel *Ecclesiæ*, cui præsunt annexi. Ceterum etsi hoc sensu prærogativa Pallii *realis* aut *personalis* esse possit, (*g*) ipsum tamen Pallium tam Archiepiscoporum quam Episcoporum est *personalissimum* (*h*) quemadmodum etiam Pallii usus hisce non minus ad Diæcesim ac illis ad Provinciam (*i*) & singulis quoque ad certum tempus (*k*) restringitur (*l*).

(*a*) Qui originem Pallii aut a S. Petro aut a S. Marco aut a Lino Successore Petri aut a Marco Sylvestri successore repetunt, genuinis destituuntur documentis, uti jam omnibus eruditis est perspectum. Conf. Van-Espen I. E. U. P. I. Tit. XIX. c. 5. §. 2. Gibert corp. Jur. Can. Tom. II. Tit. XXI. Reg. 24. in Not. Zallwein Princ. Jur. Eccles. Tom. IV. qu. 1. cap. 3. §. 11. in not. lit. 1. Ex cæsarea autem concessione id seculo IV. ita venisse, ut Pontifices & Patriarchæ eo donati absque consensu Imperatoris idem nec aliis communicare potuerint, & genus vestimenti Imperialis per totum corpus defluentis, auro gemmisque ornati adeoque a forma hodierna prorsus distincti fuisse, demonstrant Thomassinus P. I. l. 2. c. 53. Petrus de Marca l. 6. de Conc. Sac. & Imp. c. 6. & Van-Espen l. c. Neque enim hoc ornamentum, inter ipsos Ecclesiæ Antistites singulare, confundere volumus cum genere illo ca-

falis,

sulæ, cappæ seu humeralis, quod græcis *ὠμοφόριον* dicitur, & quo communiter Prælatos ab inferioribus inde ab initio vestium sacerdotalium & per tria priora secula distinctos fuisse defenditur. Conf. cl. Barthel opusc. jurid. Tom. II. opusc. I. de Pallio cap. 1. §. 7. Certum est, imperiali isto habitu dein in ornamentum tantummodo sacrum mutato, etiam Imperatorum maxime hæreticorum vel schismaticorum consensum in Pallii concessione negligi cæpisse. Gregor. l. 4. c. 53. sub ævo sane Imperatorum Carolingicorum Saxonicorum Pallia impertiebantur solum commendatione ab Imperantibus interposita. Barthel l. c. c. 2. §. 8. & sequ. Certum quoque habetur, usum pallii, quamquam in Ecclesia græca antiquior sit (Isidorus Pelusiota l. 1. Ep. 136.) attamen in occidente non invaluisse ante secul. IV. Videatur Dist. C. ubi non obstat cap. 1. utpote ex mercibus Isidori.

* Paratur Pallium hac solemnitate, ut

1. quinque illi subdiaconi Apostolici seu Ministri Ecclesiastici Papæ procurent ad diem 21. Januarii festo sanctæ Agnetis celebrem duos agnos candidissimos, qui

2. memorato festo in duobus supra equum *cistellis* positi

3. per plateam S. Petri & ante Palatium Vaticanum Papæ, qui e fenestra eos benedicit, nec non dein

4. per mediam urbem ad Ecclesiam S. Agnetis deferuntur; ibique

5. in missa solemni, dum ad *Agnus Dei* perventum est, ab ejusdem Ecclesiæ religiosis (canonicis regularibus congregationis S. Salvatoris) traduntur duobus canonicis Basilicæ Lateranensis S. Joannis, seu cathedralis Papæ, & ab his porro restituuntur subdiaconis Apostolicis, qui subinde

6. In pascuis particularibus eos servant, eorundemque lanam a monialibus duci curant in filum. Hoc ipsum cum alterius quidem lanæ filo intertexitur, & inde formantur fasciolæ, indeque pallia, quæ

7. Benedicta, in altari S. Petri ejusdem sepulchro viciniori relinquuntur integra nocte, & denique imposita arculæ adservantur.

* Benedictio hæc non fit singulis annis, sed prout necessitas exigit. Et quia in altari S. Petri celebratur, Pallium dicitur *ornamentum de corpore S. Petri sumptum*. Vid. 4. de Elect. & Conf. cl. Rupprecht Not. histor. ad Tit. de Elect. nec non Nicolaus de Brailion Presbyter Oratorii in Differt. de Pallio.

(*b*) Ratio, qua petitur Pallium, hæc est, ut

1. Promotus Archiepiscopus intra tres menses a consecratione, vel si jam consecratus Episcopus fuerit, a confirmatione computandos id a summo Pontifice petat, secus, siquidem non juste impeditus fuerit, sua dignitate privandus. Cap. 28. & 44. Et hac de causa

2. aut ipse se Romam conferat, (quemadmodum antehac pallium non nisi Romæ præsentibus & limina Apostolorum invisentibus concessum fuit) aut hodierno more jam a quinque fere seculis intuitu dissitorum Episcoporum recepto Procuratorem speciali ad id mandato instructum mittat.

3 Transmittatur simul Professio fidei, nec non

4. Ex instituto Bonifacii & Gregorii VII. juramentum fidelitatis ac obedientiæ (§. 323. n. d. & c.) Vid. cap. 28. & 44. de Elect.

(*c*) Seculo quidem VIII. jam omnibus Metropolitis necessitas Pallium petendi per synodum Bonifacianam an. 742. imposita fuit. Verum hanc constitutionem Antistites Franciæ non observavere. Demum seculo IX. id primum generaliori consuetudine receptum, subinde Decreto Joannis VIII. in synodo Ravennatensi an. 857. firmatum, & tandem in seculo XI. a Gregorio VII. stabili lege injunctum fuit. Atque causam, cur Bonifacius Moguntinus & dein summi Pontifices Archiepiscopis hanc necessitatem imposuerint, Petrus de Marca de C. S. & I. l. 6. cap. 7. contendit eam fuisse, ut illi sedi Romanæ ita magis obnoxii, magisque subjecti etiam jura sua metropolica potius ab ejusdem sedis Vicariatu arcesserent, quam suæ suarumque provincialium synodorum insisterent libertati.

(*d*) Ipsa Pallii concessio hisce peragitur cum solemnitatibus.

1. S. Pontifices, qui quidem olim Metropolitanis Romæ præsentibus ipsi conferebant Pallium, hodie id negotium committunt primo Cardinali Diacono. Hic igitur

2. In Ecclesia destinata, ac plerumque in Ecclesia S. Petri Pallium ex arca, qua repositum erat, a subdiaconis Ecclesiæ Romanæ sibi traditum, & in medio altaris expansum post celebrata missarum solemnia

3. humeris Prælati vel ejus Procuratoris ad altare genuflectentis & ita supplicantis: *Ego N. electus Ecclesiæ N. instanter instantius instantissime peto mihi tradi & assignari pallium de corpore B. Petri.*

4. Imponit hac formula: *Ad honorem omnipotentis Dei & B. Mariæ semper virginis ac Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, Domini nostri N. Papæ N. & S. Romanæ Ecclesiæ, nec non Ecclesiæ N. tibi commissæ, tradimus tibi Pallium de corpore B. Petri sumtum, in quo est plenitudo Pontificalis officii cum Patriarchalis (vel Archiepiscopalis) nominis adpellatione; ut utaris eo intra Ecclesiam tuam, certis diebus, qui imprimuntur in privilegiis ab Apostolica sede concessis. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, amen.*

* Gregorius M. l. 4. Ep. 44. & apud Gratianum Dist. C. can. 3. nec non Zacharias P. ep. 4. Concil. Tom. VIII. *severissime* prohibent exactiones pro Pallio. Recentiori tamen ætate tam ingentes denuo ad pallia obtinenda sumtus invaluerunt, ut status Imperii de hoc iterum iterumque apud Imperatores Maximilianum I. & Carolum V. fuerint conquesti; Hæc etiam repetita gravamina effecere, ut exactiones illæ saltem ad minorem reducerentur summam, quam porro doctrina communis a simonia eo ex titulo liberat, quod non proprie pro pallio & plenitudine officii Archiepiscopalis, sed pro sustentandis curiæ Romanæ officialibus præstatur. Conf. Paul. Lang. in Chronico Citizensi ad an. 1515. apud Pistor. script. rer. Germ. nec non Barthel in Diss. de Pall. cap. 11. in fine.

(*e*) Quæ jam supra de effectu Pallii insinuavimus, confirmantur cap. 3. de auct. & usu Pallii, & cap. 28. de Elect. & hisce nititur tota Pallii definitio, quod sit *ornamentum de corpore B. Petri sumtum plenitudinem officii Pontificalis continens*. Ceterum, veluti alios effectus civiles Pallium non producit, ita etiam ad inaugurationem Regum, quæ ad actum ordinis vere hierarchicum referri nequit, & regnum potius quam Ecclesiam respicit, nequaquam absolute est necessarium. Cl. de Riegger l. c. §. 206.

* Nondum insigniti Pallio, si modo confirmati fuerint, eadem, quæ *exercere* non queunt, possunt tamen Metropolitæ alteri delegare. Cap. 11. de Elect.

(*f*) In Germania Privilegium Pallii habent Episcopus Bambergensis & Passaviensis; & in Hungaria Episcopus quinque Ecclesiarum, imo aliqui non exemti. Cl. Schrott l. c. §. 373.

* A privilegio pallii non igitur valet conclusio ad exemtionem. Neque tenentur Archiepiscopi, utpote metropolitica sua jura ab Ecclesia per canones non a S. Pontifice habentes, eorundem jurium læsionem pati. Conf. Zalliwein Princ. Jur. Eccles. Tom. III. q. 1. c. 3. §. 11. & seq.

(*g*) *Reale* itaque, seu quod datur intuitu Ecclesiæ, ad quemcumque in illa Ecclesia Prælatum successorem transit.

(*h*) Hinc

1. non potest id a vivo commodari, aut cedi alteri;

2. nec a morituro relinqui successori, sed cum eo sepeliri debet:

3. neque translato ab una Ecclesia in aliam usum prioris Pallii retinere licet.

4. Duos Episcopatus habens, etiam duo impetrare debet pallia. Vid. cap. 2. & 3. de usu & auct. Pallii c. 4. de Postul.

* Hinc etiam ademptio pallii signum exauctorationis; depositio palli signum renunciationis est. Conf. Van-Espen l. c.

(*i*) Exceptionem faciet specialis Apostolica permissio aut Consensus Diæcesani. C. 5. de auct. & usu Pallii. Minime autem in controversiam vocari potest usus Pallii etiam in locis exemptis. Etenim 1. etiam *exemti* degunt in *provincia*, & Archiepiscopus intra quamlibet Ecclesiam suæ Provinciæ pallio uti potest. Cap. 1. de auct. & usu Pallii. 2. Pallium non tantum signum Jurisdictionis in sensu stricto, sed etiam, quam venerari tenentur exemti, honoris ac dignitatis Archiepiscopalis esse noscitur; quemadmodum igitur crux tanquam ejusmodi signum ante Archiepiscopos in locis etiam exemtis gestatur, Clem. un. de Privileg. ita non minus Pallii ad Pontificalia Archiepiscoporum pertinentis usus sese ad loca exemta extendet. Innoc. III. lib. de Myst. Missæ. Neque 3. obstat c. 4. de auct. & usu Pallii, ubi usus iste restringitur ad Ecclesiam, in qua Archiepiscopus habet *jurisdictionem*. Enimvero si jurisdictionem in sensu lato hic sumere displicet, reflectatur ad jurisdictionem, quæ Episcopis etiam stricte in tot casibus in exemptos competit (§. 194.) Conf. Gonzalez ad cap. 4. de usu & auct. Pallii, Barthel in Tit. Diss. cap. 10. §. 14. contra P. Pichler in cand. abbrev. Juris can. n. 5. & in Jur. Pract. ad Tit. de usu & auct. Pallii, si tamen cum tali interprete Canonum, qui Episcopis omni studio colendis non tantum primogenia jura, sed quaqua occasio datur, etiam insignia dignitatis detrahere conatur, operæ pretium aut honor est decertare.

(*k*) Extra festa præcipua, extra solemnia Missarum, & extra ordinationes clericorum, aut consecrationes Ecclesiarum usus Pallii non solet indulgeri. Dist. C. can. 8. cap. 46. & ult. de auct. & usu Pallii vid. in Pontificali Romano Titulus de Pallio, ubi dies recensentur, quibus Pallio uti Archiepiscopo licitum est.

(*l*) Romanus Pontifex ob suum in universa Ecclesia primatum semper & ubique, & tam intra quam extra missarum solemnia pallio uti potest; non tamen extra Ecclesiam portat.

CA-

CAPUT X.

De Dignitatibus & Muneribus Episcopatu inferioribus.

§. 325. De dignitatibus quidem & muneribus Episcopatu inferioribus in iis, quæ superius ad dignoscendos Episcoporum Vicarios me oportebat exponere (§. 208.) sequ. fere præcipua tradebantur. Restant tamen aliqua, quæ circa dignitates capitulorum & Ecclesiarum cathedralium universe; quæque circa quamvis in specie per canones stabilita partem politiæ Ecclesiasticæ adtentione dignam, & in Canonici Juris studio prorsus non negligendam conficiunt.

§. 326. Enimvero circa Canonicos universe statutum est, I. ut *Personaliter* resideant, (*a*) iisque non longiori quam trium mensium spatio (*b*) absque speciali indultu ac singulari causa (*c*) sub statutis pœnis (*d*) abesse liceat, II. divinum quoque officium (*e*) diligenter (*f*) ipsi (*g*) & minime tamen intuitu distributionum (*h*) frequentent; atque III. in suis capitulis (*i*) primo loco illa accipiant tractanda, quæ mores, divinum officium ac cultum Ecclesiæ spectant (*k*);

(*a*) Beneficia dantur propter officia, cap. fin. de Rescr. in 6. adeoque de jure communi omnia beneficia residentiam requirunt. Speciatim vero etiam de Canonicis id postulat synodus Trid. Sess. 24. de Reform.

(*b*) *Obtinentibus in Cathedralibus aut collegiatis Ecclesiis dignitates*, ait synodus Trident. l. c. *canonicatus, præbendas aut portiones non liceat* VIGORE CUJUSLIBET STATUTI *aut* CONSUETUDINIS *ultra* TRES MENSES *ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse; salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.*

* *Ista concessio absentiæ ad tres menses* subnectit Van-Espen, *non sic est accipienda; quasi Canonici libere, & licite abesse possint a choro tanto tempore pro mero libitu, sed hoc sensu, quod tanto tempore abesse possunt ex honestis causis absque speciali licentia superioris, sive, quod illius absentiæ causa legitima permittatur conscientiæ canonicorum.* Part. I. Tit. VII. cap. 9. §. 5.

(*c*) Causæ a residentia excusantes sunt præcipuæ

1. servitium Episcopi, pro quo jus commune duos admittit, cap. 7. & 15. de cleric. non resid. non tamen ita, ut Episcopus pro necessitate & utilitate Ecclesiæ v. g. ad populi instructionem plures assumere nequeat, qui proinde pariter in servitio Episcopi existentes reputari debebunt.

2. Studium in scholis publicis & privatis theologiæ vel sacris Canonibus impensum, & omni semestri, aut ad minus singulis annis legitimo testimonio commonstrandum.

* In causis pluribus afferendis faciles sunt interpretes canonum, ea contenti cautione, ut modo præsentium numerus divinis officiis rite persolvendis par sit. Conf. Fagnanus ad Tit. de Cleric. non resid.

(*d*) Qui in Ecclesiis cathedralibus aut collegiatis tenent dignitates, præbendas, seu portiones, si ultra tres menses injuste absint

Primo anno privantur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac residentiæ fecerunt suos.

Quod si iterum eadem fuerint usi negligentia, priventur omnibus fructibus, quos eodem anno lucrati fuerunt.

Crescente vero contumacia, contra eos juxta SS. Canonum Constituniones (§. cap. 4. & seq. ult. de Cleric. non resid.) *est procedendum.* Trid. Sess. 24. cap. 12. de Reform.

(*e*) Præcipuum Canonicorum munus est divinum officium publice & solemniter persolvere. Cap. 131. synod. Aquisgran. Novell. Justiniani 131. synod. loc. cit. de ipso divino officio commodior erit paulo post dicendi locus.

(*f*) Consideratione dignum, quod Wiggerius de Jure & Justitia Tract. VII. cap. 3. dub. 20. n. 90. hisce verbis scribit: *ut Beneficiati, qui præbendas habent liberas fine alio officio v. g. docendi, concionandi, audiendi confessiones, aut simili onere non gravatas, rite peragant suam residentiam, non sufficit quod in die intersint semel officio chori, etiamsi forsitan ex consuetudine Ecclesiæ permittantur tales gaudere proventibus cum aliis, sed debent interesse divinis officiis omnibus, ita ut a peccato mortali non videantur excusandi illi, qui justa cessante causa absentant se ordinarie ab uno aut pluribus officiis*, apud Van-Espen P. I. T. VII. cap. 9. §. 4.

(*g*) *Omnes vero* PER SE statuit Trid. loc. cit. & *non* PER SUBSTITUTOS *compellantur* obire officia. Quapropter etiam canonicatuum plura-

pluralitas hac lege prohibetur. Permittuntur tamen juste impeditis *Vicarii*, qui in choro & rebus divinis absentium canonicorum vice funguntur; probe distinguendi a *canonicorum coadjutoribus*, qui viventibus tantum cum spe succedendi & sine obligatione & possessione adjunguntur. Conf. Van-Espen l. c. cap. VI.

(*b*) Distributiones quotidianæ sunt vel *proprie* vel *improprie* tales. Istæ sunt instar ipsius præbendæ seu fructuum grossorum, & per quotidianas tantummodo portiones canonicis divina persolventibus obveniunt. Illæ autem sunt portiones a præbendis sive fructibus grossis & annuis beneficiis prorsus distinctæ, & illi, qui divinis officiis intersunt, distribui solitæ. Instituebantur igitur distributiones hujusmodi hac quidem de causa, ut earundem privatione tempor clericorum in persolvendis divinis officiis mulctaretur. Verum inde haudquaquam sequitur, licere ideo tantummodo divinum officium accedere, ne secus distributiones illæ perdantur. *Utinam consequi possimus* dicit synodus Coloniensis an. 1536. *ne quisquam lucri causa divinis intersesset, alioqui non accessurus sacra, veluti quem nummi magis quam Dei amor in templum trahit; quæstum pietatem esse putantem &c.* & Stephanus Episcopus Parisiensis in sua synodo statuit: *Prohibemus vobis omnibus, ne committatis simoniam etiam mentalem adeundo ad divinum officium sub spe materialium distributionum*. Legantur quoque verba S. Augustini in Ps. 53. apud Van-Espen l. c. cap. 8.

* Non quævis justa absentia, quæ fructus grossos non tollit, etiam ad percipiendas distributiones, utpote quæ *vere* non *ficte* aut *juris interpretatione residentibus* competunt, jus tribuit, cap. unic. de Cleric. non resid. in VI. tolerans consuetudinem contrariam tantum intuitu eorum, *quos infirmitas, seu justa corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret*. Fagnanus ad c. *licet* de Præb. n. 101.

(*i*) Satis supra (§. 212. — 221.) de capitulis eaque celebrandi ratione jam expositum est. Adde quod in dignitate constituti aut etiam fructus cum Canonicis dividentes, si non ipsi quoque sint canonici, non sint de capitulo, nec vocem aut sedem in eo habeant, si non ex fundatione aut consuetudine secus obtineat, quamquam ii, qui fructus cum canonicis dividunt, tum quidem, quando de fructuum horum administratione agitur, ad deliberationem admitti debeant, Fagnanus ad cap. 1. de Elect. num. 33. & seq. sed & fallit data regula in Decano, qui licet præbendam *canonicalem* non habeat, attamen tanquam caput canonicorum capitulo intervenit, eique præsidet, nisi de meris rebus temporalibus, in quibus ipse non participat, tractetur. Van-Espen l. c. cap. 5. n. 5.

(*k*) Synodus Bituricensis an. 1564. Tit. 34. can. 9. Tolosana an. 1590. p. 1. c. 2. §. 7. Avenionensis an. 1594. Tit. 33. quibus Conciliorum statutis Van-Espen l. c. n. 11. subjungit, *ac sane timendum, ne canonici, qui adeo soliciti sunt de rebus temporalibus, ut nihil in eorum conventibus pene, nisi de illis audiatur aut tractetur, sint non tantum nomine, sed reipsa canonici* SECULARES.

§. 327. Statutum quoque porro universe circa Capitula cathedralia IV. ut quantumvis exemta sint, omnia tamen ea quæcumque sunt honoris & reverentiæ (*a*) Episcopo exhibeant (*b*).

(*a*) Videlicet totius cleri adeoque etiam capituli caput Episcopum agnosci jubent canones, vid. c. *Novit*, de his, quæ fiunt a Præl. sine consens. capituli, & Trid. Sess. 25. cap. 6. de Reform. ubi præcipitur, *ut Episcopis ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est, eisque in choro & in capitulo in Processionibus, & aliis actibus publicis sit prima sedes & locus, quem ipsi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum auctoritas*. Quapropter capitula etiam exemta Episcopum solemniter ad suam cathedram deducere, ei benedictionem danti se inclinare, & ad ejusdem postulationem congregationem indicere debent. Van-Espen P. I. Tit. VIII. cap. 2.

(*b*) Synod. Trid. l. c. voluit, ut Episcopi etiam in ipsis capitulis licet exemptis præsiderent. Verum *exemtiones capitulorum, propter quas eorum non potest restitui Ecclesiastica disciplina, nec emendari abusus Ecclesiarum Cathedralium, nequeunt ad hanc moderationem Concilii Tridentini reduci propter capitulorum resistentium multitudinem, eorumque potentiam* conqueritur Concil. Rothomagense an. 1581. Et hinc ad Episcoporum preces hic & illic præbenda & canonicatus cathedralis Episcopatibus uniebatur, ut hac mediante saltem tanquam Canonici capitulo interesse possent. Cap. 15. de Concess. Præb. cap. *a collation.* de appellat. in 5. Num. Episcopus ut talis, num ut canonicus capitulo intersit, dignoscitur ex loco, quem ibidem tenet, si non privilegium aut consuetudo obtineat, ut ei quantumvis tanquam canonicus veniat, præsidium & primus locus deferatur. Van-Espen l. c. cap. 3.

§. 328.

§. 328. Quantum itidem universe V. scientiam Theologiæ & juris canonici, (*a*) & quidem academicos in hisce studiis gradus de canonicis, & quibuscumque ad Ecclesias cathedrales assumendis leges Ecclesiasticæ requirant, jam supra (§. 85. n. a.) fuit insinuatum. Profecto in iis canonicorum collegiis, in quæ non admittuntur nisi legitimis testimoniis probantes generis sui *Nobilitatem*, (*b*) per hanc minime scientiarum & graduum academicorum requisita suppleutur.

(*a*) Desiderat synodus Tridentina aliam longe scientiam canonum, quam desiderant ii, quos jam supra §. 57. perstrinximus, scilicet exoptantes in nostro jure canonico minus juris publici Ecclesiastici & plus decretalium illarum, quæ ad forenses quæstiones judiciaque terminanda conducunt. *Absit*, ait Van-Espen, *ut hujusmodi graduatos in jure canonico ad canonicatus ac dignitates Ecclesiasticas, ut Episcopis in regimine & cura Ecclesiæ adjutores & consiliarii essent, Ecclesia aut fundatores desideraverint, sed veros indubie voluerunt præfici canonistas, id est ea canonum scientia refertos, qui Patrum acta ac mores repræsentantes optimam Ecclesiæ componendæ atque ordinandæ rationem continent.* Deo igitur & Augustissimis Nostris immortales gratiæ referri debent, quod apud nos remota sit causa porro cum Van-Espen ita conquerendi, *quod studentes juri Canonico vix hodie imbuantur ea scientia Canonum, quibus purior Ecclesiæ disciplina repræsentatur — quod in scholis plerumque non exponantur nisi recentiores Romanorum Pontificum Decretales neglectis magna ex parte pristinis canonibus, qui optimam Regiminis Ecclesiastici rationem per octo circiter secula solicite conservatam & renovatam exhibent.* L. c. Tit. X. cap. 2.

(*b*) Quam plurimi acriter reprehendunt consuetudinem illarum Ecclesiarum, quæ nolunt *canonicare*, ut ajunt, *nisi nobiles*, & cum hisce sentire videtur Gregorius IX. in c. 37. de Præb. & dignit. Verum si nobilitas non sola attendatur, sed cum respectu ad Ecclesiæ bonum, seu si in Nobilibus admittendis nec *pietas* nec *eruditio requisita* desit, hujusmodi institutum citato cap. 37. aliisve canonibus ac Ecclesiæ saluti tam parum adversabitur, ac aliæ fundationes pro nobilibus factæ, quasque vel pro his vel pro aliis facere utique in fundatorum erat arbitrio. Quidquod aliqua habere ejusmodi instituta, si modo in iis ille ad requisitam pietatem ac eruditionem respectus non negligatur, peculiariter ad salutem Ecclesiæ conferet: *cum enim Nobiles Seculares*, ait Molanus, *per suam potentiam possint Ecclesiæ Dei, & viris Ecclesiasticis multum prodesse, valde expedit ex eorum familiis in clero* ALIQUOS *esse, ut eorum favor, obsequium & reverentia erga Ecclesiam & Ecclesiasticos magis foveatur & conservetur. Imo dum in clero sunt Nobiles, libenter Nobiles viri & Illustres Principes eo filios suos destinant, ut nobilitati stemmatis nobilitatem addant morum, animum liberalibus & honestis studiis excolant, & a teneris annis reverentiam Ecclesiastici ordinis imbibant.*

§. 329. Dignitates capitulorum, si percurramus singulas, deprehendimus I. jura & officia Præpositorum & Decanorum, ultra ea, quæ supra (§. 221.) exposuimus, ex consuetudine magis quam ex jure communi cognoscenda esse (*a*).

(*a*) Conf. Van-Espen l. c. Tit. XI. cap. 1. num. 4. & cap. 2. n. 5.

§. 330. II. nec *Cantorem* (olim dictum *Primicerium*) qui divinum officium & modum canendi dirigendum habet, (*a*) nec *Scholasticum* seu formandæ juventuti præfectum, (*b*) nec *Thesaurarium*, cui cura tam supellectilis Ecclesiasticæ quam actorum & literarum ad Ecclesiam pertinentium commissa est, (*c*) nec *custodem*, cui ipsius Ecclesiæ cura incumbit (*d*) taceo *Canonicum Theologum* (§. 221. n. a.) (*e*) ubivis *dignitatem* (*f*) habere.

(*a*) Quod nomina eorum, qui in officiis & dignitatibus constituti erant, ceræ insculpebantur, inde *generatim* dictus Primicerius ille, cujus nomen in tali catalogo primum locum obtinebat. Subinde autem speciatim is, ad quem in clero ordinatio divini officii pertinebat, appellabatur Primicerius *quasi primus in choro & primus in cantu*. Vid. Dist. XXV. c. 1. cap. un. de offic. Primic. cap. 6. de consuetud. conf. Vallensis ad Tit. de offic. Primicerii. Imo hac de causa non tantum *Præcentores*, sed etiam chori *Episcopi* seu chori inspectores nuncupati in Synod. Coloniensibus an. 1260. & 1536. quamquam olim, posteaquam Archidiaconi

coni in majorem clerum suam potestatem exercere & gravioribus negotiis admoveri cœperunt, Primicerii universe clerum inferiorem etiam regendum acceperint; quidquod Romæ tanta dignitas olim fuerit Archipresbytero Archidiacono & Primicerio, ut absente S. Pontifice interim regimen gererent & ceteroquin non soli elero inferiori, sed etiam Diaconis præessent, ideoque ipsis porro *Secundicerii* & *Tertiicerii* adjungerentur. Cl. de Riegger P. II. §. 275.

(*b*) Fuere scilicet olim in ipsis collegiis canonicorum scholæ, in quibus adolescentes quoad virtutem & literas ad vitam clericalem formarentur, Reg. Canonic. c. 135. Et cessante etiam communi canonicorum vita scholæ huiusmodi ita Ecclesiis cathedralibus & collegiatis manserunt subjectæ, ut semper ex hisce aliquis constitueretur, qui illarum atque adeo instituendæ & formandæ juventutis sedulam curam gereret. Hoc officium, initio beneficium simplex, in quibusdam Ecclesiis evehebatur ad dignitatem, cujus quidem obtinendæ sed non scholarum propria vigilantia curandarum cupidi fuisse cum plures adverterentur, statuit Synodus Tridentina Sess. 23. c. 18. de Reform. *ut de cætero officia vel dignitates illæ, quæ scholasteriæ dicuntur, non nisi doctoribus vel magistris aut licentiatis in sacra Pagina aut in Jure Canonico, & aliis personis idoneis, & qui per se ipsos id munus explere possint, & aliter facta provisio nulla sit, & invalida, non obstantibus quibusvis privilegiis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus.* Mens itaque concilii est, ut scholasticus non tantum Magistros literis & moribus probatos ad scholas constituat, sed porro ipse hisce constitutis invigilet, ipse scholas frequentius visitet, atque ipse juventutis progressum iteratis examinibus experiatur.

(*c*) Jam tempore Innocentii Thesaurarium Nivernensem fuisse in dignitate constitutum, probat cap. 32. de offic. jud. delegati, cum ei causæ cognitio a Pontifice delegata ibidem reperiatur. *Divites*, ait Molanus, *hoc officium, uti varia alia officia, non modo in beneficia, sed etiam in dignitates evexerunt.* Apud Van-Espen l. c. cap. 5. num. 3. ubi idem n. 8. monet: *multos esse nedum thesaurarios, sed & corpora sive collegia Canonicorum, qui nesciant, quid sit custodire thesauros Ecclesiæ. Putant enim tunc demum eos custodiri, si* AD ORNATUM TEMPLI DEI *custodiantur. Si quis vero vel* PROPTER PUBLICAM FAMEM *vel* PROPTER REDEMTIONEM CAPTIVORUM *eos* ALIENARE *velit, quam* MULTI CLAMABUNT NON CUSTODIRI SED DISTRAHI ET DISSIPARI VASA DEI; QUASI VERO QUOD IN VIVA DEI TEMPLA EX NECESSITATE IMPENDITUR, HOC MALITIOSE MATERIALI DEI TEMPLO DETRAHATUR; SIC CARNALES HOMINES SAPIUNT, SED LONGE ALIUD EST SANCTORUM DEI JUDICIUM, scilicet concordans cum Doctrina Salvatoris volentis in collisione *misericordiam non sacrificium* & misericordiæ indigum *templo majorem* reputantis, concordans cum illis S. Ambrosii inter leges Ecclesiasticas in Caus. XII. q. 2. can. 70. receptis verbis: *aurum habet, non ut servet, sed ut eroget & subveniat in necessitatibus*, quæ pluraque, quibus S. Pater obviat timentibus *ne templo Dei* ORNATUS *deesset*, jam supra retuli §. 127. Hæc vero non tantum de thesauris Ecclesiarum cathedralium, sed & de *thesauris* Ecclesiarum Monasteriis unitarum, quorum multi illas opulentia superant, intelligenda esse eadem ratio eademque religio suadet. Unde illi non minus ac illi juxta ea, quæ supra §. 125. 127. 201. not. a. & b. 227. not. b. exposita sunt, si opus esset, adhiberi possent ad opera misericordiæ, & quam maxime ad talia, quæ non tantummodo unum *templo* majorem, sed necessitates fidelium ac civium multitudinis sublevarent, veluti est 1. constitutio seminariorum ad idoneum clerum formandum undequaque comparatorum, 2. Multiplicatio Diœcesium, & parœciarum, 3. erectio ædium, in quas labore, senio, morbisve confecti, atque ideo ad curam animarum non amplius idonei Ecclesiæ Ministri debitam quietem & omnigenam sui curam consequendi causa secedere possunt, 4. fundatio ædium tam ejusmodi, in quibus ex malis Ecclesiæ ac Reipublicæ membris membra utilia operis & correctione efficerentur, quam talium quoque, quæ egenis, ac in pericula otii & miseriæ conjectis sustentationem pro laboribus suppeditarent, 5. erectio Brephatrophiorum, in quæ meliori allusione ad illa verba salvatoris *finite parvulos ad me venire* (§. 109. not. c.) infantes orbati parentibus, aut destituti spe ab iisdem, a quibus non legitimo thoro progeniti sunt, necessariam corporis & animæ sustentationem obtinendi, utinam non etiam sæpius expositi periculo vix cæptam suam vitam ipsius matris crudelitate amittendi reciperentur; porro 6. Institutio lyceorum & suppeditatio sumtuum, quæ ad juventutem literis ac virtute imbuendam requiruntur &c. Mera, & ingentia, & tam Ecclesiæ quam Reipublicæ necessaria, & iis, qui nobis *forma gregis facti* sunt, seu Ecclesiæ Ministris præ aliis propria Misericordiæ opera, quibus, si Ecclesiæ thesauri recto usu æquaque distributione impendantur, misericordia etiam cum *sacrificiis* subsistet, atque non magna deminutio ornatus fieri, sed talis potius per plura dein loca distributus advertetur.

(*d*) Cap. 1. & 2. de offic. Primic. Sacristæ & Custod. ubi ex Concilio Toletano refertur, eam esse custodis Eminentiam, ut in Archidia-

diacono Archipresbytero & custode tanquam in tribus Ecclesiæ columnis consistere debeat alma Mater Ecclesia. Verum & in jure & apud interpretes, & in ipsa Ecclesiarum praxi persæpe custodes pro thesaurariis accipiuntur.

* Olim saltem tonsurati esse debebant ad custodiam Ecclesiarum assumendi, neque iis seculari alia occupatione distractis esse licuit. Van-Espen P. I. T. IV.

** Differunt a custodibus æditui, de quibus suo loco dicemus.

(*e*) Et Concilium Lugdunense, uti refertur in cap. 4. de magistris, pro Metropolicis Ecclesiis & Basileense Sess. 31. c. 3. pro Ecclesiis quibuscumque Cathedralibus, & Tridentinum Sess. 5. c. 1. pro collegiatis quoque Ecclesiis, ubi clerus numerosus fuerit, requirit, ut *per unum de clero* habeatur Lectio Theologiæ seu *sacræ scripturæ* (scilicet Theologiæ non disceptationibus scholasticis sed divinis scripturis occupatæ) eidemque constituatur *Præbenda*, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit.

* Ex statuto Concilii Basileensis non tantum fructus grossi, sed & quæcumque distributiones quotidianæ etiam ex anniversariis provenientes adjudicat Theologo iis diebus, quibus docere debet.

** Profecto si ad canonicatus & dignitates capitulorum partim ii de clero, a quibus Theologia aliaque scientia in universitate aut lyceo tradenda fuerat, partim ejusmodi, qui in cura animarum prorsus eximia præstitere tanquam in præmium vocarentur, quis dicet per tale capitulum, ex viris literatis & expertis consistens, Episcopo ac Ecclesiæ minus prospectum fore? quis dicet id non pro Ecclesiæ utilitate perpetuum sacri & literarii laboris fore incitamentum? Et num Tridentino, Doctores aut licentiatos aut publico Academiæ testimonio probatos pro Ecclesiis Cathedralibus postulanti, minus satisfactum erit, emeritos scientiarum Professores in capitula collocando? sed hæc tantum ita, uti cuivis interpreti suam sententiam proferre licet, a me dicta sunto.

*** Statuit in eodem citato loco Synodus Tridentina, ut in Ecclesiis, *quarum annui proventus tenues fuerint, & ubi tam exigua est cleri & populi multitudo, ut Theologiæ lectio in iis commode haberi non possit, saltem Magistrum habeant, & ab Episcopo cum consilio capituli eligendum, qui clericos, aliosque scholares pauperes* GRAMMATICAM GRATIS *doceat* —— *ideoque illi Magistro Grammatices vel alicujus simplicis beneficii fructus, quos tamdiu percipiat, quamdiu in docendo perstiterit, assignentur — vel ex capitulari vel Episcopali mensa condigna aliqua merces persolvatur* &c. statutum profecto salutare.

(*f*) Num igitur hæc officia dignitates sint, aut quibus gaudeant proedriis, ex capitulorum consuetudinibus desumi debet.

* Cum Ecclesiam constituat Episcopus cum canonicis, (§. 221.) hosce nulla dignitas eximet, quo minus eos Episcopus, utpote qui ipse a prædicatione verbi divini & administratione Sacramentorum per suam dignitatem non eximitur (§. 201.) ad prædicandum verbum divinum, confessiones excipiendas ac alias sacræ sollicitudinis partes adhibere possit.

§. 331. Cum de Archidiaconis, Archipresbyteris, officialibus & Vicariis Episcoporum jam superius (§. 209. & seq.) ea singillatim exposita sint, quæ de singulis hisce Ecclesiarum Cathedralium dignitatibus (§. 221.) tyro in compendio nosse debet, (*a*) ad easdem dignitates solum de *Pœnitentiario* adnotandum venit: causas arduas in sacro tribunali obvenientes decidere, atque convenientes pro qualitate criminum & pœnitentium satisfactiones injungere ad eundem tanquam Episcopi hac in parte Vicarium pertinere (*b*). Idque munus ex præcepto Tridentinæ synodi & in omnibus Cathedralibus Ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, cum unione Præbendæ instituendum, & solum talibus committendum esse, qui in Theologia vel jure Canonico Magistri Doctores aut licentiati, quadraginta ætatis annos jam assecuti, simulque ceterum pro ratione locorum habiles reperiuntur (*c*).

(*a*) Etiam singulorum horum dignitates & officia magis jam a consuetudine pendent.

(*b*) Idoneos Episcoporum Vicarios ad confessiones audiendas & pœnitentias injungendas jam Concil. Lateranense sub Innocentio III. in Cathedralibus & conventualibus Ecclesiis constitui jubet cap. 15. de offic. Ordinarii. Quorum quidem Vicariorum potestas intuitu non tantum criminum, sed & personarum, arbitrio Episcopi limitata erat. Etenim alii confessarii clericis, alii monialibus; alii laicis de plebe, alii personis sublimioribus constituebantur, neque absque Episcopi licentia alteri confiteri licuit, quemadmodum & jure decretalium libera confessarii electio privilegii loco habetur cap. fin. de Pœnit. & Remiss. Verum ipsa frequentia recursuum pro hac licentia factorum movit Episcopos, ut unum constituerent,

rent, ad quem tanquam Episcopum non tantum omnibus pro eadem licentia accessus pateret, sed etiam ab inferioribus confessariis causæ dubiæ pro decisione; & graviora crimina pro absolutione ac pœnitentiarum impositione, non tamen expressis pœnitentium nominibus, referri deberent, eumque *confessorem* aut *pœnitentiarium generalem* nominabant, Van-Espen. l. c. Tit. XII. cap. 3.

(c) Sess. 24. c. 8. de Reform.

C A P U T XI.

De Regularibus.

§. 332. Transeamus nunc ad Politiam status Regularis. Et quandoquidem status hujus naturam, initia, institutionem humanam, & adprobationem S. Pontifici hodie reservatam jam edocti sumus (§. 182. 222. 275. 276. not. c.) illis, quæ de ejusdem progressu atque fatis plura dici possent, historiæ Ecclesiasticæ relictis; (a) solum investigemus ea, quæ sacri Canones circa disciplinam regularium, ac monasteriorum constitutionem disposuere.

(a) Sufficient sane pauca, quæ ita notari potuerunt.

1. fuere jam inde a primis Ecclesiæ temporibus aliqui, qui sibi singularem vitam cum summa abstinentia, austeris jejuniis, & fuga nuptiarum conjunctam pro medio consilia evangelica exequendi selegere, & inde *Ascetæ* dicti sunt.

2. Huic ascesi mox deinde ab aliis addita est solitudo, ad quam in Ægypti montibus sylvis aliisve locis abditis quærendam plurimos quoque illa *Deciana* persecutio circa seculi III. medium permovit, & quæ

3. Quibusdam ita placuit, ut cessante etiam persecutione a casulis seu cellulis ad pristina domicilia redire nollent. Et quidem inter hos præcipue Paulus Thebæus tam singulariter eminuit, ut communiter dux *Monazontum*, seu monachorum in solitudine viventium, adpelletur, quamquam nullos sibi discipulos adsciverat, solique innotuerat Antonio. Hic autem potissimum:

4. adlectis discipulis vitam, atque nomen Monachorum seculo IV. illustravit. Non tamen

5. homines vitæ hujus fuere in consociatione atque communitate ante Pachomium, qui scilicet pacato Constantini tempore primus in desertis constituit monasteria, brevi tempore adeo ampliata, ut eorum singula consisterent e triginta vel quadraginta domibus; domo unaquaque comprehendente tricenos vel quadragenos Monachos, & singulis decennis suum Decanum, singulis domibus suum superiorem, singulis monasteriis suum Abbatem, & omnibus denique Monasteriis communem sibi Præsidem habentibus; atque ut ex solis Monasteriis Tabennensibus, qui ad suum Præsidem Pascha celebraturi convenere Monachi, 50000. millia numerarentur. Fleury Hist. Eccles. lib. 10. n. 19. Taceo multitudinem per cæteras Egypti partes; & mox

6. Authore S. Basilio per vicos etiam & urbes diffusam.

7. In occidentem hoc vitæ genus eodem seculo IV. penetravit, & quidem Romam studio S. Athanasii & Alexandrinorum sacerdotum, Authore vero S. Martino in Galliam, ubi postea Cassianus factis scriptisque institutum monasticum tantopere propagavit. Quidquod

8. feminæ quoque, initio sub nomine *virginum Ecclesiasticarum* vitam ascetarum, & subinde vestigia monachorum (in Oriente Pachomii sorore; in Occidente Marcella duce) per deserta secutæ, atque ex ratione decori tanto citius in urbes receptæ fuerant; unde etiam, quemadmodum viri hoc vitæ genus amplexi dicti sunt, *Monachi*, *mundo mortui*, *sancti*, *Nonni*, *fratres*, *servi Dei*, *religiosi* cap. 19. & 20. de Regul. & convers. cap. fin. de Relig. dom. ita istæ *Monachæ*, *moniales*, *sanctimoniales*, *virgines Deo sacratæ*, & *Nonnæ* adpellabantur.

9. Cum status ille præcipue fuerit status hominum vitam suam *pœnitentiæ* ac *manuum labori* dicantium; ad eum omnis generis & ætatis homines atque docti non minus quam illiterati admittebantur. Fleury P. I. cap. 21 §. 7. Et quamvis

10. Monachi honoratiorem locum in Ecclesia obtinuerant, ceterum tamen eandem ipsi conditionem habuere cum *laicis*, horum more, quia diu ad clericatum non admissi sunt, & percepere Sacramenta & obtulere in Ecclesiis, neque aut a publica pœnitentia immunes, aut ab Episcoporum arbitrio exemti fuere. Quamquam Abbates in Oriente jam seculo V. & in Occidente sub sec. VII. finem non tantum donati sunt ordine Presbyterorum, sed hos sæpe in synodis etiam loco & suffragio præcessere. Vid. meus Ordo Princip. Jurispr. Eccles. P. II. §. 194. & seq.

11. Brevi tempore adparuere aliqui nec Ana-

cho-

choretarum nec Cœnobitarum vitam professi; genus (ut ait Fleury l. c.) spuriorum monachorum, scilicet *sarabaitæ* & *gyrovagi*, quorum illi bini vel terni conjunctim, sed Præside destituti, & suam voluntatem pro regula amplexi habitabant; hi vero nullibi residentes, quasi nullibi vitam illi, quod præseferebant, perfectionis studio adpositam reperirent, simulque quibusvis hominibus specie conversionis se adjungentes, & deterrimi hinc inde vagabantur;

12. post ducentos annos, cum teste Cassiano *tot propemodum Typi ac regulæ essent*, *quot cellæ ac monasteria*, circa annum 530. surrexit *S. Benedictus*, qui non tam novum ordinem fundandi, quam cœnobitas disponendi causa in monte Cassino fundavit cœnobium, eidemque regulam præscripsit *discretione* tam *præcipuam* & *sermone* tam *luculentam*, ut ea mox per omnes occidentis partes summo cum adplausu acceptaretur, & ob tot conciliorum decreta hanc præcipue regulam injungentia in conventu Episcoporum Abbatum & Comitum an. 811. sub Carolo M. moveretur quæstio, *utrum aliqui monachi esse possint, præter eos, qui regulam S. Benedicti observant*. Cap. XI. apud Baluz. Tom. I. collat. 489. vid. meus ordo Princ. l. c. §. 191. Et hinc

13. Quamquam eodem seculo VI. & dein VII. in Hispania & Gallia Episcopi, Abbates, & Monachi varias concinnaverant peculiares regulas, occidentales tamen *S. Benedictum*; veluti Orientales *S. Basilium* partem plurimam sunt secuti. Altessera in Ascet. l. 3. c. 9.

14. Quia vero post trecentos a *S. Benedicto* annos ejusdem regula indigebat restauratione, ea Jussu *Imp. Ludovici Pii* in conventu Aquisgranensi an. 817. addito ex veterum Patrum regulis supplemento perfecta fuit a *Benedicto Abbate Anianensi*. Baluz. Tom. I. col. 579. sequ.

15. Secuta seculo X. restauratio altera, nempe per *Bernonem* Abbatem Belmensem, dum huic Monasterium *Cluniacense* an. 910. concreditum fuit, & per ejus successorem *S. Oddonem*; indeque *ordo Cluniacensis* atro etiam vestitu ab aliis distinctus innotuit. Cum domus cluniacensis primis statim literis suæ fundationis peculiari tutelæ S. Petri ejusque successorum commendata, & tam ad Ecclesiasticas quam seculares potestates monitio facta fuerit, ut Monachos bonis adquisitis liberaque Abbatum electione gaudere sinant, eo titulo exemtionem ab Episcopi Jurisdictione novo exemplo & domui huic & propagatis inde monasteriis vindicarunt.

16. Ulterioris restaurationis studio *Robertus* Molemiensis Abbas Benedictinus seculo XI. permotus est, ut in fundatum a se Monasterium *Cisterciense* Regulam S. Benedicti rejectis omnibus contrariis, & resumta quoque veste candida reduceret, Inter filias *Cisterciæ* monasterium *Claravallense* reddidit celeberrimum ejusdem Abbas *S. Bernardus*, unde Cistercienses etiam *Bernardini* audiunt. Eodem quidem seculo etiam *S. Bruno* ordinem *Carthusianorum* in rupe Carthusia condidit.

17. Etiam institutum *canonicorum* (§. 212.) jam per *Petrum Damianum*, imo per Decreta Conciliorum Romæ sub Nicolao II. & Alexandro II. celebratorum reformationem accepit, & inde Canonicorum quoque diversa corpora prodierunt, quale prorsus illustre est illud a *S. Norberto* conditum in sec. XIII., & a *Premonstrato*, deserto olim Galliæ loco, nomen habens.

18. Seculo XII. præterea orti sunt *Equestres Religiosi ordines*, qui scilicet ad religionem contra impugnatores armis defendendam sese voto obstringunt, atque sub quodam superiore ad exemplum religiosorum simul ac militum regulariter vivunt. Occasionem dedere cruciatæ expeditiones. Et quidem primo prodiit ordo fratrum seu militum Templi hierosolymitani vulgo *templariorum*, ut peregrinantes hierosolymam contra Prædones tueretur, cujus præstandæ securitatis exemplum sequebatur dein tribus hominum generibus scilicet: Equitibus, Fratribus servientibus, & clericis consistens ordo *hospitalariorum S. Joannis*, qui antehac in Xenodochio hierosolymitano tantummodo pauperum & infirmorum, maxime peregrinantium, curam gessit; nec non *Ordo Teutonicus* de domo S. Mariæ hierosolymæ pariter initia sua habens ab hospitali ibidem per Germanos fundato. Lapso in terra sancta Christianorum imperio, uti ex historia novimus, varia horum ordinum fata fuere. Nempe ordo *templariorum* in Concilio Viennensi an. 1312. a *Clemente V.* urgente Galliæ Rege *Philippo Pulchro* exstinctus est. *Hospitalarii* S. Joannis primo in insulam *Cyprum*, dein in insulam *Rhodum* an. 1310. vi & armis occupatam (unde *milites Rhodii* dicti sunt) & denique in insulam *Melitam* Caroli V. beneficio acceptam (unde *Melitenses* vocantur) secessere; *Teutonici* autem hierosolymis pulsi, *Prussiam* profligatis inde infidelibus occupavere, tribus fere seculis ea potiti, & subinde per Germaniam consecuti plura bona spoliis templariorum aucta, quæ *Baliviarum* & *commendaturarum* nomine veniunt. Conf. cl. mei Antecessoris de Riegger Dissertatio de tribus hisce ordinibus OEniponti 1744.

19. Sequente XIII. seculo *S. Dominicus* Canonicus Regularis & natione Hispanus, Albigensium conversioni sese mancipaturus, Regulæ *S. Augustini* quasdam arctioris disciplinæ constitutiones adjecit, adque hoc ejus institutum, quod & ordinem *Prædicatorum* dici novimus, ab Honorio III. rejectis *humiliatis* adprobatum fuit.

K 2 20. Eo-

20. Eodem tempore *S. Franciscus*, Mercatoris assisiensis filius, sibi sociisque adlectis peculiarem regulam præscripsit, qua & *omnes & singulos* sui instituti consortes externa bona rejicere, & in extrema paupertate vivere jussit, simulque injunxit, *ut omnes cuidam honesto* LABORI *incumbant, ibique, qui modum vel artem nesciunt, eam addiscant* — SI VERO LABORIS MERCEDE EOS PRIVENT HOMINES, *convertantur ad mensam Domini ostiatim* MENDICANTES, unde patet: *Mendicare* de essentia hujus ordinis (ut is a S. Francisco & quidem cum prohibitione, ne ullum a Pontifice Privilegium petatur, nec regulæ aut glossa aut interpretatio adjiciatur, institutus est) prorsus non esse, si modo ejusdem consortes *mercede sui laboris non priventur*; ac proinde, nec contra essentiam ejusdem ordinis fore, si hodie, ubi labori manuum subsidiaria ad curam animarum opera substituta est, hosce operarios Respublica non tantum necessaria sustentatione non *privare*, sed etiam tantum substantiæ constituere vellet, ut iisdem (manente semper penes rempublicam *proprietate* ipsorum bonorum) inde digna operario merces suppeditetur, atque ita simul removeatur illud, quod S. Franciscus removeri non prohibet, scilicet *mendicandi necessitas*, simulque ea, quæ S. Franciscus exigit, nempe rejectio omnium externorum bonorum & labor sive corporalis seu spiritualis tanto certius (utpote remotis ita etiam *incommodis discursionibus*) obtineantur. A quibus hactenus dictis facile jam conclusio fiet, ad mendicitatem reliquorum ordinum *mendicantium*, qui non *ex regula* tales sunt, sed constitutionibus postmodum adjectis mendicantes evasere. Etenim casu, quo universe talis mendicitas bono publico noceret, etiam hosce alimenti aliunde suppeditatis extra necessitatem & facultatem mendicandi Respublica constituere posset, quin propterea eorundem violaretur regula, cui adjectæ quæcumque constitutiones, quam primum nocivæ esse incipiunt, & tolli queunt & debent. Confirmatus est Ordo *S. Francisci* a *Gregorio IX.* reprobatis *pauperibus de Lugduno*.

21. *Carmelitæ* quoque eidem seculo suum ortum debent; scilicet successores illorum Eremitarum, qui ab *Alberto* Patriarcha hierosolymitano ad vitam austeram in monte *Carmelo* instituti, sed postea inde pulsi, in Europam translati, & a *Gregorio IX.* stabiliti sunt; iisdemque temporibus plures congregationes Eremitarum nomine & institutis differentes sub adpellatione *Eremitarum S. Augustini* Alexander IV. conjunxit.

22. Statutum quidem in concilio Lateranensi quarto, *ne quis de cætero novam religionem adinveniat*. Cap. fin. de Relig. dom. Et in Concilio Lugdunensi I. ita sancitum: *cum non solum importuna petentium inhiatio religionum multiplicationem extorsisset, verum etiam præsumtuosa temeritas diversorum ordinum præcipue mendicantium effrænatam quasi multitudinem adinvenisset, repetita constitutione idem Concilium districtius inhibuit, ne aliquis de cætero novum ordinem aut religionem adinveniat, vel habitum novæ religionis adsumat*. Cap. un. de Relig. Dom. in 6. Attamen

23. insuper habitis hisce constitutionibus quovis sequentium seculorum orti sunt novi ordines Religiosi. Conf. cl. Luc. Holstenii Cod. Regul & cl. nostri Maximiliani Hell, Adjumentum memoriæ pag. 121. ubi indicatur origo omnium fere ordinum, quibus nos immorari non possumus.

24. Ex ordinibus quidem jam stabilitis non pauci subinde interea sublati sunt, uti exhibet Bulla Clementis XIV. quæ incipit *Dominus ac Redemtor noster*: & vi cujus die 21. Julii 1773. Ordo a *S. Ignatio* fundatus & nomine *Societatis Jesu* insignitus, prorsus extinguebatur. Conf. cl. de Riegger P. III. §. 549.

25. Postquam Monachi ad Clerum, primo ob disciplinam monasticam frequentatione publicarum Ecclesiarum non turbandam; subinde ob vitam activam contemplativæ junctam; & denique ex statuto Concil. Vien. Clem. 1. §. 8. de *statu monach.* promoti sunt, cæperunt præeunte Jo. *Gualberto*, sec. XI. monachorum Vallis umbrosæ auctore, quidam ad vitam monasticam admitti, vocati *fratres laici*, seu *conversi*, qui solum vilia munia & labores corporis obirent, & ceteroquin nec locum haberent in capitulo, nec in choro, obligati tantummodo qualibet hora canonica ad certum numerum orationum dominicarum, quem sibi granis filo conjunctis (*unde rosariorum origo est*) notabant.

* Conferatur de regularibus cumprimis Van-Espen P. I. Tit. XXIV. usque ad Tit. XXXIII. & Fleury Diss. VIII. in Hist. Eccles. ubi §. 8. quod ipsi videtur, edicit, scilicet *Ecclesiæ melius prospectum fuisse, si Episcopi & Pontifices cleri secularis reformationi ad normam primorum duorum seculorum revocandæ institissent — & non nisi duo personarum Deo consecratarum genera extitissent, unum clericorum instructioni & curæ fidelium destinatum, & perfecte Episcopis subjectum; alterum monachorum a mundo plane separatorum orationi solum & laboribus manuum in silentio vacantium*.

** Quemadmodum quædam Moniales Regulam S. Francisci amplexæ sunt, eæque dicuntur in *in secundo ordine S. Francisci* esse, ita etiam moniales aliæ *secundum ordinem aliorum fundatorum*, suasque *sorores laicas & laborantes*, a *Professis chorum* distinctas, ha-

habent. Imo ortus est *S. Francisci ordo tertius*; consistens ex viris & feminis in hominum cætu, imo etiam in matrimonio viventibus, sed tamen peculiari voto ad regulam franciscanam, quoad fieri potest, obstrictis, qui & propterea *Tertiarii* seu *Regulares Fratres*, *Regulares Sorores*, vocantur. Atque ad imitationem etiam alii ordines sibi suos *Tertiarios* adoptarunt. Fleury Instit. P. II. c. 20. §. 8. Sed an non tertius iste ordo quam maxime occasionem dat reflectendi ad illa Clementis XIV. verba: *Homines religiosos officiis obrui non probo.*: *Evangelium est vera Christianorum regula*, &c. §. 198. n. e.

§. 333. Vel ideo, quia hujusmodi statum recta intentione ac genuina vocatione ingredi (§. 109. n. c.), & quidem ad omnia illa, quæ idem secumfert, ex amussim observanda perpetuam obligationem sibi inducere res summi momenti est, sacri canones injungunt, ut I. talem vitam anhelantes non minore tempore quam per annum probentur prius, quam ad Professionem admittantur, (*a*) II. iisdem durante hoc *Novitiatus* tempore reditus ad seculum non tantum non intercludatur, verum nec ulla quidem ratione difficilis reddatur (*b*) III. Professio religiosa emittatur voluntate propria, ac omnino liberrima, (*c*) & ad illam IV. nec quidem admittantur, quibus aut defectus rationis vel saltem ætatis requisitæ (*d*), aut jus Domini, si homines sint proprii; (*e*) aut jus illorum, quibus ob debita, vel ratiocinia vel crimina sunt obnoxii: (*f*) aut bonum vel Ecclesiæ (*g*) vel Reipublicæ (*h*); aut etiam privatum conjugis post consummatum matrimonium, Parentum, liberorumque bonum: (*i*) aut denique quidvis aliud non genuinam vocationem, non aptitudinem ad statum regularem indicans (*k*) obsistit. Imo emissa etiam Professione contra ejusdem nullitatem V. & Jus per quinquennium reclamandi conceditur, (*l*) & contra ipsum quinquennii lapsum a mitissima nostra Ecclesia, quæ adversa est *spiritui servitutis*, (*m*) ex *justa causa* restitutio in integrum conceditur (*n*).

(*a*) Apud Ægyptios Novitiatus erat triennium idemque præfixit Justinianus Nov. V. c. 2. vid. quoque Dist. LIII. can. 3. & Caus. 17. qu. 2. can. 3. Regula quidem S. Benedicti tantummodo annuam præscribit probationem; Attamen simul injungit serium examen jam ante ingressum, & porro aliud in cella hospitum, simulque mandat, ut in ipsa probatione *Novitius a seniore apto ad lucrandas animas, & qui curiose omnino intendat & sollicitus sit, si illi re vera Deum quærant, omnia dura & aspera prædicentur*. cap. 58. Sat male profecto, quod hoc tantum ad regulam S. Benedicti spectare, & annali probationi, quasi vero tantum Novitii & Monasterii gratia, non vero ob Ecclesiæ & animarum salutem introductum esset, renunciari posse visum fuerit tempore Innocentii III. cap. 16. de Regul. Inde scilicet maxime inter novellos tunc mendicantes tot abusus venere, quos nec iterata decreta coercere poterant (vid. Tit. de Reg. in 6. & Christ. Lupus Tom. III. Scho. p. 627.) donec tandem Concilium Tridentinum Sess. 26. cap. 15. statuerat, *ne in quacumque religione tam virorum quam mulierum, qui minore tempore quam* PER ANNUM POST SUSCEPTUM HABITUM IN PROBATIONE STETERIT, *ad Professionem admittatur*, *secus autem facta professio sit* NULLA, *nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ vel religionis vel ordinis observationem, ad alios quoscunque effectus*. Quod Decretum, cum Professionem secus factam nullam declaret, exclusa omni renuntiatione, atque moribus legibusque prioribus sublatis, requirit

1. Annum integrum de momento in momentum computandum,

2. demum ab habitus susceptione inchoandum,

3. continuum, atque non interruptum, ut adeo post novitiatus dimidium egresso, ac subinde reverso non sufficiat semestre addere, sed annum inchoare, atque finire sit necesse; a quo scilicet solum is liber erit, qui jam integro & continuo Novitiatus anno a susceptione habitus peracto egressus, iterumque regressus est.

4. Probationem sane seriam; Hinc non satis est Novitios divexare, nescio quibus pœnitentiis, quibusve modis ad inducendum potius quasi callum quam ad notiones sublimiores religionis imprimendas idoneis, quæque a nonnullis ex primo fervore & ab aliis fortasse tantum ideo tam demisse accipientur, quia sibi persuadent: in Novitiatu jam hæc omnia infligi solita, vitam novitiorum ab illa veteranorum non minus ac vestem distinctam esse, cap. penult. de regul., & cessatura igitur hæc omnia, omniaque inter veteranos liberiora, faciliora, jucundioraque fore; Quapropter etiam nescio,

adscio, an *novitiorum ab omnibus veteranis omnimoda separatio* ad seriam probationem conferat; Attamen hac in parte nil decidisse volo. Conf. Van-Espen Part. I. Tit. XXV. cap. 2. Est opus omnino, ut sincere, amice, & ad vivum singula proponantur Novitio, quaecumque, ut ait *S. Benedictus*, dura & aspera obvenire posse experientia docet.

(*b*) Hac de causa Concilium Tridentinum cit. Sess. c. 16. neque ante Professionem, excepto victu & vestitu, *pro probationis tempore* quidquam ex bonis Novitii per eum aut parentes, propinquos, curatores, in monasterium sub ullo praetextu deferri, neque *ante duos ultimos menses annuae probationis* quaecunque pacta, cessiones, & obligationes, quibus Novitiorum bona, beneficia, vel jura quomodocumque minuuntur, valide celebrari sinit. Cujus constitutionis rationi haec duo sunt conformia; scilicet; ut etiam ejusmodi pacta, quae quidem ante ipsum ingressum, hujus tamen obtutu facta sunt, id quod in dubio praesumendum adjuncta suadent omni valore destituantur; deinde ut etiam ex bonis ipsorum parentum ejusmodi Novitii monasteria nil acceptare queant, quandoquidem non minus hoc casu (ut verbis Concilii utar) vident; *quod totum vel majorem partem substantiae suae monasterium possideant*, atque hinc a discessu absterrentur. Sed & mensibus Novitiatus decem exactis renunciationes, sive obligationes non aliter admittit Concilium; nisi 1. fiant cum consensu Episcopi, qui itaque nec a monasteriis exemtis negligi poterit, 2. Professio sequatur; ut adeo, quamvis perseverans Novitius ita legitime factam renunciationem revocare nequeat, ea tamen ob professionem quacunque de causa non secutam ipso jure corruat. Conf. Barbosa de offic. Episc. alleg. 99. n. 11. 12. 19. 30. Fagnan. ad cap. 23. de Regul. n. 55. Van-Espen l. c. c. 3.

* Quae plura quaeri possunt circa dispositionem in favorem Monasterii, ad ea partim jam responderi potest ex doctrina de lege amortisationis; partim vero inter modos res Ecclesiasticas adquirendi, & partim denique occasione simoniae dilucidabuntur.

** Cum synodus Tridentina generatim Novitiis libertatem monasteria deferendi conservatam velit, & laudatum decretum circa bona cujuscumque Novitii ejusque Parentum propterea ediderit, ut nec *indirecte* Novitio difficultas ad seculum redeundi opponatur, patet contra mentem hujus concilii etiam omnia alia fore, quaecumque tanquam singularia vincula Novitios retinendi adhiberentur, veluti essent

1. blandimenta peculiaria.

2. Territiones variae, si exempli causa Novitiis *hunc in finem* in conscriptis *annalibus tristibus* legenda, aut in picturis conspicienda darentur, quae horrenda in hac alterave vita ex Noviciatu egressis contigisse, nescio qua testimoniorum aut adparitionum fide referuntur, aut si docerentur extra statum regularem vix possibile esse, ut aliquis salutem aeternam consequatur.

3. Si Novitii suppeditato Titulo Mensae ad subdiaconatum saltem suscipiendum allicerentur. Quofacto scilicet talis se jam subdiaconum videns, simulque cernens: sibi jam nullum vitae sustentandae medium in muniis & negotiis secularibus quaerendum superesse, ac denique metuens omnia illa, quae Presbyterorum secularium vitam nonnunquam comitantur, ex hisce solum motivis retineretur.

4. Si suaderentur Novitiis emittenda *vota* saltem *devotionalia & horum intuitu* dein inculcaretur: *periculosum esse, jam adposuisse manum ad aratrum & respicere retro* —— *sese Deo ad tempus obtulisse, & non in perpetuum offerre velle.* — *Quod saltem aliqua ratione Deo & caelestibus jam sacratum erat, posthac iterum mundo & terrenis sacrare*, pluraque ejusmodi, ad quae, ut supra insinuavi (§. 109. n. c.) textus sacrae scripturae ab aliquo ejusdem non perito interprete magno numero adtrahentur. Enimvero antiqui canones nec habitum quidem Monasticum nec tonsuram Novitiis ante triennium peractum & ante professionem factam admisere. Dist. LIII. can. *Legem*. S. Bernard. Ep. 1. ad Robertum, vid. meus ordo Princip. P. II. §. 199. n. b., ne scilicet redeuntes Monachum exuisse dici, ac proinde ignominiae cujusdam metu aut alia anxietate retineri possint. Haeftenius Disqu. Monast. l. 5. Tract. 2. Disp. 2. Neque dicas per vota devotionalia tantum intendi, ut strictior observantia eorum, quae Novitiis incumbunt, obtineatur, nec eosdem ita libertatem suam perdere. Docet sane 1. experientia Novitios etiam hisce vinculis non ligatos suis obligationibus accuratissime satisfacere posse, 2. de quibus metuitur, ne satisfacturi sint, tales vinculo cujusdam voti aut juramenti subjicere minus consultum est; 3. dictat finis & notio probationis, quod non emissione votorum, ut ita dicam, *interimisticorum*, sed iis, quae vota secumferunt, *antehac circa vota peragenda habilitas ad eadem* probari debeat. 4. Denique cum, per vota, quantumvis *intermistica & devotionalia*, Novitius intuitu suarum actionum certissime non levem contingentiae gradum omittat, deminuta autem contingentia libertatem minui quisque naturalis Jurisprudentiae Tyro perspiciat, quis dicere poterit, novitium talem priore libertate acturum, & Magistro novitiorum prope cognitum fore. Quid autem, an non secularibus & laicis extra Monasterium vota devotionalia, saltem cum consensu

sensu

sensu Rectoris conscientiæ, emittere licet? cur non igitur idem liceret Novitiis? non præcipita quæso conclusionem; Etenim secularibus & laicis de bonis suis disponere licet, non tamen licet Novitiis aut eorundem parentibus intuitu Monasterii, ut scilicet illis libertas redeundi nec *indirecte* quidem minuatur. Atque ceterum quoque alia Novitium, alia laicum votis devotionalibus legatum circumstare, vel nobis tacentibus pervidetur.

5. Si dimittendi fore ad aliorum horrorem vestitu religioso cum certis execrationibus exuerentur, neque ea, qua admissi sunt, sed viliore porta abigerentur &c. &c.

(*c*) Non igitur voluntatem parentum, quorum obligatio non obligat liberos, nisi hi legitimam ætatem adepti, eam habeant ratam. Atque hinc porro absint omnino omnia, quæ libertati & voluntati propriæ sunt contraria, ceu error & ignorantia, multoque magis vis ac metus, etiam *indirecte* incussus nisi nitatur justitia; veluti vi justa cogi potest conjux, qui in conjugis alterius religiosam professionem vel sacram Ordinationem liber consensit, & incontinentis vitæ suspicionem præbet; item voventes religionem; ut suis stent promissis. Quantumvis discretus Rectorum zelus his potius dispensatione commutationeve subveniet, illum autem non tam ad emittendam coget professionem, quam *pœnæ causa* monasterio includet. Cap. 15. de Regul. c. 11. de his, quæ vi metusque causa c. 14. de regul. Caus. XX. q. 1. can. 3. c. 8. de Convers. Conjug. cap. 20. de Regul.

* Non objice liberos olim a Parentibus in monasteria oblatos fuisse; reflecte enim ad ea, quæ supra exposuimus (§. 109. n. c.)

(*d*) Rationis usu destituti quod ad professionem admitti nequeant, alioqui dubium non est cap. 13. de Regul. Quod autem concernit ætatem, sublatis illis legibus, juxta quas pubertas sufficiebat cap. 6. 8. 11. 12. de Regul., Concilium Tridentinum Sess. cit. cap. 15. de Regul. a Professione arcet minores XVI. annis. Quod decretum tam parum obstat, ne major ætas pro Ecclesiæ & Reipublicæ necessitate ad Professionem exigi queat, quam parum illud ejusdem Concilii Decretum, quo annus probationis exigitur, obsistit, quominus Novitiis in quibusdam ordinibus triennio aut longiori tempore probentur. Et quid? an non salvo decreto XVI. ætatis annum requirente quis secum constituere potest, se demum XXIII. ætatis anno Religiosum ordinem ingredi, ac proinde XXIV. anno demum professionem emittere velle. Id si a privato arbitrio dependet, quid non hac in parte salvo Concilii Decreto ab arbitrio summi Imperantis dependebit? Reflecte ad ea, quæ supra §. 105. n. h. & 109. n. c. dicebamus.

* Moniales S. Dominici a Pio V. per Constit. *summi sacerdotis* de anno 1570. privilegium, quod etiam participant alii cum hoc ordine communionem privilegiorum habentes, id consecuti sunt, ut cuivis in articulo mortis judicio medici constituto ante expletum probationis annum edere liceat professionem. Verum uti hæc Professio non omnes effectus veræ Professionis habet, ita totum privilegium solummodo intuitu *anni probationis* concessum, non etiam ad *defectum requisitæ ætatis* extendi potest. Wiestner l. 3. Tit. 31. Art. II. n. 18. 19.

(*e*) Servi & homines proprii admissi in religiosum ordinem absque licentia Domini, ab eodem intra triennium repeti queunt. Nov. c. 2. caus. XVIII. q. 2. Can. fin.

(*f*) Dist. LIII. can. un. synod. Trid. cit. Sess. cap. 16.

(*g*) Hinc arcentur Episcopi confirmati, si non licentiam a S. Pontifice habeant. Cap. 10. de renunciat. c. 18. de Regul.

(*h*) Sufficiunt, quæ scripsi §. 105. n. h. 109. not. c.

(*i*) Si quidem matrimonium tantummodo ratum sit (§. 105. n. i.), utrique conjugi intra bimestre a die nuptiarum computandum etiam altero invito licet ingredi ordinem religiosum, & secuta Professione solemni vinculum matrimonii dissolvitur, cap. 2. 7. 14. de convers. conjug. quemadmodum de hoc mox plura dicemus. Verum consummato matrimonio non potest unus conjugum religionem ingredi, si non pars altera aut libere ac sponte consentiat, simulque ipsa ad religiosorum ordinem transeat, vel perpetuæ castitatis voto sese obstringat, Caus. XXVII. q. 2. can. 19. 26. Caus. XXXIII. qu. 5. can. 2. cap. 1. 4. 5. 6. 8. 10. 17. de convers. conjug. aut fornicationem commiserit Caus. XXVII. q. 2. can. 21. cap. 15. 16. de convers. conjug. aut in hæresim sit lapsa, ita, tamen; ut resipiscentem pars innocens recipere teneatur. Caus. XXVIII. q. 1. can. 5. 6. seq. cap. fin. de bono conjug. cap. 6. de divort. Liberis sub prætextu eligendi status religiosi patientes miseros deserentibus anathema dicitur in Dist. XXX. can. 1.

(*k*) Scilicet cujusvis ordinis natura, constitutiones & functiones adtendi, atque *universales* collisionum regulæ (§. 109. n. e) tam a Novitio, quam ab iis, per quos probatur, in præcipuam probationis instituendæ norma accipi debent.

* Synodus Trident. Sess. XXX. c. 17. speciatim pro virginibus Deo dicandis statuit, ut, *si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante suscipiat, nec postea ipsa vel alia professionem emittat, quam exploraverit Episcopus; vel eo absente aut impedito, ejus Vicarius*

aut

aut aliquis eorum sumtibus ab eis deputatus virginis voluntatem diligenter: an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat, & si voluntas ejus pia & libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas juxta Monasterii istius & ordinis regulam, nec non monasterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat, cujus professionis tempus, ne Episcopus ignoret; teneatur praefecta monasterii eum ante mensem certiorem facere, quod si praefecta certiorem Episcopum non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.

(*l*) Statuit nempe Concilium Trident. Sess. 25. c. 19. de regul. ut intra quinquennium a die Professionis quivis audiatur, qui coram superiore monasterii, & adjuncto pro majori cautela loci ordinario absque dimisso habitu, aut eundem resumens nullitatem suae professionis docere velit.

(*m*) Elapso quinquennio *non auditur* quidem *reclamatio*, etsi aliquis ignorantiam nullitatis aut impedimenti praetendat, vel agere impeditus fuerit, vel vim & metum semper durasse dicat, verum cum per lapsum temporis non tamen inducatur professio, nihil obstat, quominus contra illam ex justa causa in integrum restitutio etiam absque literis Pontificis concedatur. Cl. de Riegger P. III. §. 587.

* Etiam conventus praetendens nullitatem Professionis eam coram ordinario & intra quinquennium allegare debet. Conf. Van-Espen l. c. cap. 6.

** Ordinem pro causis ejusmodi discutiendis & definiendis praescribit Benedictus XIV. in Const. *Si datam.*

§. 334. Valide emissa professio, quae est *permissio solemnis* (*a*) *ac mutua ab* Ecclesia & Republica (§. 105. n. h. 109.) accepta (*b*) *qua homo fidelis & nulla lege prohibitus* (§. 222. 275. 333.) *votis monasticis* (*c*) *ad regulam religionis adprobata* (*d*) *servandam sese libere adstringit*, partim de Canonico partim de civili jure hosce habet effectus, ut I. omnia vota simplicia ante edita, modo non in favorem hominis facta sint, extinguat, (*e*) II. relaxet irregularitates ex defectu natalium ortas, saltem pro suscipiendis SS. ordinibus & obtinendis beneficiis, queis praelatura aut dignitas non adhaeret (§. 285. n. d.) III. dirimat sponsalia, imo matrimonium contractum, si nondum consummatum sit: post consummatum vero in casibus inducat divortium (§. 289. n. 2. 333. n. i.) (*f*) IV. Abstergat maculam seu inhabilitatem quoad effectus civiles ex vitae anteactae delictis ortam. (*g*) Tollat filii ingratitudinem erga Parentes ante ingressum commissam, ut igitur propterea exheredari nequeat. (*h*)

(*a*) Incertum, a quo tempore invaluerit solemnitas, quae consistit potissimum in eo, ut initiandus formulam professionis consuetam aut viva voce recitet, aut in scriptis manu sua signatam tradat; vel utrumque praestet. Vid. Reg. S. Bened. cap. 58. Atque Professio ita emissa *Professio expressa* adpellatur; Etenim de Jure Decretalium valet etiam *tacita*, consistens in solo facto Monastici status susceptione. Cap. 4. 9. 22. de Regul cap. 1. 2. Eod. in 6. Verum ad tacitam ejusmodi Professionem requiritur 1. ut consentiat ille, qui ad religionem suscipere potest: 2. ut novitius sciat tales actus esse tantum Professis proprios, iisque tacite professionem induci. 3. Ut eosdem reipsa ponat animo profitendi, qui animus fuisse praesumitur (si non v. g. testimonio aliorum, coram quibus protestatio facta est, contrarium probari queat) cap. 4. de Regular. 4. ut facta ejusmodi tacitam Professionem inducentia liberrime exerceantur. Reiffenstuel ad Tit. de Regul. §. 6. n. 180.

* Parum refert seu formula contineat cuncta religiosorum substantialia (§. 222. n. a.) *explicite*; sive eadem sub generali promissione omnium, quae haec illave regula secumfert; *implicite* complectatur.

(*b*) Cap. 13. & 16. de regul. A quibus tam ex parte Ecclesiae quam ex parte Reipublicae acceptatio peragi debeat, ex constitutionibus particularibus desumendum.

(*c*) Hinc vota ejusmodi solemnia in eo different a simplicibus, quod haec ad solum Ecclesiae internum Tribunal pertineant, illa vero habeant vim promissionis ab Ecclesia & Republica acceptatae & tam pro foro interno quam externo producant juris defectus, quorum Ecclesiastici ab Ecclesiastica, civiles a civili potestate dependent (§. 101. n. b.).

(*d*) Cum religio saluti civili non nocere queat, patet ordinem religiosum Reipublicae nocivum, tanquam vere *Religiosum & ab Ecclesia adprobatum* cogitari non posse (§. 101. n. k.) atque nullum ordinem religiosum in quoddam territorium absque consensu Principis induci, aut reduci, nullumque ex motivo communis boni civilis extinctum absque civilium imperantium consensu ceu talem, qui universe pro adprobato admitti debeat, resuscitari posse (§. 109. n. g.).

(*e*) Cap.

(e) Cap. 4. de vot. cap. 5. de Regul. in 6.
(f) Cap. 19. de Regul. Trident. Sess. 24. can. 6.
(g) Justiniani Nov. V. princ.
(h) Nov. CXXIII. cap. 41. Caus. XIX. q. 3. can. fin.

§. 335. Cum in expletione eorundem, quæ per solemnem Professionem promissa sunt (§. 334.) omnis consistat regularis disciplina, hujus urgendæ causa toties repetiti Canones I. obedientiam superioribus (a) (salvis quidem sublimiorum Potestatum sancitis (b) ad amussim præstandam (c) II. paupertatem veram, (d) & *peculia* excludentem (e) III. cælibem castissimamque vitam (f) IV. fugam forensis strepitus (g) & administrationis rerum secularium extra casus necessitatis (h) V. amorem silentii, solitudinis, & adcurationis in iis, quæ juxta regulam peragenda sunt, (i) VI. evitationem omnis superfluæ extra monasterium divagationis (k) imo perpetuam & strictissimam apud Moniales clausuram (l) VII. si necesse ac indultum est monasterii limites egredi, integerrimam inter laicos conversationem (m) inculcant, nec non, ceu præsentissimam disciplinæ conservandæ remedia, frequentiora capitula & visitationes præscribunt (n); attamen neque ejectionem eorum, qui *incorrigibiles* sunt, adprobant (o) neque ab una religione transitum ad aliam, nisi ex justa causa superiori exponenda ad strictiorem, (p) ordinario (q) admittuntur (r).

(a) Non in omnibus Religiosorum Ordinibus idem est regimen. Ex regula S. Benedicti cap. 2. 3. 65. cuilibet Monasterio est *Abbas* (in hebraica & siriaca lingua idem significans quod in latina *Pater*) ut regimine quasi Monarchico, auditis tamen seniorum, aut si res ardua tractanda venit, reliquorum etiam fratrum consiliis & mores Monachorum regat, & bona Monasterii administret; vocatus quoque *Major*, *Archimandrita*, *Prælatus*, *Præpositus*, *Prior*. Stricto sensu Præpositus & *Prior Claustralis* is dicitur, qui post Abbatem curam Monasterii gerit, cui non absimiles sunt *Priores obedientiarii* seu *forenses*, ita nuncupati, quod *foris* in *obedientiis* sive *cellis* a Monasterio dependentibus, quas recentior ætas etiam *prioratus* vocavit, curam Monachorum gerant. Distinguendi autem omnes illi Priores *claustrales* & *forenses* Abbati subjecti a *Prioribus conventualibus*, qui in Monasteriis quorumdam Ordinum non minus sunt Primarii Præfecti ac in aliis Abbates; ideoquo in dignitate constituti intelliguntur Clem. 2. de rescript. quemadmodum etiam a capitulo eliguntur. Et quamvis regimen eorum in nonnullis ordinibus ad certum tantummodo tempus duret, hoc tamen durante non sine causa & ordine judicii amoveri queunt, quod secus est intuitu Priorum claustralium & obedientiariorum, qui plerumque ad nutum abbatis sunt *amovibiles*. Idem vero, quod de Prioribus conventualibus dictum, etiam de Generalibus & Provincialibus ordinum obtinere docet Van-Espen, P. I. Tit. XXXI. c. 2. §. 21. videatur ibidem c. 1. ubi fusius demonstrat, qua de causa in quibusdam Monasteriis abbatum & abbatissarum loco *Priores* & *Priorissæ*; porro *perpetuorum* loco *temporales*; denique in nonnullis seculo X. *Abbates Generales* reliquis *Abbatibus localibus* invigilantes constitui cœperint. *Cistercienses* ad Monarchiæ Cluniacensis incommoda evitanda peculiarem fecere conventionem, quæ *charta charitatis* dicitur, & qua constituere, ut Abbbtes alter alterius monasterium visitarent, singulisque annis haberentur conventus Abbatum, ad quorum placita totus ordo obligaretur. Unde etiam potissimum Capitulorum Generalium origo. Neque Generales tam Cisterciensium, quam Præmonstratensium canonicorum, qui scilicet pariter Monasteriorum confœderationem recepere, extra Galliam, ubi resident, auctoritatem tantam habent, quanta & generalibus ordinum mendicantium Romæ assidue commorantium, qui olim soli universos ordines, hodie vero constitutis per singulas provincias Provincialibus & per singulas domos Rectoribus, Prioribus, Guardianis &c. potissimum aristocratice regunt. Singuli quoque ordines militares, quamvis Pontifici immediate subsint, *magnum ordinis Magistrum* variosque *subofficiales* in Prælatorum & Ecclesiasticorum ordinum dignitatem relatos habent. Et quidem Joanniticus seu Melitensis ordo in octo abit nationes, quas *linguas* adpellant, quarum capita senatum Magni ordinis Magistri (*des Grossmeisters*) constituunt, & sub quibus *prioratus*, *ballivia* & *commendæ* numerantur. Potissimum notari debet ex lingua Germanica Prioratus Germaniæ, & ballivia Brandeburgica. Prior enim titulum gerit *Ordinis S. Joan. Bapt. Hierosolym. supremi per Germaniam Magistri* (*Joanniter Meister*) inter ordines Imperii & quidem Abbates principalis dignitatis consistens. Ballivia vero Brandeburgica vocatur *Magnum Magisterium domini* (*des Herrn Meisterthum*) & qui huic

præest, *Magnus Dominorum Magister* (*des Herrn Meister*) Putter Elem. Jur. Publ. l. 1. §. 120. Boehmer Jur. Eccles. Publ. Tit. V. Sect. XIV. de commend. milit. Ordo Teutonicus certas tenet provincias, quas dicunt Ballivias, & quibus præsunt *commendatores provinciales* formantes capitulum Magni ordinis Teutonici Magistri (*des Hoc-und Deutschmeisters*), qui pariter inter status Imperii, & mox post Archiepiscopum Salisburgensem sedet) iisdemque subordinantur *commendatores* simplices.

* Ex dictis patet, 1. superiores alios esse *generales*, alios *provinciales*, alios *locales*. 2. Dari hinc etiam capitula *generalia*, *Provincialia* & *localia*, quibus *Jus publicum monasticum innititur*. Cap. 6. 7. 8. de statu Monach. c. 4. de fidei. c. 4. de donat. Clem. 1. de reb. Eccl. non alien. Clem. 2. de ætat. & qual. ordin. 3. Regimen in religiosis ordinibus potissimum esse aristocraticum, & potestatem superiorum regularium in causis jura & obligationes congregationis concernentibus ad consensum capituli adstrictam esse. 4. Superiores alios *immediatos*, alios *mediatos* esse. Illi tanquam exemti Romano Pontifici, hi vero Episcopis subjacent. De immediatis & mediatis in sensu iuris publici Germaniæ suo loco dicemus. Conf. cl. de Riegger P. III. §. 555. usque 563.

(*b*) In Caus. II. q. 7. can. 58. hæc verba: *admonendi sunt subditi, ne plus quam expedit, sint subjecti, ne cum student, plusquam necesse est, hominibus subjici, compellantur vitia eorum venerari*, satis docent *cæcam* monasticam obedientiam haudquaquam adversus leges divinas naturales & positivas, leges Rectorum Ecclesiæ, leges summorum Principum præstandam esse, & hinc per præceptum aut licentiam Prælati monachorum vitia non semper excusari vid. S. Bernardus Tract. de præcept. & disp. cap. 10. Neque ideo etiam obediendum Prælato immutanti *essentialia* adprobati ordinis, seu in iisdem dispensare seu rigorem augere velit; quamquam sane obediendum, si Prælatus ipsa essentialia tuendi causa ad rigorem remissum reverteretur. Cum cap. 2. & 26. de adpellat. monachis tantummodo interdicat adpellationem a correctione *legitimam*, cui ob commissos *excessus* subjicitur, patet eadem capitula non obstare, quominus religiosi a correctione *legibus* prohibita, aut si observantia civilium legum ipsis in excessum imputaretur, ad summum Principem recursum sumant, (§. 111.)

(*c*) Conf. circa obedientiam Regul. S. Benedicti c. 5. c. 68. S. Bernardus cit. Tract. c. 4. & 5. Trid. Sess. 25. cap. 1. de Regul. Fagnanus ad cap. 3. de adpell. Van-Espen l. c. Tit. XXXVIII. c. 2.

(*d*) De vet. Relig. paupertate Conf. S. Hieronym. Ep. XXII. ad Eustoch. Caus. XII. qu. 1. can. 11. Fleury cit. Disc. §. 9. Relicto tamen labore corporali necesse erat Religiosis *vel in communi fundos ad sustentationem necessarios possidere, vel illam mendicando sibi comparare*. Atque iis, quibus non ex regula, sed ex Constitutionibus prohibitæ erant possessiones communes, hac in parte ob incommoda mendicationis ad regulam redire cæperunt. Id quod comprobavit synodus Tridentina Sess. 25. cap. 3. de Regul. concedens *omnibus monasteriis & domibus tam virorum, quam mulierum & mendicantium, exceptis domibus fratrum S. Francisci Capuccinorum, & eorum, qui Minorum de observantia vocantur* (cum scilicet hisce ipsa S. Francisci regula ejusmodi possessiones interdicat) *etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat*. Quo ipso Concilium facilitat viam mendicationes substitutis sufficientibus bonis immobilibus aut aliis reditibus tollendi, cum alioquin subjungat, eum tantum constitui debere religiosorum numerum, qui *vel ex reditibus monasterio propriis, vel ex consuetis eleemosynis commode sustentari possint*. Quarum Eleemosynarum determinatio aliorumve substitutio redituum a Principe tanto magis dependebit, quanto efficacius ita legem de pauperibus observandis expleturus est, si necessariis religiosis necessaria suppeditaverit, omnemque mendicandi causam, paupertate interna & Evangelica atque rejectione omnium temporalium ipsis semper salva manente, sustulerit. Id quod non tantum postulat bonum civitatis, quæ tanto moratior est, quo pauciores mendicos habet, sed & bonum Religionis (§. 109. n. b.).

(*e*) Cum synodus Trid. Sess. 25. cap. 2. de Regul. dicat: *nihil etiam, quod necessarium, eis* (religiosis) *denegetur*, & magis eum pauperem dicere possimus, cui *proprietas sine usu*, quam illum, cui *usus sine proprietate* est; pecculia monachorum quam certissime & communi vitæ & paupertati contraria sunt, neque ullo administrationis aliove titulo religiosis concedi possunt. Cl. de Riegger l. c. §. 597. & sequ. Conf. Van-Espen l. c. cap. 7. & Diss. de peculiarit. Defenderunt scilicet nonnulli peculia; non contenti sublata paupertate veterum (reputantium eos tantum vere pauperes, qui neque in communi divites essent), sed singulis quoque, etsi non proprietatem, saltem *stabilitum peculiarem usum* vindicare volentes. Et contra hos ipsos laudatus Van-Espen calamum strinxit. Hujusmodi profecto moralis doctrinæ & consiliorum Evangelicorum interpretes si audisset juvenis, Matth. 19. v. 21. & seq. tristis non abiisset. Conf. etiam Fleury Discur. in Hist.

Hist. Eccles. 8. §. 8. & 12. Neque obstat cap. 2. de statu Monach. ubi tantum de *officialibus* sermo est, & sufficit Concil. Trident. l. c.

(*f*) Concil. Chalcedon. can. 16. Eliberit. can. 13. Hinc si quis post professionem in religione adprobata matrimonium adtentet, subjacet excommunicationi, & irregularis fit (§. 287. n. e.) ipsumque matrimonium hodie nullum est. Caus. XXVII. q. 1. can. 22. cap. un. de vot. in VI. Enimvero *olim* matrimonia a Monachis aut Monialibus contracta, quamvis *illicite* contracta sint, non tamen *invalida* fuere. Conf. meus Ordo Princip. P. II. §. 199. n. h.

(*g*) Eo collineat Constit. Eremit. S. Augustini P. III. cap. 17. *Poterit etiam in Principalioribus conventibus Procurator secularis constitui pro illis negotiis, quæ per laicum tractari poterunt ad evitandos nimios discursus procuratoris Religiosi, & ne etiam habitus nostræ sacræ Religionis in locis indecentibus quandoque compareat.*

(*h*) Quanto honore Concilium Chalcedonense can. 4. eos prosequitur, qui *vere & sincere* monasticam vitam sectantur, tantopere perstringit illos, qui *utentes habitu Monachi, Ecclesiastica negotia civiliaque conturbant*; adde Concil. Lateran. III. can. 12. S. Bonaventur. in Ep. ad Provinc. sui ord.

(*i*) Concil. Trul. c. 46. Conf. Rancejus Abbas Trappensis in Tract. de sanctitate vitæ Monasticæ, cap. 16. Sanctitati regulari, & solitudini spirituali studia litterarum, absque vano stimulo aut profano fine suscepta, minime sunt contraria, & sublatum laborem manuum, qui olim non minus in codicum descriptione consistebat (Van-Espen P. I. T. XIX. c. 3. §. 6.) eminenter suscitant ii, qui, quod præclaro suo ingenio & laudabili fervore concepere, in monumenta civibus suis & posteritati profutura industriis manibus conscribunt. Imo illa, quæ Imperantium & concivium liberalitate, aut saltem omni ab iisdem suppeditatæ occasione ad summas opes pervenere monasteria, tam ex officio laboris, cum non tantum ad orandum sed & ad laborandum regulares sint instituti, quam ex officio gratitudinis obligantur, ut ad studia & præsertim ejusmodi, quæ sumtuosa sunt, quæque ab ipsis facillime possunt sustineri, sese idoneos reddant, redditosque pro casu necessitatis adhiberi sinant. Hanc obligationem semper cumprimis executa sunt cænobia ordinis S. Benedicti. Notissima sane universo orbi congregatio Benedictinorum S. Mauri, atque etiam in terris nostris tot studiis prorsus singulariter dedita Monasteria & præcipue Monasterium Cremifanense exhibere possumus. Qua laude nil demtum sit tot aliis ordinibus religiosis; præsertim canonicis Regularibus S. Augustini, qui omni scientiarum genere instructos, Ecclesiarum ac scholarum cathedris summo cum adplausu atque fructu suppeditant. Generatim ordines qui suos Prælatos, Abbates & Generales in ipsis summorum Principum terris habent, facilius etiam suas literarias curas ad territorium, in quo degunt, constringere queunt. Sed & propterea mendicantibus nihil ademtum sit promeriti aut promtitudinis in jussis summorum Principum exequendis, & pristina scholarum suarum suorumque ordinum literaria norma antiquanda. Hæc autem advertas velim 1. cum obligatio ad labores spirituales & literarios Regularibus hodie tam communis esse debeat, ac olim communis erat obligatio ad labores manuum, nulli omnino ordini licere præ alio monopolium literarium sibi arrogare, aut quomodocumque ad id obrepere, 2. sicuti veteres regulares sibi laborem sumsere, quin laboribus aliorum posuerint impedimenta, ita etiam aliorum seu Clericorum sive laicorum laboribus literariis nulla impedimenta a Religiosis licite poni posse, 3. quemadmodum Religiosi veteres suarum manuum labores, veluti corbes aliaque, non tantum in propriam utilitatem, sed universe ad genuinos hominum usus, atque non ad speciem sed solide perfecere, ita hodie Religiosos per literarias institutiones non tantum *sui* privatam, sed *omnium* publicam utilitatem sincere quærere; non ut Monasteriis candidati captentur, sed ut Ecclesiæ & Reipublicæ idonea formentur membra, elaborare; non adparentem, sed solidam aliorum instructionem intendere, & viam igitur ad *recte* cogitandum non intercludere, sed quaqua fieri potest quantocius omnibus aperire debere, 4. uti olim labores manuum, atque elaboratorum ad exteros delatio ceterum spiritualem solitudinem & separationem a seculo non destruebant, ita hodiedum assumtis laboribus litterariis hanc solitudinem & separationem salvam manere posse; imo ad studia se rite præparantibus, eaque excolentibus esse necessariam, atque hinc denique, 5. cum disciplina regulari non consistere, ut Religiosi occasione studiorum sibi commissorum absque necessitate conversationem cum secularibus frequentiorem quærant, per domos discurrant, aut citra causas ab Ecclesiæ & Reipublicæ Rectoribus probatas in secularium ædibus commorentur. Literariæ Regularium occupationi non obstat can. 8. Concil. Turon. ad clericos æque ac monachos pertinens, nec illud Hieronymi: *Monachus non docentis, sed plangentis habet officium*, cum hæc directa sint ad studia literarum & legum ex litium desiderio, ex ambitione docendi, & cum neglectu præcipuorum officiorum suscepta. Conf. Meus ordo Princip. P. II. §. 197. n. k. sed & conf. Fleury Disc. VIII. §. 13.

(*k*) Caus. XVI. q. 1. can. 8. Reg. S. Benedicti c. 56. Van-Espen P. I. Tit. XXVII. c. 4.

L 2 (*l*) Egres-

(*l*) Egressus quidem e Monasterio Monialibus jam pridem interdictus fuit. Synod. Trul. c. 45. S. Basilius de Instit. monach. apud Van-Espen P. I. T. XXX. cap. 4. attamen seculo XIII. demum ipsis perpetua clausura imposita vid. cap. *periculoso* de statu Regul. in VI., quam Bonifacii constitutionem innovavit synodus Tridentina Sess. 25. de Regul. c. 5. Concilium Agathense can. 28. præterea statuit, ut *Monasteria puellarum longius a Monasteriis Monachorum aut propter insidias diaboli aut propter oblocutiones hominum collocentur*. Vid. Justiniani lib. 44. cod. de Episc. & Cler. Novel. XXXIII. cap. 36. synod. Trul. can. 47. In hisce igitur canonibus prohibentur *monasteria duplicia*, haudquaquam eo tantum sensu, ut viri & mulieres simul in uno monasterio non vivant, sed, ut nequidem vicinæ sint monachorum & monialium ædes, uti post Zonaram notat Van-Espen in schol. ad cit. can. Quapropter salva mente Ecclesiæ, hisce canonibus sat clare expressa, citra necessitatem nec *residentias*, ut ajunt, monachorum sub prætextu curæ spiritualis, & quod *residentiæ* monasteria non sunt, monasteriis monialium adjungere licebit. Et dum Ecclesia nequidem Episcopis concedit, ut in visitatione Parochos gravent, illosque si ad suam domum pro prandio reverti jubet (§. 195. n. b.), porro Episcopis speciatim etiam in monasteriorum visitatione injungit, *ut charitatis officium impleant, ne gravamen aliquod monasterium incurrat*; S. Gregor. lib. 7. Indict. 1. Ep. 18. profecto Religiosi gaudentes jure monasteria visitandi ibidem lautis per moniales parandis conviviis, & longiore, quam opus est, tempore sese detinentes, aut illas honorariorum xeniorumve exactione gravantes non licite agerent, taceo, si a monialibus honorem sibi majorem quam Episcopis exhibendum prætenderent, vel ceterum præ Episcopis sibi jura in monialium monasteria vindicarent. Episcopi quidem datam sibi divinitus potestatem exercendo quam facillime hisce poterunt obviare, Can. 17. 18. 29. XVIII. q. 2.

* Quamvis Monasteriis virorum non eadem ac monialibus clausura præfixa sit, eatenus tamen & illi clausuram habent strictissimam, quatenus sub pœna excommunicationis reservatæ severissime prohibitum est, ne mulieres monasteria virorum ingrediantur. Refert hanc in rem complures Canones Gratianus in Caus. XVIII. q. 12. Conf. Van-Espen loc. cit. Tit. XXX. cap. 2.

(*m*) Reg. S. Benedicti cap. 51. & 67. Hinc etiam ab egressuris postulatur benedictio superioris, *ut hac velut circumvallati mundi pericula, & dæmonum tela declinare possint*. Hinc multis constitutionibus quoque prohibitum, *ne sine socio exeant, ne extra monasteria sine licentia superioris comedant & bibant, ne justo tardius revertantur*, simulque præceptum, ut quantum possibile est, *conversationem cum mulieribus* evitent, & generatim nullo dicto aut facto religiosum dedecente apud seculares Religionis opinionem minuant. Van-Espen l. c. Tit. XXVII. cap. 2. & XXXIII. cap. 2.

* S. Gregorius l. 3. Ep. 40. ad Valentinum Abbatem expresse inter alia prohibet, ne Monachi sibi *commatres* faciant. Id quod tum facillime evitabitur, si præceptum Concilii Trident. *ut nihil quod necessarium est, monachis denegetur*, (sup. n. e.) non ad res extreme necessarias redigatur, sed intelligatur de quibuscumque, quæ decentia religiosa & æqualitas inter religiosos servanda exigit, scilicet, ne ii, qui peculia aut commatres non habent, parcitate & squalore habitus atque supellectilis aut defectu aliorum, quæ decorum & communis viri honesti usus postulat, ab aliis dignoscantur. Tantum sane confratribus singulis æqualiter tribuere; paupertatem Evangelicam minus lædet, quam si superiores coacervandis monasterii divitiis, aut quidam subditorum stabiliendis peculiis proprie *animum adjiciant*.

** Cum canones hac in parte a Religiosis omnem speciem periculi aut sinistræ famæ remotam velint, iisdem Canonibus contrariæ essent *nimium frequentes* ad monasterii januam collocutiones cum mulieribus, quantumvis spiritualium consiliorum causa institutæ. Vid. Constit. Eremit. S. Augustini Parte II. cap. 13. apud Van-Espen l. c. Tit. XXX. cap. 2. §. 18.

(*n*) Cap. 7. de stat. Monach. Benedict. XII. in Constit. pro Ref. Benedict. & can. Reg. Clemens V. in Clem. 1. §. fin. de statu Monach. Conc. Trid. Sess. 25. cap. 8. & 9. de Regul. *Monasteriorum* ait cl. de Riegger *reformator & visitator ordinarius est, non, quem curia Romana, sed quem Christus ipse posuit Episcopus*, P. III. §. 610. *Et non semel sed sæpius in anno visitare monasteria, & si aliquid corrigendum fuerit, corrigere* Episcopos jubet Concil. Aurel. Conf. meus Ordo Princip. P. II. 200.

(*o*) Ejiciebantur quidem olim monachi incorrigibiles, & non tantum veste monastica tales exuebantur, sed & a monastica disciplina & regimine Abbatum prorsus soluti Episcopis concredebantur. Dum vero hujusmodi ejecti dein plures conspiciebantur cum evidenti salutis suæ detrimento & publico scandalo vagari, ejectio prohibita fuit. Cap. fin de Regul. Et quamvis congregatio Card. Interpr. adprobante Urbano VIII. censuerit, *ab ipso generali ex consilio & adsensu sex Patrum a congregatione generali ad hoc delectorum, prævio processu & plene probatis causis* ejici posse *vere incorrigibilem, & qui unius anni spa-*

tio

tio in jejunio & pœnitentia in carcere probatus, nihilominus non resipuit, id tamen neque moribus congruere Authoribus multis videtur, & postea testante Zypæo Tit. de Apost. ab ipsa congregatione Interpretum jam contrarium fuit responsum.

* Immortalis Pontifex Clemens XIV. benigna non contentorum Religiosorum dimissione multum præcavebat numero incorrigibilium.

** Modus corrigendi Religiosos sese contineat intra limites correctionis spiritualis, scilicet 1. pœnarum humiliationem & confusionem spectantium, 2. mortificationum & pœnitentiarum etiam corpus aliqua ratione, veluti jejunio, affligentium, 3. exclusionis a reliquorum fratrum consortio & benedictione, non vero ad normam civilis aut criminalis processus, non ad carceres, non ad tyrannicas coercitiones, aut plane ad necem sese extendat. Conf. meus ord. Princip. P. II. §. 198.

*** Speciatim cum *fugitivis* Religiosis, qui attentarunt claustra rumpere animo extra obedientiam vivendi, nec non cum *Apostatis*, qui animum redeundi prorsus deposuerunt, si sponte reversi aut etiam retracti sint, charitate potius quam severitate agendum, ut eo certius resipiscant. Caus. I. q. 7. can. 2. Cave autem existimes, etiam eos esse fugitivos, & decreto synod. Trid. Sess. 25. cap. 4. de Regul. comprehendi, qui perfugio ad superiorem Ecclesiasticum vel summum Principem sibi adversus sui immediati superioris vexationem consulunt. Cl. de Riegger l. c. §. 606. Pirrhing ad Tit. de regul. n. 187.

(*p*) Cap. 10. 18. de Regul. Trid. Sess. 14. c. 2. Card. Luca Discus. 38. de Regul. Quæ regula sit strictior, ex præsenti ejus observatione determinari debet, neque strictioris etiam regulæ ordinem absque præmisso novo Novitiatu quis *valide* profiteretur.

(*q*) Extra ordinem, scilicet ob infirmitatem ex observantia strictioris regulæ provenientem, aliamque justam causam facultas quidem etiam ad laxiorem ordinem transeundi datur, ita tamen, ut hic non cujuscumque superioris licentia sufficiat, sed dispensatio Pontificis requiratur; fratribus mendicantibus generaliter ad alium quemcumque ordinem non mendicantium sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ & soli Pontifici reservatæ transitus prohibetur. Trid. Sess. 95. cap. 19. de Regul. Extrav. 1. in Regul. inter com.

(*r*) Quæ plura de simoniacis in ordinem receptionibus, nec non de pœnis religiosorum scitu necessaria sunt, in libro III. hujus Tomi exponentur.

§. 339. Politiam status regularis facilius tuendi causa etiam circa constitutionem ipsorum Monasteriorum hæc porro in canonibus disposita sunt, ut I. Monasteria sine licentia Episcopi eorumque, quorum interest, (§. 109. n. b.) non erigantur (*a*), II. caveatur multitudo monasteriorum (*b*), III. erecta Episcopo subjaceant (*c*).

(*a*) Concil. Chalced. can. 4. Trid. Sess. 25. cap. 3. de Regul. per quod abrogatum est cap. un. de excess. Præl. in VI. & Clem. 3. de pœn. Van-Espen P. I. Tit. XXIV. cap. 3.

* Sanctio Concil. Trid. Sess. 25. cap. 5. de Regul. *ut sanctimoniales ex monasteriis extra mœnia urbis vel oppidi constitutis, & malorum hominum prædæ altisque facinoribus sine ulla sæpe custodia expositis: ad monasteria intra urbes vel oppida frequentia reducantur*, non impedit, quo minus hodie Principes procurata in territoriis securitate, & politia universe per circulos provinciarum stabilita, atque ita igitur sanctionis hujus ratione cessante, Monasteria etiam extra urbes in publicum forte commodum transferre possint.

** Quod monasteria puellarum longius a monasteriis virorum removeri canones jubeant, jam supra dictum; sed & ab Episcoporum ac Principum arbitrio dependebit pro Ecclesiæ & Reipublicæ bono determinare, num curam spiritualem apud moniales religiosi, qui ejusdem cum illis ordinis sint, aut Parochi locorum, & Presbyteri seculares gerere debeant.

*** Cum simul statutum sit, ut domus regularium non erigantur, nisi in iis saltem duodecim religiosi inhabitare valeant, tanto magis consensus incolarum loci atque procuratorum aliarum domuum religiosarum, & quidem non solum in iisdem, sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumvicinis locis exquiri jubetur, nec non additur, *ut is numerus tantum constituatur, & in posterum conservetur, qui vel ex reditibus propriis monasterii vel ex consuetis eleemosynis* (non itaque novis introducendis) *commode possit sustentari*. Concil. Trid. l. c.

(*b*) *Gentis multiplicatio*, ait Christ. Lupus ad can. 4. Concil. Chalced.: *lætitiæ magnificationem quandoque subnervat. Quocirca nonnisi sub Episcopali oculo & examine congruit monasteria multiplicari*, apud Van-Espen in schol. ad cit. can.

(*c*) Caus. XVI. q. 1. can. 10. Caus. XVIII. q. 2. can. 1. & 10. c. 7. & 8. de relig. dom. cap. 7. de statu Monach. cap. 12. 19. de off. Jud. ord. Trid. Sess. 21. c. 8. Non tamen Episcopo, qui Ecclesias seculares in regulares, ita regulares in seculares convertere indulgetur, quan-

quandiu spes est illa per regulares reformari posse; quod quidem etiam licebit ita tentare, ut *ordines religiosorum ab uno monasterio transferantur in aliud, vel expulsis veteribus colonis alterius ordinis socii substituantur, modo in mendicantium mutatione speciatim Pontificis authoritas adhibeatur*, C. 1. de Relig. dom. cap. 5. de Eccles. ædif. cap. 7. ne Cler. vel Mon. cap. un. de Excess. Præl. in VI. cl. do Riegger P. III. §. 636.

* De divitiis monasteriorum non reticebo illud Van-Espen P. I. Tit. XXXII. c. 1. §. 13. *Nequaquam concludendum, divitias multarumque rerum temporalium abundantiam nullatenus cum integritate disciplinæ monasticæ ipsoque spiritu religionis posse consistere; certo multas opes olim possedit ordo S. Benedicti in quibusdam monasteriis (uti notat Mabillonius in Præf. ad primam partem seculi IV. Benedictinorum num. 143.) sed eis recte usi sunt, ait, majores nostri. In cœnobio Cluniacensi una die septendecim millia pauperum congrua stipe donati sunt, ut legitur apud Udaricum Lib. 3. consuetud. Cluniac. cap. 12.* Et quandoquidem igitur nos ipsi divitias monasteriorum nequaquam perstringimus, neque aliud petimus, quam ut illæ in honestissimam singulorum regularium sustentationem; in cultum divinum, in pauperes, in labores Ecclesiæ & Reipublicæ proficuos impendantur; quandoquidem sanctissimis Episcopis & summis Principibus ea tantum jura in monasteria adjudicamus, quæ divino jure & sacris canonibus continentur; quandoquidem denique nil retulimus, nisi politiam iisdem canonibus stabilitam, qua decus & honor regularium non augeri non potest, atque omnibus cavillationibus præcavetur; hac nostra juris canonici doctrina etiam Monasteriis regularium omnino nihil jure competens adimitur.

CAPUT XII.

De Prærogativis Personarum Ecclesiasticarum.

§. 337. Status Ecclesiasticus (§. 375.) diversas secumfert prærogativas: Enimvero & universe Ecclesiasticis præ laicis, & inter illos ipsos uni præ aliis plura jura competunt (*a*).

(*a*) Conf. cl. de Martini posit. de lege Nat.

§. 338. Quæ universe Ecclesiasticis præ laicis competunt, ea vel stricte ecclesiastica, vel civilia sunt; atque inde personarum Ecclesiasticarum prærogativæ in *stricte Ecclesiasticas*, & in *civiles* abeunt.

§. 339. Prærogativæ stricte Ecclesiasticæ partim jam ex Jure divino in ipso charactere & regimine sacro fundamentum habent, (*a*) partim per leges Ecclesiæ in hierarchia tam ordinis quam jurisdictionis sunt stabilitæ (*b*). Et profecto potestati Ecclesiasticæ nullatenus controverti potest jus tales prærogativas cum *omni civili indifferentia* tantummodo in *sacris* obtinentes constituendi (§. 304. n. a.) (*c*) quamquam etiam Principibus Jus Religioni & Ecclesiæ proficuum maneat ejusmodi largiendi prærogativas, quæ, licet non spiritualem characterem aut spiritualem jurisdictionem per se tribuere queant, proprie tamen ad honorem *sacrorum*, & personarum ecclesiasticarum qua *talium* referuntur (*d*).

(*a*) Recogita potissimum §. 131. 133. 134. seq. 136. 141. seq. 143. seq. 155. seq. 160. seq. 163. seq. 169. 187. seq. 193. 225. 229.

(*b*) Reflecte mentem ad §. 160. seq. 166. 179. seq. 187. & seq. 190. 191. 192. 203. usq. 226. 227. & seq.

(*c*) Quis sane dubitabit, num in Ecclesiis sacrisque functionibus clerici primum locum obtinere laicosque antecedere debeant (§. 108. n. e.) aut quis dubitabit, num Ecclesia clericis *privilegium canonis* tribuere seu *excommunicationem* in clericorum percussores statuere potuerit? (§. 283. n. a. VII. 3.)

(*d*) Ita a Principe Canonicis Ecclesiarum cathedralium certa insignia Ecclesiastica v. g. *signa crucis ex collo ante pectus pendentia* præ aliis concedi possunt. Et veluti olim Primarii Ecclesiæ antistites *pallio* & certo ornatu ab aliis Episcopis ex gratia & benignitate Principum distincti fuere (§. 324. n. a.), ita hodiedum religionem & potestatem Ecclesiasticam non violaret Princeps, cui placeret, Patriarchas Primates & Archiepiscopos suos *purpura* ornatos habere. Non obstant, quæ supra relata sunt (§. 282. n. a.) illa enim aut tantum-

tummodo generatim de vestitus *modestia*, aut quidem etiam de *forma* stabiliebantur, sed salva semper potestate summi Principis etiam Personis Ecclesiasticis Politiam vestium in suo territorio determinandi. De ornatu & vestitu inter ipsa sacra portando alibi dicemus.

* De honore, qui clericis ob ipsam sacri muneris dignitatem singulariter exhibendus est, jam dixi supra §. 108.

§. 340. Prærogativæ clericorum civiles a sola potestate civili dependentes (§. 101.) potissimum I. dignitates, munera, & honores in negotiis & conventibus politicis (*a*) II. immunitatem personalem seu *privilegium fori* (§. 112.) III. immunitatem realem (§. 127. n. b.) respiciunt.

(*a*) Eo pertinent dignitas Electoris aut Principis, prioritas sessionis & voti in comitiis, aut aliæ *civiles præcedentiæ* in cursu Ecclesiasticorum & secularium per leges aut observantiam stabilitæ.

§. 341. Ex his quoque jam intelligitur, quod *Præcellentia unius præ altero inter ipsos Ecclesiasticos*, quæ etiam *majoritas* dicatur (*a*), non minus partim jure divino, partim legibus Ecclesiæ, partim moribus & statutis civilibus nitatur, prout nempe illa vel ex forma Ecclesiæ & Hierarchia a Christo stabilita; vel ex gradibus hierarchicis, & muneribus sacris per Ecclesiam introductis, aliisque privilegiis Ecclesiasticis; (*b*) vel ex dignitatibus, officiis & honoribus a civili imperio adnexis consequitur (*c*).

(*a*) Omnis præcellentia desumenda est ex quantitate & gravitate jurium annexorum *muneri*, quod quis in quadam societate gerit. Conf. cl. de Martini de jure civitatis Posit. 198. 199.

(*b*) Præter regulas de Præcellentia, quæ ex ipsis gradibus hierarchiæ Ecclesiasticæ innotescunt, clarissima sunt hæc 1. clerum secularem religiosis, utpote origine & instituto posterioribus, & hinc etiam singulos, quos ordinis aut jurisdictionis Ecclesiasticæ hierarchas diximus singulis, qui tantummodo monasteriorum aut Ordinum rectores sunt, præferri debere. 2. Capitula cathedralia tanquam Episcopis viciniora ante capitula collegiatarum Ecclesiarum (§. 212.) collocanda esse, 3. præcellentiam ipsorum secularium clericorum inter se colligendam esse ex dignitate in ordine clericali; in clero autem regulari 4. *primum* locum canonicis, *alterum* clericis regularibus, *tertium* cænobitis, *quartum* mendicantibus, & inter hos ipsos primum ordini Prædicatorum tribuendum esse, 5. inter clericos tam seculares quam regulares in eodem ordine & munere constitutos denique tempus ordinationis proedriam tribuere cap. 1. de Maj. & Obed.

* Si contentio de proedria oriatur intuitu processionum, judicem pro ea componenda Patres Tridentini Episcopum omni appellatione remota constituere; de gravioribus autem hac in parte contentionibus S. Congregatio super negotiis Episcoporum & regularium decernit. (§. 15. n.c. n.4.) Conf. Trid. Sess. 25. c. 13. de Regul.

(*c*) Hac in parte igitur non tam jus commune, quam speciale cujusvis regni ac Provinciæ spectandum est.

CAPUT XIII.

De statu Conjugali.

§. 342. Statum stricte Ecclesiasticum saltem in Ecclesia latina simul statum cælibem esse, atque hinc inter leges clerum tam secularem quam regularem tangentes etiam leges de cælibatu perlatas abunde perspeximus (§. 280. 283. 287. 334. 335.) (*a*). Nunc igitur pro eo, quem procedendi ordinem sumsimus (§. 276. n. d.) transgrediamur ad leges determinantes statum conjugalem, seu obligationes & jura eorum, qui in Ecclesia nostra matrimonio juncti sunt, aut jungendi.

(*a*) Audientur quidem porro aliqua de cælibatu inter ea, quæ de votis suo loco exponentur, nec non in lib. 3. occasione doctrinæ de variis criminibus & pœnis.

§. 343.

§. 343. Et quidem primo quid circa *sponsalia de futuro*, dein quid circa *sponsalia de præsenti* (§. 104. n. i.) (*a*) in jure nostro sancitum sit, illa quidem, quæ hac in parte a civili imperio dependere jam audivimus, (cit. §. & n.) non iteraturi videamus.

(*a*) Posse quidem matrimonium absque præviis *de futuro sponsalibus* contrahi tam certum est, quam parum obstat, quominus contractus emtionis venditionis absque prævia de eodem celebrando sponsione queat celebrari. Verum ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiravit sponsus datam, ut ait S. Augustinus l. 8. Confess. cap. 3., porro cum ordinario præcedant publicæ denunciationes, uti mox infra dicemus, & interim utraque pars saltem hoc pacto facillime se invicem de mutua fide securam reddere queat, consultum & consuetum est, ut sponsalia matrimonio præmittantur.

* Vestigia duplicis sponsaliorum generis sunt in cap. 22. 31. 32. de sponſ. cap. 3. de sponsa duorum cap. 14. de conv. conjug. cap. un. de desponſ. impub. in VI. Et quidem ad diversitatem sponsaliorum tum maxime valuit attentio, quando forma matrimonii validi hodierna nondum determinata; & hinc sæpe disputatum fuerat, num sponsalia jam vim matrimonii consecuta fiot. Vid. apud Grat. Cauſ. XXVIII. q. 2. can. 1. sequ. 16. seu. Neque improbant protestantium omnes hanc sponsaliorum divisionem. Conf. cl. Schrott impartialis Critice Artic. 57. num. 13. pag. 627. & 628. Atque Engau. Elem. Jur. can. l. 2. Tit. IX. §. 186. vituperat illos, qui *per insulsam metamorphosin* substituunt divisionem in *pura* & *conditionata*, cum scilicet de jure nostro sponsalia de futuro *pura* & *conditionata* esse queant. Conferatur etiam Schneidevin ad Tit. de Nupt. in Coment. Inst. §. n. 4.

§. 344. Partim jam ex ipsa definitione sponsaliorum de futuro (§. 105. n. i.) consequitur, partim legibus expressis constitutum est, ut I. ad sponsalia non sufficiat promissio sine acceptatione, (*a*) II. qui valide contrahere velit sponsalia, neque generatim a paciscendo seu natura sive lege, neque speciatim a pacto futurarum nuptiarum (*b*) prohibeatur; III. verus, uti is in omni pacto requiritur consensus, adsit (*c*).

(*a*) Si non jam communis obtinuisset doctrina: non sufficere promissionem *acceptatam* sine *repromissione*, atque fore quidem, ut promissio acceptata ex parte promittentis obligationem non autem vera sponsalia producat Sanchez de Matr. l. 1. Disp. V. arbitrarer eum, qui promissum matrimonium acceptavit, idem declarasse, quod repromittens; scilicet, se in matrimonium futurum consentire.

(*c*) Veluti is, qui nondum septimum ætatis complevit annum c. 5. de desp. impub. qui Canon. & qui certum annorum numerum definit, & fundatam in præsumtione periculi universalis prohibitionem continet, non minus sponsalia ante septennium contracta reddit irrita, ac religiosa professio de jure communi ante annum ætatis decimum sextum, & de jure nostro Austriaco ante annum vigesimum quartum, quantumvis ætatem rationis usus præveniat, ob definitum lege annorum numerum atque universale periculum irrita declaratur; *aut is*, qui adhuc filius familias vel pupillus contrahere vellet sine parentum aut tutorum authoritate, si hæc requiratur, uti per leges Austriacas requiritur, & jam l. 5. & 7. §. 1. de sponſ. usque ad receptionem juris canonici communiter requirebatur; *aut is*, qui matrimonii contrahendi impedimento quocumque laborat, qui nullus ad actum quacumque ratione sibi interdictum sese pacto obligare potest. L. 10. de his, qui not. inf. l. 16. de Sponſ.

* Quia matrimonium valet, si solito citius adsit potentia generandi, inde non concludi potest ad valorem sponsaliorum, si rationis usus septennium præveniat, cum matrimonio certus annorum numerus non sit præfinitus, & pubertate manifestis signis se exhibente ob periculum incontinentiæ connubium permittatur. Neque obstat porro c. 3. de sponſ. utpote intelligendum de juvene, qui quidem duxit *nondum septennen*, sed cum eadem domum ducta longiori tempore cohabitavit ita, ut præsumere liceat, eam, apud illum ad septennium ac ultra pervenisse, atque tum igitur ejusdem ratiabitione sponsalia valida fieri cæpisse, quemadmodum similis casus etiam habetur in cap. 12. de desp. impub. Conf. P. Placid. Bœck ad Tit. de desp. impub. §. 2. num. 14. seq.

(*c*) Hinc patet neque oriri sponsalia ex ejusmodi consensu, quem se finxisse quis probare potest, etsi producat obligationem reparandi damnum, & quidem, si quis seduxerit feminam, eam aut dotandi aut ducendi imponat necessitatem, quandoquidem etiam sine matrimonii promissione extorta copula, exceptis non nisi paucissimis casibus, alterutrum operatur. c. 1. de adult. & stupr. *neque* ex consensu parentum pro liberis interposito, nisi hi obtento

tento rationis usu, aut etsi hunc habeant; si absentes fuere, postea verbo aut facto ratihabuerint. Id enim unicum parentibus privilegium præ aliis est, quod & dicto modo pro liberis contrahere queant sponsalia; & hæc si liberi legitimo rationis usu præditi & præsentes taceant, illico suum habeant vigorem. Caus. XXX. q. 2. can. 2. c. 1. de desp. impub. cap. un. §. 2. in VI. Nam generatim Canones impuberem a sponsalibus ante impubertatis annos contractis etiam juramento firmatis, etsi non in ipsa impubertate (ne levitati & mille mutationibus patrocinentur) attamen pubertatem adeptum resilire sinunt c. 7. 8. 9. de desp. impub. *Neque* ex consensu, cui causam dedit aut error circa ipsam personam, aut metus gravis atque injustus; qui scilicet quam maxime obstat consensui, quem leges & canones universim in contrahendo matrimonio, atque adeo etiam in sponsalibus, veluti plane in dotis promissione, multo liberrimum requirunt. Caus. XXIX. q. 2. can. 4. c. 11. de desp. impub. c. 13. 14. 15. 28. de Spons. & Matr. cap. 2. de eo, qui duxit. l. 21. §. 3. de his, quæ vi metusve caus. Boehmer ad Tit. de Spons. §. 112. *Neque* demum ex consensu non sufficienter (veluti sola annuli datione &c.) declarato. Quapropter nec sufficit hic taciturnitas, nec verbum ambiguum, nec datio annuli, *si de animo contrahendi non aliunde constet.* cap. 11. de præsumt. cap. un. de despons. impub. in VI. Joan. Nicol. Hertius opusc. Vol. II. Tom. III. ad paroem. 65. lib. 1. Annulus in digito puellam obstringit; Sanchez lib. 1. de Matr. disp. 22. num. 3. Mascard. de Prob. conclus. 1024. num. 2. & seq. Menochius l. 3. de Præsum. 2. n. 1. & seq. Multoque minus obligationem inducet promissio in ebrietate prolata, etsi hunc in finem bibisset, ut in ebrietate animos promittendi haberet. Imo in re tam gravi & ardua caus. XXXII. q. 7. can. 7. cap. fin. de procur. in VI. ea, quæ ex præcipitantia, furore amoris intempestivo, aut per lubricum linguæ contigere, non semper ad sententiam pro matrimonio contrahendo movebunt prudentem judicem, a cujus arbitrio etiam ceterum dependet de verbis seu ore prolatis seu scriptis, & de muneribus ac aliis signis, quale est porrectio manuum, ex circumstantiis; non vero ex regulis, queis interpretes ad capiendos incautos utuntur, judicandi, num iisdem declaratus fuerit verus consensus, qui sane in hoc negotio nec Ecclesiastica, nec seculari potestate suppleri potest. Covaruv. P. I. Spons. c. 4.

* Hinc prudentis judicis arbitrium ex circumstantiis etiam dijudicare debebit Promissionem factam hisce verbis: *nullam aliam ducam* NISI *Te*, quam aliqui ita intelligunt, *ducam Te & non aliam*, seu *ducam nullam excepta Te*, nonnulli vero ita sumunt, *non ducam, si non Te*.

** Ubi singulari lege aut canone solemnitates non requiruntur, verus consensus omnino sufficit. Caus. XXVII. q. 2. can. 2.

*** Nihil obstat, quominus in hoc, uti in alio pacto, *læsus minor* restitutionem in integrum petere queat. Leyser. Medit. ad Pand. l. 23. T. I. med. 8. spec. 295.

**** Patet ceterum ex allatis, oportere quemvis cautissimum esse, atque abstinere ab omnibus verbis & factis, quæ contra ipsum præsumtionem inducerent, eidemque imponerent onus probandi contrarium, a quo quidem onere P. Bœck. Tit. de Spons. §. 2. n. 65. liberam pronunciat illam, quæ de matrimonio interrogata absque aliis consensum indicantibus signis nil aliud respondit quam *estne opus interrogatione*?

§. 345. Ceu de aliis pactis ita de sponsalibus dici potest. IV. interesse parum; seu ea contrahat quis ipse, sive per Procuratorem. Attamen id speciatim ac expresse cautum est, ut 1. procurator speciali ad certam (*a*) personam mandato sit instructus, 2. mandatum ante ipsa sponsalia contracta a mandante non sit revocatum (*b*). 3. Absque mandantis licentia negotium hoc non committatur alteri (*c*).

(*a*) Universe sponsalia non tantum *mutua*, *libera*, *seria* & *sufficienter declarata*, sed & *certa* esse debent. Hinc non valent ita concepta: *ducam unam ex feminis hujus provinciæ vel civitatis*; imo quamvis ita dirigi queat promissio ad certum numerum personarum, ut v. g. aliquis promittat patri ex ejusdem tribus filiabus se unam ducturum, & una quæque filiarum in casum, quo electa fuerit promissionem acceptet, non tamen prius, quam de ducenda ex selectu promittentis certo constet, sponsalia erunt. P. Bœck Tit. de Spons. l. c. n. 68.

(*b*) Ita & per literas sponsalia recte contrahuntur, tantummodo is, qui literis promisit, non retractet suam voluntatem ante alterius partis acceptationem. Grotius de I. B. & P. l. 2. cap. 11. §. 15. 16.

(*c*) Cap. fin. de proc. in VI. cap. un. Clem. de Renunt. l. 16. mand.

* Manifestum est, si mandatum de certa persona procuratori datum, neque revocatum sit, haudquaquam dein obfuturum esse sponsalibus, si eo tempore, quo procurator mandatum exequitur; principalis dormiat aut ebrius sit. Sed etiam facile patet, secus esse, si nota-

tabilis hæc contingat mutatio, ut principalis in amentiam incidat. Confer. Lugo de Sacramen. in genere Disp. VIII. Sect. I. num. 107.

§. 346. Huic porro contractui æque ac alteri V. adjici possunt varia. Et quidem alia tantummodo majoris firmitatis gratia, veluti donatio annuli pronubii (a) arrha (b) sponsalitia largitas (c) jurisjurandum (d) pignora, fidejussores (e) pœna conventionalis; (f) alia vero, quæ ipsius promissionis naturam subintrant, scilicet modus, dies aut conditiones (g).

(a) Vid. Cauf. XXX. q. 5. cap. 7. ubi quidem mira refertur ratio, cur annulus quarto digito inseratur nempe, *quod in eo vena quadam ut fertur sanguinis ad cor usque perveniat*. quod quidem jam negatum a Kornmanno de triplici annulo P. II. n. 11. Consuetudinis in dando annulo antiquitas patet ex Tertul. qui Apol. c. 6. ait: *olim nulla mulier aurum norat, præter in unico digito, quem sponsus oppignorasset unico annulo*; vid. l. 36. de donat. inter vir. & ux.

(b) Arrha seu Germ. *Mahlschatz* vel *Handiren* consistit in quadam re tradita; & amittenda, vel duplo restituenda ab eo, qui injuste a sponsalibus resiliit, atque adeo *stricte* a pœna posthac demum a resiliente solvenda differt. Differt quoque a pignore, cum eam nec directe in securitatem, sed in probationem dari asserant, neque hyperocha quædam hic restituenda veniat, nec ea denique actione pignoratitia, sed conditione de causa repetatur l. 3. 5. cod. de sponf. l. 38. princ. ff. de ritu nupt. Cauf. XXVII. q. 2. can. 14. sequ. cap. 10. de sent. & re jud. Reiffenstuel l. 4. Decret. T. I. §. 6. num. 176. P. Boeckn loc. cit. §. 3. num. 76. Obtinent autem circa arrham communiter hæc, ut

1. Secuto matrimonio arrha restituatur l. 3. & 5. Cod. de sponf. (quo non obstante ex specialibus statutis & moribus hic & illic ea penes accipientem manet) & restituatur ea quoque, si

2. Matrimonium casu fortuito non secutum sit, l. 3. cit. Attamen

3. si unius retinentia ac culpa non secutum sit, ille, qui dedit arrham, eandem perdat, qui accepit, duplum reddere teneatur. Cit. l. 5. l. 17. cod. de fid. Instrum.

* Ut igitur arrha quadruplicata restituatur, opus est conventione expressa; atque eam ultra quadruplum extendere ideo prohibitum est, ne factis sæpe ex cæco affectu immodicis conventionibus resiliens ad extremam redigatur inopiam, aut hujus tantum vitandæ causa cum maxima animi aversione matrimonium ineat. P. Boeck. l. c. n. 79.

** Communiter arrha a sponso sponsæ dari solet l. 56. de Ep. & cler. Nov. 123. cap. 39. Verum nil obstat, quin etiam sponsa arrhas sponso reciproce offerat. Stryk de Jure sponsa. cap. 3. n. 20. Quo casu injuste resiliens datam perdere, & acceptam restituere quidem manifesto tenetur, attamen ad acceptæ duplum etiam restituendum porro obligari non videtur. P. Boeckn. l. c. n. 75.

(c) Est *donatio* inter sponsos facta in testimonium amoris, & intuitu ac sub spe futuri matrimonii, cujus exemplum habetur Genesis XXIV. 53. & de qua id obtinet, ut

1. ad accipientem irrevocabiliter pertineat, si matrimonium sequatur, l. 1. §. 1. ff. de donat. l. 12. Cod. de donat. ante nupt.

2. Donans eam recuperet, si absque illius culpa nuptiæ impediantur, cum huic donationi saltem tacite insit conditio, *si nuptiæ sequantur* in l. 16. Cod. de donat. ante nupt. hac tantum *sponso* in l. 16. Cod. posita exceptione, ut si sponsæ osculum dedit, ei dimidiam partem hujusmodi rerum donatarum relinquere teneatur.

3. Recuperet eam quoque donans si matrimonium non sequatur ex culpa accipientis. Verum

4. matrimonio non secuto ex culpa donantis illa apud accipientem remaneat cit. l. 15.

(d) Cap. 2. 5. 17. de Sponf.

(e) Facile intelligitur, quod tam pignora quam fidejussores tantum obligationi minus principali, nempe compensando damno, aut arrhæ securiori reddendæ accedant.

(f) Nimirum pœna, si non in casum etiam justarum recedendi causarum statuta sit, libertati matrimonii, utpote a quo post sponsalia alioqui nemo libertatem pro lubitu recedendi habet, obstare nunquam dici potest. Quapropter nec etiam obstat cap. 29. de Sponf. quamvis id existimet Gonzalez in Com. ad h. c. nec. alia lex Ecclesiastica. Attendendum tamen, an non hic & illic statuta & mores pœnam ejusmodi reprobent, ut reprobatur per l. 5. cod. de repud. lib. 2. de inut. Stip. l. 134. ff. de verb. oblig.

(g) Inter conditiones, de quibus hic loquimur, non pertinent ea, quæ ex ipsa natura rei, vel dispositione juris jam intelligitur, atque actum purum relinquunt, veluti: *rebus sic stantibus*, *si uterque sponsorum ad matrimonium aptus*, *nisi religionem ingressus fuera*. Cap. 25. de jure cap. 7. de converf. conjug. Enimvero sponsalia illa dicuntur celebrari

sub

sub conditione, quorum obligatio ab incerto & futuro eventu suspenditur, Cap. 3. 5. 6. de condit. appos. Vocantur etiam in cap. un. de Spons. in VI. *sponsalia incerta*, neque ante eventum conditionis, qua quidem pendente recedere non licet; proprie sponsalia sunt. Is tamen, qui in sui ipsius tantum favorem adjecit conditionem, hunc altero etiam invito remissa ex sponsalibus conditionatis statim pura efficere potest. Caus. XXVII. q. 2. can. 7. c. 1. de condit. appos.

* Ex primis jurisprudentiæ principiis intelligitur, etiam sponsalia vitiari ejusmodi conditionibus, quæ aut natura aut legibus bonisque moribus sunt impossibiles. Conf. cl. de Martini Posit. Leg. nat. 469. quo tamen non est referenda hæc, *si dispensatum fuerit in impedimento*, modo sit tale, in quo dispensari & solet & potest. Contraria quidem Curiæ Romanæ praxim esse demonstrat Cardinalis de Luca ex variis rotæ decisionibus Decis. 107. & 603. *Sed inconstans sibimet ipsi Rotæ Romanæ auctoritas*, ait cl. de Riegger, *imponere nobis non debet, neque in summa dispensationum libertate conditionis hujus impossibilitatem persuadere nobis poterit*. P. IV. §. 15.

§. 347. Quemadmodum denique ex quovis valido pacto ad idem implendum oritur obligatio, ita etiam VI. sponsaliorum primus is est effectus, ut perfectam contrahendarum nuptiarum obligationem inducant, (a) cui honestatis consideratione etiam sub nomine justitiæ additus est effectus alter publicæ honestatis, vi cujus neuter sponsorum, sponsalibus licet dissolutis, (b) cum alterius partis consanguineis in primo gradu lineæ rectæ vel obliquæ valide matrimonium contrahere potest. (c)

(a) Caus. XXVII. q. 2. can. 27. 51. cap. 2. 10. 17. de Spons. cap. 6. de despon. impub. c. 1. de spons. duor. Verum etsi ex hisce pateat, absque justa causa renuentem, si monitis Episcopi morem non gerat, ad matrimonium etiam per censuras Ecclesiasticas cogi posse, cit. cap. 10. attamen simul patet ex cit. cap. 2. & 17. ad evitandos ejusmodi matrimoniorum difficiles exitus renuentem potius monendum quam cogendum; & universe, si ex nolentibus volentes effici nequeant, a coactionibus *ad matrimonium* abstinendum esse, imo cit. cap. 10. excludit censuras, *si rationalibus causa obsistat*. Qualis sane causa omnium maxima est infaustus, si prævideri possit, matrimonii ita coacti exitus. Sanchez de Marim. l. 1. Disp. 29. Atque hinc actio ex sponsalibus omni jure a summis Principibus ita determinari posset, ut ea (veluti sponsalia alioquin negotium sunt mere civile) apud solum judicem civilem, & tantummodo ad id, quod interest, vel etiam ad pœnam simul contra juste resilientem agatur. Quo sane & Religioni & famæ partis illius, a qua receditur, & bono publico (ut ego quidem salvo meliori judicio arbitror) non parum consuleretur. Evitabuntur sane ita I. matrimonia, in quibus, quia censuris pœnis aliisve modis tandem extorta fuere, non alia nisi continua odia, contentiones, rixæ, adulteria, neglecta educatio prolium, iisque pessima data exempla deprehenduntur. Præcavebitur II. ne tot sponsarum jam ante contractas in facie Ecclesiæ nuptias intuitu promissi matrimonii, & sibi persuadentes sponsis dein ad illud coactis omne pudoris periculum certo evitatum iri, in concedendo sponsis usu sui corporis minus hæsitent. Et vel ideo etiam III. sponsæ, de quibus tum præsumendum, eas magis cautas fore, in meliore semper fama facilioreque occasione matrimonii alterius obtinendi manebunt, quam si compareant qua tales ad quas sumendas sponsi omnibus dein censuris adigi non poterant. Quod denique adtinet IV. ad bonum publicum, id certo non ex matrimoniis coactis atque extortis, sed potius contrarium sequitur.

* Ex obligatione ad sponsalia adimplenda necessario consequitur, ut sponsalibus cum una firmatis nullus jam contractis dein cum alia *sponsalibus* (de matrimonio secus esse suo loco dicemus) valor esse queat, etsi secundis sponsalibus copula accederet l. ult. ff. de pactis (imo jure civili in bina sponsalia infamiæ pœna statuebatur. L. 1. l. 13. §. 1. & 2. ff. de his qui not. infam.). Qui ex jure Decretalium deprehenduntur obstantes Canones, pro eo tempore valebant, quo ante stabilitam a Tridentino Concilio matrimonii formam sponsalia, quibus copula accessit, præsumtione juris & de jure in *matrimonium* transibant cap. 15. 30. de Sponsal.; & matrimonium cum secunda contra sponsalia cum prima expresse positiva lege sustineri jam monuimus. Neque formari potest paritas a speciali constitutione circa emtionem venditionem, in qua secundus emtor, dum ei traditio facta est, præfertur primo lib. 15. cod. de rei vind.; neque porro dici potest, primam certare de lucro captando, alteram vero de vitando damno, atque ideo hanc illa potiorem esse; quandoquidem etiam prima amissione juris jam per sponsalia sibi quæsiti damnum pateretur, ac secunda suo delicto imputare debet, quod damnum gravius experiatur. Neque demum is, qui regulas in

concursu officiorum erga Deum cum officiis necessitatis & charitatis erga proximum observandas tenet, turbatur minimum, si opponitur: eum, qui post simplex continentiæ vel religionem ingrediendi votum virginem sub spe & promissione futuri matrimonii defloraret, non obstantibus hujusmodi *votis Deo factis* ad illam ducendam obligari, atque hinc videri, multo magis sponsalibus cum prima, sponsalia cum secunda deflorata præferenda esse.

(*b*) Excipe casum, quo sponsalia solverentur mutuo dissensu. Enimvero cum publica honestas nitatur mutuo animorum consensu, hunc ipsum vero mutuus dissensus ita tollat, ac si nunquam fuisset, etiam publicæ honestatis impedimentum una cum sponsalibus evanescit. Neque dicas Ecclesiam solummodo respicere, num semel adfuerint sponsalia *valida*, & his positis illico perpetuum publicæ honestatis impedimentum habere velle. Etenim quamvis hoc impedimentum jure recentiori ad sponsalia tantum valida restringatur, ratio tamen, cur id in sponsalia statutum sit, semper reposita manet in conjunctione animorum, ob quam solam nempe olim omnibus etiam invalidis sponsalibus, modo non invalida essent *ex defectu consensus*, hoc impedimentum inducebatur, uti alibi dicemus. Dum mutuus itaque Dissensus omnem priorem retro consensum penitus tollit, cap. 1. de Reg. Jur. l. 35. ff. eod. sublata tota ratione hujus impedimenti in ipsum non evanescere non poterit, neque obstat c. 5. de despon. impub. ubi non agitur de conjunctione animorum *mutuo consensu* sublata, sed simpliciter refertur, sponso, quem recusavit sponsa, ob notabilem hanc animi mutationem dein authoritate judicis adjudicatam fuisse licentiam a desponsatione recedendi, id quod non demonstrat, sponsam consensu & placito ipsius sponsi suam voluntatem mutasse, & sponsum quoque magis animum voluntarie a sponsa, quam cognitionem a recusante ducenda quodammodo coacte abduxisse. Nobiscum sentit Engel Tit. de Sponſ. §. 6. n. 3. ex ea ratione, quod in dubio impedimenta matrimonii tanquam odiosa potius restringenda sunt quam amplianda Argum. Trid. Sess. 24. de ref. Matrim. cap. 2. in Princ. Recte omnino; tantummodo causam restringendi, ne ultra rationem legum pro lubitu restringere videatur, pluribus exposuisset; neque enim sat probat illa, quam adducit, declaratio Congreg. Card. ex Barbosa de offic. Episc. p. 3. alleg. 51. n. 288. cui P. Boeck opponit aliam de 6. Julii 1658. quo ab Alexandro VII., uti asserit, eam ratihabitam cum prohibitione, ne doctrina hæc deinceps in dubium revocetur; de qua quidem prohibitione ejusque receptione dum nobis nil *legaliter* constat, nos nostris principiis inhæremus.

(*c*) Cap. un. §. 1. de Sponſ. in VI.

§. 348. Jus recedendi a sponsalibus vel ex utraque desponsatorum parte est vel tantum ex una; & id juris qui habent, si eodem utantur, sponsalia *soluta* esse dicuntur (*a*).

(*a*) Profecto non recte dicitur: *sponsalia solvi vel ex utraque vel ex una parte*. Enimvero si quis illius, quam sponsam habuit, sponsus esse cessat, quomodo illa sponsa remanere poterit, & vicissim? Rectius itaque opinor dici: sponsalia quidem nunquam non ex utraque parte solvi, sed ab iisdem recedendi jus, cujus usu dein pro utraque parte solvuntur, vel ex utraque parte vel tantum ex una esse.

§. 349. Ex utraque parte Jus recedendi adest, I. si intervenit mutua obligationis remissio (*a*), II. si lapsum est tempus *finiendæ obligationi* adjectum (*b*), III. si sponsus sacros ordines suscepit (*c*), aut pars alterutra in adprobata religione professionem emisit (*d*), IV. si aliud impedimentum matrimonii supervenit (*e*), V. si conditio defecit (*f*).

(*a*) Lib. 35. ff. de Reg. Jur. cap. 1. eod. quantumvis forte sponsalia juramento firmata fuerint cap. 2. de Sponſ. cap. 25. de Jurejur. Pufendorf. de Jure Nat. & Gent. lib. 4. cap. 2. §. 11.

(*b*) Cap. 22. de Sponſ. si modo aut per neutrum vel utrumque stetit, quin statuto termino matrimonium contractum sit; secus si ex unius culpa matrimonium non secutum est. P. Boeckn. l. c. num. 135.

(*c*) Cap. 1. de Cler. Conjug.

(*d*) Cap. 2. 7. de conv. conjug. Concil. Trid. Sess. XXIV. de Reformatione matrimonii, can. 6.

* Quantumvis vero hoc *receptum* Jus tribuat facultatem sponsalia immo matrimonium ratum, professione religiosa solvendi (§. 334.) per hoc tamen professionem emissurus mea quidem opinione nullo modo in conscientia liber est a reparando damno, si quod grave dedit, veluti si pauperem ad repudiandas nuptias, quas cum alio proficuas jam inire potuisset, persuasit, aut firmissima matrimonii promissione copulam extorsit, aut unica causa fuit, cur jam immanes

res & licitos sumtus intuitu futuri status conjugalis sponsa fecerit &c. Neque dicas quamlibet sponsam nosse debere, quod sponsus facultate religiosum ordinem ingrediendi uti queat. Enimvero id nil aliud probat, quam sponsum talem a sponsa ad matrimonium cogi non posse, non autem, eundem nec cogi posse ad reparandum damnum, atque relati superius canones (§. 333.) satis manifestant, Ecclesiam velle, ut Professio religiosa non cum gravi præjudicio & damno tertii emittatur; quemadmodum etiam talis, religiosæ vocationis indicia profecto non exhibens, certo a nullo ordine recipietur.

** Certum illud, quod ait Pontifex in cap. 16. de Sponsf. scilicet, si quis juramento firmavit sponsalia, & ordinem religiosum ingredi cupit, tutius esse *religione juramenti servata prius contrahere & postea ad religionem migrare*: intelligendum est de eo casu, quo quis de Religionis ingressu adhuc deliberat, & nondum re ipsa monasterium ingressus est. Gonzalez ad cit. cap. 20. Quod si non tantum de contrahendo, sed & de consummando matrimonio juratum sit, *censent*, ait cl. de Riegger. P. IV. §. 22. *propositum aut promissum non infringere eum, qui in melius illud commutat*, cap. 3. de jurej. *neque in jurata consummandi* promissione contineri casum, quo ipsi canones a consummatione abstinendum probant, & collaudant. Cap. 20. ibidem. Benedictus XIV. de synodo Diæcesan. lib. XIII. cap. 12.

(*e*) Cap. 8. de eo, qui cogn. junct. Concil. Trid. Sess. 24. de ref. matrim. cap. 4. Etenim cum obligatio ad illicitum exequendum concipi nequeat, omne impedimentum matrimonii, etsi tantummodo sit *impediens* (quo stante scilicet illicite matrimonium contrahitur, sed tamen si contractum est, sustinetur) est dirimens sponsaliorum, ita tamen, ut pars illa, cui existentia impedimenti hujusmodi imputari potest, petere dispensationem, aut si hæc non possibilis vel non dari solita sit, damnum datum reparare teneatur.

(*f*) Cap. 5. 6. de condit. appos. secus si is, qui in sui ipsius tantum favorem adjecit conditionem, eandem *remittat* (§. 346. n. g.).

§. 350. Uni tantum parti Jus sponsalia solvendi datur I. propter alterius fornicationem sive corporalem (*a*) sive spiritualem sub qua hæresim intelligunt, (*b*) II. ob matrimonium ab altera parte cum alia initum (*c*), III. superveniente quavis alia notabili mutatione (*d*) aut circumstantia, qua infelix matrimonii exitus, & gravissimum incommodum nasceretur (*e*).

(*a*) Cap. 25. de jurej. Neque etiam tum denegari potest jus recedendi a sponsalibus, licet jurejurando firmatis, quando fornicatio unius demum postea alteri innotuit. Etenim verba cit. cap. 25. *si quis juraverit se ducturum aliquam in uxorem, non potest ei, fornicationem opponere præcedentem*, intelligi debent de fornicatione jam tunc cognita, quando sponsalia contrahebantur. Boeckn. loc. cit. num. 149.

* Utriusque fornicatio se invicem compensat. Enimvero, cum nil aliud, quam *rupta fides* hic attendatur, non est ullius inter sponsum & sponsam distinctionis ratio, arg. cap. 6. de adult.

(*b*) Arg. cap. fin. de convers. conjug. & c. 2. de divort.

(*c*) Cap. 31. de Sponsf. Nimirum sponsalia priora per tale matrimonium haud quaquam ita dissolvuntur, ut pars innocens, si expectare velit, eo per mortem soluto fædifragam, ad illorum implementum non adigere queat. Atque salvo igitur partis innocentis arbitrio in cap. 24. de Sponsf. dicitur *primam fidem irritam factam esse*.

(*d*) Notabilis nempe mutatio & ob c. 25. de jurej. & ob ipsam naturam hujus contractus (qui ad mutuum amorem ac futuram individuam vitæ consuetudinem tendit) & ob inde fluentem conditionem *rebus sic stantibus* a sponsalibus recedendi licentiam non dare non potest. Ejusmodi autem notabiles mutationes vel in corpore vel in statu externo, vel in animo contingere queunt. Præcipue notabiliter mutatum animum prodit pars altera, dum sponsalia cum alia celebrat, minores ordines suscipit, inscia aut invita parte altera discedit, suique copiam diu non facit aut denique ingreditur novitiatum, quæ si contingunt, pars delusa certe *si libera esse vult*, sua solvitur obligatione. Quod si libera esse nolit, partem deludentem, cujus obligatio nulla ratione soluta fuit, etsi novitiatum ingrediatur, si non valida professio sequatur, compellere poterit.

Jure civili sponsa absentem sponsum expectare jubetur per biennium, si sit intra provinciam; si extra eam, per triennium l. c. cod. de Sponsf. lib. 2. cod. de repud. imo diutius, si necessaria absentia subversatur l. 17. cod. Verum in jure civili potissimum sermo fit de lucro vel amissione arrhæ, atque cum jure canonico nil sit determinatum, quanti temporis absentia requiratur cap. 5. de Sponsf. id dijudicare hodie prorsus arbitrio judicis relinquitur. Cl. de Riegger l. c. §. 24.

(*e*) Nullus enim censetur se gravi suo cum in-

incommodo & damno, antea non perspecto, obligare voluisse, sed aestimanda haec omnia sunt prudentis judicis arbitrio.

* Handquaquam igitur haec valet regula: *a sponsalibus recedi posse, si superveniant circumstantiae, quibus praevisis sponsalia contracta non fuissent*. Enimvero offerente se sponsa nobiliore ditiore formosiore ita facile quis dicere posset; se devenisse in circumstantias, quibus praevisis cum priore sponsalia non contraxisset. Sed tum tamen jam illa consideranda essent, de quibus paulo ante monui (§. 347.*).

§. 351. Ad hoc quidem, ut mutuo contrahentium consensu sponsalia solvantur; jure communi nec sententia Judicis, nec aliqua solemnitas requiritur (*a*).

(*a*) Alia est praxis quarumdam Dioecesium, in quibus dissolutio sponsalium ante causam ab Ordinario adprobatam non permittitur. Wiestner tit. de sponf. art. 5. n. 95. & 121. sequ. Atque cum id praecipue etiam in Diaecesi Constantiensi obtineat Spengler Instr. Paroch. pro assistentia SS. Contract. 42. seq. arbitratur, cl. de Riegger P. IV. §. 25. ad eandem Diaecesim respexisse Auctorem Anonymum. *Illustrationis Objectionum quas nonnulli Canonistae in sponsalium Bavaricas leges faciunt*. Pag. 89. ubi ita ait: *Novi quoddam* Consistorium, *ubi, contra omnem naturam contractuum, Sponsis non permittitur, ut ex se, mutuo consensu, sponsalia sua resignent; sed debeant hujusmodi actus ratificationem apud* Consistorium, *soluta pecunia, consciscere*.

* De judice sponsalium sufficiunt, quae superius (§. 105. n. i.) exponebantur.

§. 352. Quod ad *sponsalia de praesenti*, seu ad ipsum Matrimonium adtinet; quisque facile intelligit, omnem de eo doctrinam in recta atque distincta *contractus* & *Sacramenti* (*a*) notione fundari; ac proinde considerandum esse, quid generatim circa utrumque divinis naturalibus positivisque legibus, quid porro legibus humanis, & quidem intuitu *contractus*, vel ab imperio civili, vel ab Ecclesiae Rectoribus indulta sibi ab illo potestate; intuitu *Sacramenti* autem per potestatem Ecclesiae propriam sint stabilita (*b*).

(*a*) De iis, quibus supra (§. 105. n. i. num. 2.) demonstratum est: *contractum matrimonii sine Sacramento validum esse posse*, vid. etiam Petrus Collet. Presbyter Congreg. Missionis S. Theol. Doct. & Prof. in continuat. praelect. Theolog. Honorati Tournelli Tom. XIV. cap. 2. Art. II. Sect. III. pag. 107. Pater Ignatius Reutlinger de Matrimon. P. II. Sect. I. quest. 2. §. 2. pag. 201. sequ. ceu ad hos quoque provocat Clar. de Riegger P. IV. §. 31.

(*b*) *Hinc Ecclesia jure statuendi impedimenta Matrimonii ut* SACRAMENTI, *Princeps jure statuendi impedimenta Matrimonii ut* CONTRACTUS CIVILIS *est, gaudet*, sunt verba synopsis Juris Ecclesiastici Publici & privati; quod per terras haereditarias Augustissimae Imperatricis Mariae Theresiae obtinet Posit. 34. Juris Eccles. privati.

§. 353. Certissimum est I. Matrimonium esse verum contractum (*a*), & hunc quidem contractum, etsi demum conjunctione corporum *consummetur* (§. 105. n. i.) solo tamen jam perfici consensu (*b*) tantummodo is in societatem sobolis procreandae & educandae causa feratur (*c*).

(*a*) Matrimonium nempe est *legitima maris & feminae conjunctio inita* PROCREANDAE ET EDUCANDAE SOBOLIS CAUSA, quem finem Justinianus §. 1. inst. de patr. potest. & Pontifex in cap. 11. de praesumt. supponunt, dum matrimonium definiunt, quod sit *conjunctio viri & mulieris individuam vitae consuetudinem continens*. Est itaque haec conjunctio etiam verus contractus, cum pacta & contractus non tantum de rebus, quae in commercio sunt, sed de factis quoque licitis ac honestis iniri possint. Ad hoc non adtenderunt Huberus ad Tit. Instit. de nupt. num. 2. & Casparus Zieglerus ad instit. Jur. Can. Tit. de Sponf. §. 2. negantes matrimonium esse contractum, atque in cassum quoque suam sententiam eo firmant, quod matrimonium *sui nominis actionem* non producit: enimvero conjugibus vera datur actio ad illa exigenda officia, quae unus alteri debet, quamvis hoc nomen *actio ex matrimonio* non audiatur, neque de nomine tali hactenus tribunalia sollicita fuerint juxta c. 6. de jud. ubi injungitur: *provideatis attentius, ne ita subtiliter sicut a multis fieri solet* CUJUSMODI ACTIO INTENTETUR *inquiratis, sed simpliciter & pure* FACTUM IPSUM ET REI VE-

VERITATEM *secundum formam canonum, & sanctorum Patrum instituta investigare curetis*, P. Boeckn. Tit. de Sponf. & Matr. P. II. §. 1. n. 6.

(*b*) *Nuptias enim non concubitus, sed consensus facit*. L. 30. de R. N. cap. 23. de Sponf.

(*c*) *Hinc nullum est matrimonium cum pacto de servanda perpetua continentia celebratum*. Cl. de Riegger P. IV. §. 65. Sanchez l. 5. Disp. 10. n. 2. Etenim matrimonium seu *societatem ad procreandam & educandam sobolem* lnituri, utique ex ipsa natura hujus societatis procreationem & educationem sobolis non minus, ac emtor domus pretii solutionem, intendere debent, atque hinc contrahendo matrimonio pactum de perpetua continentia servanda adiicere nequeunt. Secus quidem dicendum, ubi matrimonium jam contractum est. Enimvero repugnat ineunti matrimonium hoc ipso se *ad societatem sobolis procreandæ educandæque causa*, simulque autem adjungendo ejusmodi votum, *ad sobolem non procreandam educamdamque* obligare. Non item repugnat, ut contracta jam hac societate, eaque de causa ejus fine jam intento, subinde juri sociali mutuo sociorum consensu & voto renuncietur; veluti non repugnat, ut contracta emtione venditione eaque de causa solutione pretii intenta postmodum vendatur emtori pretium, ac si solutum esset; acceptum ferat, atque ad id non unquam petendum sese obliget jurejurando. Neque dicas 1. ad essentiam matrimonii non pertinere copulam, 2. transferri posse dominium directum sine utili, 3. obstare matrimonium S. Josephi cum B. M. Virgine. 4. Utique verum esse matrimonium, etsi contrahatur ab ejusmodi, qui simplici castitatis voto, utpote impedimento tantum impediente sunt ligati, & ideo alteruter ligatus ab altero debitum conjugale petere nequeat, 5. non posse repugnare antecedentem promissionem de eo post matrimonium exequendo, quod contrahentes matrimonium sibi ab Ecclesia indultum esse antecedenter sciunt, puta licentiam contracto matrimonio vovendi castitatem & intrandi religiosum ordinem. Hæc enim omnia corruunt, si advertas 1. non quidem ipsam copulam, attamen consensum & potestatem ad copulam, esse de matrimonii essentia, 2. non posse dominium directum transferri sine utili, si ex contractus natura simul consensus ad transferendum dominium utile requiritur; pactum autem de transferendo Dominio utili cum pacto de non utendo fruendo conjunctum omnino esse chymæram, 3. desiderari demonstrationem, quod a B. Maria Virgine & S. Josepho matrimonium cum accedente voto de servanda perpetua continentia fuerit contractum; deinde, 4. discrimen esse, num aliqui cum voto castitatis adjuncto matrimonium contrahant, num vero id ineant ejusmodi, qui antecedenter voto castitatis ligati fuerant. Illi siquidem matrimonium contrahendo generationem; & votum adjungendo nullam generationem; seu contraria intendunt, atque adeo velle & non velle deprehenduntur. Hi autem etsi antea castitatem intenderint, nunc in ipso contractu sibi invicem suorum corporum tribuunt potestatem, atque nullum omnino actum matrimonii contractui adversum eidem adjungunt. Id quidem non diffiteor ab ejusmodi, qui castitatis voto ligati sunt, nec licite contractum iri, si non actionum nostrarum Rectores votum irritum declarent, vel dispensent saltim; nec valide nisi iidem Rectores matrimonium ita jam contractum sustineant, veluti in simplici castitatis voto contingit. Ut autem ex mente contrahentium adsit matrimonium seu contractus de generanda sobole, dum pactum de non generanda adjicitur; tanquam quid legi naturali adversum profecto legislatorum nullus sustinere poterit. Denique etiam, 5. patet diversa hæc esse: *obligo me ad generandam sobolem, si non post contractam de generanda sobole societatem ex indultu Ecclesiæ Religionem ingressus fuero*; & obligo me simul ad hanc societatem simul ad religiosum ordinem eidem societati contrarium. Illo scilicet casu consensus in potestatem corporum adest, nisi ipsa contracta societas dein indulto Ecclesiæ solvatur. Hoc autem consensus sibi invicem contrarii conjunguntur. Nihil obstat profecto, quo minus repugnet quid promittere in ipso actu, quod post actum indulgetur. An non legi repugnat, ut emtio venditio sit, si de nullo pretio unquam petendo adjiciatur promissio, quantumvis dein pretium nunquam petere idque acceptum ferre indulgeatur.

§. 354. Certissimum quoque II. consensum hunc, seu verbis sive signis certis & claris sufficienter declarari (*a*) atque ita declaratum ceu *verum* tamdiu præsumi debere, quamdiu non contrarium evidenter demonstratur. (*b*) Quamquam & hoc demonstrato is, qui consensum finxit, si non parti læsæ aliter plene satisfieri potest, ad matrimonium *vere* contrahendum obligatur (*c*).

(*a*) Cap. 23. de Sponf. unde facile solvenda quæstio, num etiam surdus aut mutus possit matrimonium contrahere; cum tamen signa frequenter dubia sint, tantum necessitate quodammodo cogente ea admittit Van-Espen P. II. Sect. I. Tit. XII. cap. 4. §. 9.

(*b*) Jux-

(*b*) Juxta cap. 15. & 30. de Sponſ. & c. 3. 5. 6. de condit. appoſ. *præſumtio* Juris & de Jure eſt: ſponſum, qui ſponſam carnaliter cognovit, eam affectu maritali cognoviſſe, & hoc ipſo ſponſalia tranſiiſſe in matrimonium; ſed ubi receptum eſt concilii Tridentini Decretum matrimonia Clandeſtina irritans, de quo mox infra dicemus, ibi etiam ejuſmodi *matrimonia præſumta* non obtinere queunt. Atque hinc tantum eatenus noſcimus præſumta matrimonia, quatenus

1. conſenſus, qui in matrimonio juxta præſcriptam formam celebrato ſufficienter declaratus fuit, *verus* fuiſſe præſumitur.

2. Quatenus tamdiu, quamdiu non contrarium probari poteſt, verum quoque præſumitur matrimonium inter virum ac mulierem, qui longo tempore convixere, ſe invicem ſemper ut conjuges tractarunt, ac verum matrimonium ſe iniiſſe conteſta-tur, atque id tantum ideo probare nequeunt, quia Parochus & teſtes defuncti ſunt, & liber matrimonialis periit. Quemadmodum etiam decidit Rota in Recent. part. 10. Deciſ. 233. nu. 16. part. 14. Dec. 433. num. 15. P. Boeckn. l. c. §. 4. n. 31.

(*c*) Cap. 25. 26. de Sponſ. Et quidem cum ſynodus Tridentina ideo coram parocho & teſtibus matrimonia contrahi juſſerit, ut eadem ſint certa; ſcilicet, ne iis clandeſtine contractis & dein negatis pro lubitu conjugati ſecedere queant, patet non tantum requiri 1. ut tale matrimonium, vel ideo quia ob conſenſum ex parte decipientis *fictum*, ex parte deceptæ *erroneum*, *utrinque nullum* eſt, conſenſu *utrinque* innovato ineatur, ſed etiam 2. ut, ſi jam publice conſtet aut ſaltem conſtare poſſit, id fuiſſe nullum, denuo coram parocho & teſtibus ineatur. Cl. de Riegger l. c. §. 39.

* Quid illi conſulendum, qui cum una *ficte*, cum alia dein *vere* contraxit, & quia fictionem probare nequit, a judice Eccleſiaſtico cenſuris adigitur, ut ad priorem redeat, deſumi debet ex cap. 44. de ſentent. Excom. ubi in ſimili caſu dicitur: oportere *potius excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere*, quam per *carnale commercium peccatum operari mortale*

** Qui defendunt, non opus eſſe, ut utrinque conſenſus innovetur, I. putant illo ſe firmos eſſe axiomate, *quod conſenſus non revocatus duret*, non adtendentes, non id de ejuſmodi conſenſu intelligendum eſſe, qui ex errore prodiit, & qui conditione veri mutui conſenſus deficiente nullus fuit, atque igitur uſque ad conſenſum a prius fingente dein innovatum etiam non duraſſe dici poteſt. II. Paritatem accipiunt a Profeſſione religioſa, quæ etſi propter omiſſum aut non liberum conſenſum irrita fuerit, ſolius profitentis voluntate renovari poteſt, & vires accipit, quantumvis Prælatus & capitulum nullitatem ignorent, nec conſenſum inſtaurent; denuo non adtendentes hanc paritatem propterea non valere quod Eccleſia Prælato & capitulo hanc normam dare, iiſdemque in hanc innovationem conſenſum generatim præſcribere, non autem requiſitum ad nuptias conſenſum ſupplere queant. (§. 353.) III. ſibi denique præſidium quærunt in cap. 21. de Sponſ. ubi ad tollendam nullitatem, quæ orta eſt ex metu, adeoque defectu liberi conſenſus, nil aliud requiritur, quam ut pars, cui metus a tertio fuit illatus longiori ſpontanea cohabitatione tacite conſenſum præbeat. Exiguum vero præſidium in caſu diverſiſſimo, quandoquidem pars paſſa metum, hunc utique, & conſequentem inde matrimonii nullitatem non ignoravit, adeoque hujus conſcia deinde conſenſum ſuum conſenſui partis alterius conjugali cohabitatione junxit. Idem reſpondendum ad c. ult. de conjug. ſerv. P. Bœcken l. c. §. 47.

§. 355. Ex ipſa hujus contractus notione patet III. conſenſu ab ipſis contrahentibus vere interpoſito ſubinde non opponi poſſe *exceptionem deficientis Parentum conſenſus*, ſi modo contrahentes non ſint *naturaliter*, ut ajunt *minorennes* aut non defectus conſenſus parentalis a ſumma poteſtate inter impedimenta matrimonium dirimentia ſit relatus (*a*).

(*a*) Hinc etiam facile combinari poteſt ſanctio Concil. Trid. Seſſ. XXIV. c. 1. de Refor. Matr. ubi anathemate feriuntur, *qui falſo affirmant matrimonia a filiis familias ſine conſenſu parentum contracta irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe* cum jure naturali, quod minorennium actiones ſine conſenſu parentum irritas, cum hoc validas declarat. Enimvero concilium non ejuſmodi *naturaliter minorennes*, intelligit, qui ſufficientis rationis uſu ſunt deſtituti, etſi vellent, ſe nondum regendi multoque minus filios educandi potentes. Quomodo enim hi, quibus rationis & conſentiendi facultas nondum plena adeſt, validum præſtabunt conſenſum, quomodo ſeſe obligabunt ad id, quod ipſis omnino eſt impoſſibile; & quomodo admitti poterunt ad ſoboles educandas, quas contra finem matrimonii contra finem totius Religionis, contra ſalutem reipublicæ ex impotentia actiones dirigendi corpore animoque non deſtruere non poſſunt? de civiliter ſolum minorennibus & filiis familias concilium loquitur, quorum nuptiæ abſque conſenſu parentum valent, nec enim ut ait cl. de Mar-

Martini de lege naturali posit. 740. *bono societatis amplius sunt opposita*, *etsi officio interno repugnare aliquando possint*. Præterea in hac Tridentinæ synodi constitutione id adverte, quod tantum *parentes* matrimonia filiorum familias sine suo consensu contracta irritare sub anathemate prohibeantur; non item principes, qui nimirum uti demonstratum est, de necessitate & utilitate Reipublicæ matrimonia ejusmodi sine parentum consensu inita, aut quibusdam tantum civilibus destituere effectibus, aut ne in contractum ullo modo validum abeant, seu quod idem est, defectum consensus parentum tanquam impedimentum dirimens statuere ex naturali civitatis jure queunt. Quemadmodum non minus Ecclesiæ, obtutu Religionis & ad sacramenti valorem parentum consensum requirere erit quam liberrimum.

* Matrimonia liberorum absque parentum adsensu contracta fuisse irrita & Jure civili Romano & Jure canonico antiquiore patet ex l. 1. de R. N. Pr. & §. 12. Inst. de Nupt. Concil. Carthag. IV. Can. 11. Aurelian. de a. 641. c. 22. Turonens. d. a. 567. can. 20. caus. XXX. q. V. can. 1. XXXV. q. VI. v. 2. quos quidem a Gratiano relatos canones non existimes nil pro nobis probare, quia ex mercibus Isidori sunt. Enim vero nobis harum mercium probe gnaris & lubenter eas rejicientibus ad seculum octavum vel nonum, sufficit inde commonstrari posse, seculo adhuc octavo aut nono illam in matrimoniis liberorum disciplinam obtinuisse; adde cap. 3. qui matrim. accus. obtinuit idem etiam apud græcos uti testatur S. Basil. Ep. ad Amphil. can. 42. Photius in *Nomocan.* Tit. XIII. cap. 9. ap. Justell. in Bibliothec. Jur. can. Tom. II. Fol. 1112. nec non apud Germanos, uti legitur in capit. Caroli. M. L. VIII. Cap. 463. Concil. Colon. sec. XVI. paulo ante Conc. Trid. celebrato can. 43. apud Harduin. Tom. IX. Col. 204. Cl. de Riegger l. c. §. 47.

** Etiam Benedictus XIV. in constitut. *Satis vobis* de a. 1741. matrimonia liberorum sine parentum adsensu contracta compellat fontes plurimorum, & gravissimorum malorum, atque ad illa impedienda Episcopos enixe hortatur.

§. 356. Porro IV. etiam hunc contractum celebrari posse per *procuratorem*; tantummodo 1. is speciale mandatum ad certam personam habeat, 2. officium sibi commissum impleat ipse, & quidem 3. tam mandati limites quam leges Concilii Tridentini servando, ac denique 4. mandatum eo tempore, quo procurator nomine alterius contrahit, non sit revocatum (§. 345.) (*a*).

(*a*) Cap. fin. de procur. in 6. Sanchez de Matrim. Lib. II. disp. 11.

* Cum etiam tale Matrimonium, quod per procuratorem contractum est, rationem veri & legitimi contractus habeat, cur eidem denegari deberet ratio sacramenti, causa sufficiens esse nec mihi videtur. Conf. Wiestner ad Tit. de spons. n. 157.

§. 357. Neque V. Canones neque natura negotii quidem obstant; quo minus eidem contractui conditiones *possibiles* (*a*) adjiciantur. Qualis matrimonii conditionati is a sponsalibus de futuro differens erit effectus, ut id conditione eveniente absque ulteriore facto aut consensu purum & perfectum haberi, atque *dein* consummari queat (*b*). Verum ut ejusmodi matrimonia vix ac ne vix quidem admittantur dignitas sacramenti & multorum incommodorum periculum suadet (*c*).

(*a*) Intelliguntur conditiones proprie tales, seu in futurum tempus conceptæ. Enim vero constitutiones de præsenti aut de præterito consensum non suspendunt, atque vel illico perfectam vel statim, secuta licet carnali copula, matrimonium nullum reddunt. Cl. de Riegger l. c. §. 61.

(*b*) Scilicet Gonzalez ad cap. 5. de Condit. adpos. aliique arbitrantur, ejusmodi matrimonia tantum pro sponsalibus habenda esse cum sponsalia *promissionem futurarum nuptiarum* matrimonia vero *præsentem* supponant. Sed an non omnibus *sponsalibus de præsenti* ex dispositione ipsius juris hæc inest conditio, *si religionem non ingressus fuero*? Et an hoc, quod pars de assumendo religioso statu cogitans deliberare, & pars altera *eventum* expectare debeat, naturæ *sponsalium de præsenti* repugnat? Profecto etiam contractus emtionis venditionis præsentem requirit consensum, & tamen ex jure naturali ac civili noscimus, quomodo cum hoc consensu conditiones adpositæ subsistere queant, & quod propter eas *contractus emtionis venditionis* haudquaquam *pro pacto de emtione venditione celebranda* haberi debeat.

(*c*) Gobat in Theol. Experiment. Tract. IX. n. 138. & Tract. X. num. 451. Wiestner ad Tit. de condit. adp. num. 16.

§. 358. De conditionibus autem impossibilibus hoc sancitum est VI. ut matrimonii contractus careat effectu, si adjectæ sint conditiones ejusmodi, quæ vel generationi prolis, vel fidei conjugali, vel *indissolubilitati* consummati matrimonii divino præcepto statutæ, atque adeo substantiæ conjugii repugnant (*a*). Quod & de reliquis conditionibus *physice* vel *moraliter* impossibilibus dicendum foret (*b*), si non ex præsumtione Juris Ecclesiastici pro non adjectis haberentur (*c*), sed & hæc juris præsumtio, quæ probationem in contrarium non excludit, veritati cedere debet, si non ludendi, sed verum consensum denegandi causa ejusmodi conditio adposita fuisse demonstrari possit (*d*).

(*a*) Communiter dicuntur *conditiones bono prolis*, *bono fidei conjugalis & bono sacramenti contrariæ*, Caus. XXVII. q. 2. cap. 10. caus. XXXII. q. 2. cap. 6. atque exempla eorundem hæc sunt: *ducam te*, *ut evites prolis generationem — ut pro quæstu te adulterandam tradas*, — *donec invenerim meliorem*.

* Facile admitto matrimonia ea conditione, eoque modo inita, *ut proles in religione*, *cui unus tantum sponsorum addictus est*, *educentur*, vel *ut religionem*, *cui addicta est una pars contrahentium*, *etiam altera assumat*, nec substantiæ matrimonii, nec legibus civilibus, si per easdem religio illa quoad effectus civiles stabilita est, adversari. Verum ut parens liberos suos non tantum absque necessitate permittat, sed & pacto *sponte* inito tradat educandos in religione, de cujus falsitate convictus est, porro ut modum partem alteram ad ea, quæ *caro & sanguis non revelat*, *sed Pater qui in cælis est*, persuadendi, in oblatione matrimonii a parte altera exoptati reponat, contra hæc quatenus ad conscientiæ forum adtinet, jam scripsi in meo ord. Princip. Jur. Eccles. P. I. §. 61. n. a.

** Neque repugnant modi, quibus matrimonia *morganaticum*, *disparagium*, & *conscientiæ* ineuntur, quio minus eadem sint vera matrimonia, scilicet in *morganatico* quod & ad Morganaticam seu morgengabam matrimonii dicitur, pacto contrahentium; *in disparagio* seu matrimonio inæquali legibus civitatis uxor & liberi a dignitate atque bonis mariti & patris excluduntur; in matrimonio conscientiæ illi, qui cœlibes videri volunt, non quidem *Clandestine* (sine parocho & testibus) atque adeo in facie Ecclesiæ; attamen non in facie aliorum, sed *clam* contrahunt; de matrimonio morganatico vid. Caspar. Hornius in Jurispr. Feud. cap. VI. §. 1. seq. Pfeffinger in vitr. ill. T. 3. T. 16. in not. d. ad §. 100. t. 3. p. 1306. sequ. Grot. de I. B. & P. I. 2. c. 7. §. 8. Jo. Georg. Cramer de Jur. & prærog. Nobil. avit. cap. 4. §. 6. in not. y. Leyser Medit. ad Pand. l. XXIII. Tom. 1. med. 8. spec. 299. §. 2. Horn. l. c. Plura de his in jure Ecclesiastico patriæ dicemus.

(*b*) L. 31. ff. de O. & A.

(*c*) Cap. 1. & ult. de condit. adpos.

(*d*) Neque aliam fuisse mentem Pontificis in cit. cap. ult. monet cl. de Riegger l. c. §. 44. Conf. Van-Espen l. c. cap. IV. §. 18.

§. 359. Quæ matrimonio contrahendo obstant, ea noveris VII. aut in ipso divino seu naturali (*a*) sive positivo, jure (*b*) aut in jure humano seu Ecclesiastico sive civili (§. 105. n. i.), & quidem vel in scripto vel in non scripto (*c*) suos fontes habere; porro eorum alia matrimonium *illicitum*, alia omnino *invalidum* reddere, atque illa *impedimenta impedientia*, hæc *impedimenta dirimentia* nuncupari (*d*).

(*a*) Scilicet jam juxta naturale jus nulla sunt matrimonia contracta in errore essentiali, ex metu gravi & injusto, inducentia polyandriam, cum impotentia antecedente & perpetua &c.

(*b*) Ita jam divino positivo jure prohibitum est coniugem dimittere, & aliud inire matrimonium &c.

(*c*) Exemplo est matrimonium fidelis cum non baptizato initum.

(*d*) Neque impedimentis *impedientibus*, neque *dirimentibus* hæc nomina proprie tribui possent, si non id usus excusaret. Enim vero neque *dirimentia proprie* dirimunt *matrimonium*, cum ea nec quidem verum matrimonium contrahi sinant; neque impedientia *proprie* matrimonium impediant, cum matrimonium, quamvis illicite iisdem obstantibus contractum sit, tamen *sustineatur*.

§. 360. Et speciatim impedimenta impedientia, quæ hodie obtinent, (*a*) tibi memoriæ sublevandæ causa VIII. hisce exprimunt versiculis: *sacratum tempus* (*b*) *vetitum* (*c*) *sponsalia* (*d*) *votum* (*e*) *impediunt fieri*, *permittunt facta teneri*.

(*a*) Quæ

(*a*) Quæ omnia olim obtinuere partim venere ex crimine, & his versibus referuntur:

> Incestus, raptus sponsæ, mors conjugis, atque
> Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,
> Vel si pœniteat solemniter, aut monialem
> Accipiat; prohibent hæc conjugium sociandum.

partim absque crimine

> Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum
> Atque catechismus, sponsalia, jungito votum.

Et continentur in c. 1. 4. de eo, qui cogn. cons. can. 34. XXVII. q. 2. can. 5. XXX. q. 1. Cap. 2. de pœnit. & remiss. Can. 12. & fin. XXXII. q. 2. Can. 13. XXVII. q. 1. Cap. 5. de cogn. spir. Cap. 2. eod. in 6. Wiestner ad Tit. de Matr. contrah. contr. interd. Eccles. art. III.

* Quæ horum impedimentorum ex crimine nata erant, ejusmodi criminis reo omne prorsus matrimonium prohibebant. P. Boeckn. Lib. IV. Tit. VI. §. 1. & 2.

** Impedimentum catechismi consistebat in cognatione spirituali imperfecta, quam contrahebat is, qui loco infantis respondebat circa quæstiones fidei regulariter ante collationem solemnis Baptismi in foribus Ecclesiæ proponi solitas, cum hæc catechisatio initium quoddam spiritualis regenerationis haberetur. P. Boeckn l. c. & Tit. XL.

*** Id certum est; impedimentis illis antiquis impedientibus ex crimine & ex catechismo ortis hodie dispensationem nec peti, nec petendam urgeri, conf. Engel ad Tit. de Matr. contract. contr. interdictum §. 1. n. 12. Sanchez l. 7. disp. 10. n. 12.

(*b*) Veteres certis diebus, quæ aut orationi, aut pœnitentiæ destinatæ fuerant, & a nuptiarum celebratione & a conjugii usu abstinebant, caus. XXIII. q. 4. can. 1. & seq. Et solemnitatum quidem nuptialium prohibitio retenta can. 8. 10. ibid. cap. 4. de fer. attamen tempus hujus prohibitionis observandæ (quod tempus *clausum* appellatur) in diversis Ecclesiis diversum fuit. Hinc Concilium Tridentinum sessione XXIV. C. 10. de Reform. matr. AB ADVENTU DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI USQUE IN DIEM EPIPHANIÆ, & A FERIA QUARTA CINERUM USQUE IN OCTAVAM PASCHATIS INCLUSIVE ANTIQUAS SOLEMNIUM NUPTIARUM PROHIBITIONES *diligenter & ab omnibus observari præcepit*; unde patet a concilio tantum *antiquas* solemnium nuptiarum prohibitiones esse confirmatas, atque ideo tantum prohibitas solemnes nuptiarum Benedictiones, nuptialia convivia, illasque uxoris ad domum viri traductiones, non item contractum matrimonii simplicem; sed & hunc hic & illic intra hæc tempora, consuetudine prohibitum esse novimus. Fagnan. ad c. 4. de fer. Sanchez l. c. Disp. 71. Wiestner l. c. art. 2. n. 34.

(*c*) Potest nimirum ex justa causa v. g. lite circa matrimonium pendente legitimus Judex, imo si impedimentum opponatur, Parochus matrimonii celebrationem ad tempus saltem prohibere, c. 3. de clandest. despons.

* Etsi autem matrimonium hac tantum prohibitione obstante contractum, ceu validum tamen sustineatur, c. 1. 2. & 3. de matri. contract. contr. interd. cap. 4. de desp. duor. nihilominus pœnitentia contrahentibus est imponenda, Cap. 2 cit.

(*d*) Sponsalia sane priora posterioribus etiam juratis ita de jure naturali derogant, ut etiam hic accedentes non subsistant nuptiæ, conf. cl. de Martini I. de lege nat. Pos. 705. Attamen salvo naturali jure, quod ipsum, uti supra ostendimus, in subjectionis statu actionum nostrarum Rectoribus, sponsalia, num talia haberi debeant, determinanda reliquit, communi tam sacrorum, quam civilium Imperantium consensu id hactenus obtinuit, ut sponsalia impedimentum tantummodo impediens sint, non item dirimens, cap. 22. 31. de spons.

* De pœnis in bina sponsalia jure civili statutis jam supra (§. 347. n. 2.) dictum jus canonicum sese tantum ad imponendam pœnitentiam extendit in Cap. 1. 31. de spons. Quod quidem in cap. 2. de spons. duor. dicitur scilicet: qui sponsam alterius accepit in uxorem, eandem sibi in uxorem habere non posse, ac proinde dimittere debere, intelligendum est de *sponsa* alterius *de præsenti*.

(*e*) Iis, qui se voto castitatis obstrinxere, semper interdictum fuit matrimonium: Dist. XXVII. can. 2. 5. caus. XX. q. III. can. 1. caus. XXVII. q. 1. C. 12. 41: l. 5. cod. de Episc. & Cler. Quæ tamen ipsa loca id confirmant, quod jam insinuavimus supra (§. 335. n. f.) scilicet matrimonia contra votum castitatis contracta fuisse quidem illicita, non vero invalida. Innocentius II. in Concilio Rom. primus erat, qui matrimonium post professam continentiam attentatum declaravit irritum atque invalidum Caus. XXVII. q. 1. Can. 40. Atque hoc cum aliis canonibus conciliare volens Gratianus voto solemni, non item simplici matrimonium dirimi docuit in Dist. XXVII. eaque inter votum simplex & solemne differentia non tantum adoptata fuit a Pontificibus cap. 4. 5. 6. qui Cler. vel vov. sed etiam a Bonifacio VIII. declaratum: *illud solum votum debere dici solemne; quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemniza-*

tum fuerit PER SUSCEPTIONEM SACRI ORDINIS aut PER PROFESSIONEM EXPRESSAM VEL TACITAM FACTAM ALICUI DE RELIGIONIBUS PER SEDEM APOSTOLICAM ADPROBATIS, Cap. un. de vot. & vot. redemt. in VI.

* Expositis lucem affundunt S. Augustinus de Bon. viduit. c. 10. S. Bernardus de Præc. & dispens. Cap. 17. Pontius de matrim. l. 7. cap. 17.

** Votum itaque simplex v. g. religionis, castitatis, sacrorum ordinum, non nubendi, etsi matrimonium contractum non dirimat, voventem tamen semper obligat, quatenus observari potest absque præjudicio alterius conjugis, donec dispensatio obtineatur, aut implementum voti ipso matrimonio impossibile efficiatur, cl. de Riegger l. c. §. 99.

§. 361. Nec non in tenendis impedimentis dirimentibus juvabunt IX. memoriam versus, quibus illa vulgo referuntur, sequentes:

§. 362. Error, (*a*), conditio (*b*), votum (*c*), cognatio (*d*), Crimen (*e*).

(*a*) *Error substantialis* circa ipsam personam seu dans causam contractui seu *indicens*; non idem si sit accidentalis, seu circa qualitatem nisi 1. consensus qualitati alligaretur, 2. error qualitatis in errorem personæ ipsius redundaret, dum scilicet persona aliunde nota non est, quam ex certa qualitate in qua erratur. Ceterum non facile est præsumendum, quod contrahentes voluerint ab aliqua qualitate accidentali consensum dependere. Caus. XXIX. q. 1. can. un. S. Thomas in IV. sent. Dist. 30. q. 1. art. 2. ad 5. Reutlinger Magn. Matrim. Sacr. P. 2. sect. 2. Class. 1. §. 1. Van-Espen P. II. S. I. T. XIII. Cap. 4. §. 6.

(*b*) *Conditio servilis*, seu potius error circa conditionem servilem. Olim quidem non nisi per voluntatem Dominorum valida erant servorum matrimonia, etsi nullus error intervenirет. Id quod civile impedimentum observavit reverenter Ecclesia, uti patet ex Can. 3. XXIX. q. 2. Occasione demum Can. 1. XXIX. qu. 2. qui sub Nomine Julii Papæ refertur, & servorum matrimonia indissolubilia declarat, Gratianus inter eos, qui scienter, & eos, qui ignoranter cum servilis conditionis homine conjunguntur, distinctionem invenit. Quod circiter seculo XII. etiam communis juris esse cœpit. Cap. 1. Cap. 2. & fin. de conjug. serv. Verum nobis, qui Romanorum servitutes ignoramus, impedimenti hujus etiam ita sumti, usum exiguum esse facile pernoscitur. Atque dum conditione matrimonium vitiari auditur, sub conditione alio longe sensu sumta ejusmodi intelligitur matrimonio adjecta pactio, quæ, ut supra diximus, aut generationi aut fidei conjugali aut divinæ legi de matrimonio valido & consummato non dissolvendo adversatur.

* Ad dicta illustranda confertur Basil. Ep. ad Amphil. cap. 32. Cap. 6. Pipini de an. 752. & 5. de an. 757. apud Baluz. Col. 163. & 181. nec non addit. III. Cap. Reg. Franc. cap. 54. apud eundem Col. 1166.

(*c*) *Votum solemne* (§. 360. n. c.) Cap. un. de vot. in VI. synodus Trid. sess. XXIV. can. 9. Et quidem votum solemne in religione adprobata emissum non tantum matrimonio obstat contrahendo, sed etiam dirimit contractum, si id tantummodo ratum, atque nondum consummatum, sit (§. 334.) In quo differt a voto per ordinem sacrum solemni.

(*d*) De cognatione cumprimis notanda hæc sunt.

1. Cognatio est connexio personarum, quæ prouti oritur, *vel* quatenus a communi causa seu procuratore & stipite descendunt; *vel* ex collatione & susceptione sacramentorum baptismi & confirmationis; *vel* ex arrogatione; ita *carnalis*, seu consanguinitas, vel *spiritualis*, vel *legalis* audit.

2. In materia matrimoniali parum interest, sive consanguinitas ex legitimo sive non legitimo concubitu orta sit, l. 8. 14. §. 2. l. 54. de R. N.


3. Cum consanguinitas respiciat connexionem cum communi stipite, necessario distantia ab hoc per generationem facta, quæ gradus dicitur, illius fundamentum est.

4. Series personarum a communi stipite descendentium *linea* nuncupatur, atque abit in rectam & obliquam. *Recta* exhibet personas, quarum una alteram genuit, & si a genitis ad genitores numeretur, *ascendens*; si a genitoribus ad genitos procedatur *descendens* dicitur; *obliqua* seu *transversa* complectitur personas *collaterales*, quæ nimirum a communi quidem stipite descendunt, sed quarum una alteram non genuit; & inter quas illæ, quæ eandem a communi stipite distantiam habent, lineam *obliquam æqualem*; illæ vero quarum una stipiti propior est altera, lineam *obliquam inæqualem* faciunt.

5. Tota consanguineorum collectio *arbor consanguinitatis* adpellari consuevit; vid. Tab. 1. num. 1.

6. Facillimum est in linea recta computare gradus. Efficit enim unaquæque generatio unam inter duas personas distantiam, scilicet inter genitorem ac genitum; atque adeo in linea recta non esse non possunt *tot gradus*, *quot generationes*, seu cum in unaquaque generatione personæ duæ considerentur, *tot gradus*, *quot personæ una demta*.

7. Neque difficilius est intelligere naturalem gradus computandi normam pro linea obliqua. Etenim quæ alia ratio est, cur personæ in linea


ARBOR CONSANGUINITATIS
Ascendentes.
Collaterales.
Collaterales.
4. Abavus Abavia 4.
4. Propatruus Proamita 5.
3. Proavus Proavia 3.
4. Proavunculus Promatertera 5.
4. Horum Filius Filia 6.
3. Patruus magnus Amita magna 4.
2. Avus Avia 2.
3. Avunculus magnus Matertera magna 4.
4. Horum Filius Filia 6.
4. Eorundem Nepos Neptis 7.
3. Sobrinus Sobrina propior 5.
2. Patruus Amita 3.
1. Pater Mater
2. Avunculus Matertera 3.
3. Sobrinus Sobrina propior 5.
4. Eorundem Nepos Neptis 7.
4. Eorundem Pronepos Proneptis 8
3. Horum Filius Filia 6
2. Patruelis Amitina 4.
1. Frater 2.
Proteus
1. Soror 2.
2. Consobrinus Consobrina 4
3 Horum Filius Filia 6
4 Eorundem Pronepos Proneptis 8
4. Eorundem Nepos Neptis 7.
3. Horum Filius Filia 5.
2. Fratris Filius Filia 3.
1. Filius Filia 1
2. Sororis Filius Filia 3.
3. Horum Filius Filia 5.
4. Eorundem Nepos Neptis 7.
4. Eorundem Nepos Neptis 6.
3. Fratris Nepos Neptis 4.
2. Nepos Neptis 2.
3. Sororis Nepos Neptis 4.
4. Eorundem Nepos Neptis
4. Fratris Pronepos Proneptis 5.
3. Pronepos Proneptis 3.
4. Eorundem Pronepos Proneptis 5.
4. Abnepos Abneptis
Descendentes.



nea obliqua seu æquali sive inæquali *inter se sint connexæ*, quam hæc, quia *earum qualibet connexa est cum communi stipite*? Si itaque quæritur de cognatione personarum in linea *obliqua*, numera juxta regulam pro linea recta datam gradus, quibus *quisque*, si linea obliqua æqualis est, vel *remotior*, si linea obliqua inæqualis est, a communi stipite distat; & totidem gradibus, quot a communi stipite distat in linea obliqua æquali quisque, aut in linea obliqua inæquali remotior, hujusmodi personas etiam inter se distare noveris.

8. Jus civile quidem in linea obliqua non minus, ac in recta tantummodo respicit, quot sint personæ, de quarum cognatione quæritur, & una harum demta numerum graduum determinat. Quapropter etiam fratrem & sororem, quæ scilicet cum communi stipite *tres* sunt *personæ*, in *secundo gradu* distanter æstimat §. 2. Inst. de N.

9. Civilem hanc gradus computandi rationem Ecclesia prioribus seculis observavit adcuratissime; vid. S. Ambrosii Ep. 66. Conf. Cujac. ad cap. pen. de Consangu. Van-Espen in comment. ad Gratiani causam XXXIV. q. II. & III. nec non Boehmerus in J. E. P. ad Tit. de consang. §. 3. ubi demonstrat, eundem computandi modum in causis matrimonialibus etiam ab Ecclesia græca semper observatum & retentum fuisse. Neque obstat quod jam S. Gregorius M. duorum fratrum liberos in secundo gradu posuerit. Can. 2. §. 5. XXXV. q. V. & can. 20. eod. q. II. Enimvero Can. 1. & 2. XXXV. q. 5. demonstrat, a Gregorio fratres pro communi stipite assumtos, & hisce ita erronee assumtis ab eodem Pontifice, ceterum tamen computationem civilem institutam esse. Id quod non advertentes ii, qui postea Patrem pro communi stipite reassumpsere; a Gregorio versam computandi rationem introductam esse defenderunt. Atque eandem normam non tantum varia adoptavere concilia, veluti Compendiens. a. 756. can. 1. Wermeriens. a. 742. can. 1. Wormat. a. 868. can. 78. apud Harduin. Tom. 3. col. 2003. & tom. 5. col. 748. verum etiam Alexander II. generatim stabilivit, motus a Petro Damiano, contra omnes, qui restaurato in Italia juris civilis studio civilem quoque gradus computandi modum revocare conabantur, adeo insurgente, ut parum abfuerit, quin catalogum hæreticorum nova, quam incestuosorum dixere, hæresi auxerit, ut ait cl. de Riegger l. c. §. 121. adnotans miseram Philosophiam, quam Petrus Damianus in opusc. 8. de parentelæ gradibus oper. tom. 3. commonstravit, oppugnatam fuisse a Francisco Hottomanno de grad. consang. & aff. Quæ tamen ita tantum pro *æquali* linea obliqua stabiliebatur norma, ea subinde per interpretes ad inæqualem quoque extensa est, cap. fin. de consangu. eademque etiam hodie in matrimonialibus, & quæ ex illis descendunt criminalibus causis utimur. Lauterbach colleg. Pandect. ad Tit. de Q. N. §. 1. num. 9. & 12.

10. Prohibitiones nuptiarum in certis gradibus ab Ecclesia veteri ex legibus civilibus §. 1. 2. 4. 5. Instit. de Nupt. l. 53. ff. eod.) sumtas fuisse testatur S. Augustinus l. XV. cap. 16. de civit. Dei, qui scilicet ipse consobrinorum quidem nuptias minus honestas esse dicit, eas tamen licitas esse inde concludit, *quia id nec divina lex prohibuit*, *& nondum prohibuerat lex humana*. Quæ si componantur cum lege un. cod. *Theodos.* si nupt. ex rescript. pet. ubi inter consobrinos prohibentur nuptiæ, subinde denuo permissæ ab Arcadio & Honorio l. 19. cod. de nupt. & a Justiniano §. 4. Instit. de nupt. illico patet, quibus sint tribuenda decreta, quæ sub nominibus primorum Pontificum referuntur in C. 2. 3. 7. XXXV. q. 2.

11. Verum præsertim seculo VIII. & IX. deductis argumentis ex lege Mosaica Lev. XVIII. 6. 7. 10. XX. 12. 13. 17. Deut. XXVII. 22. &c. generatim prohibitum, ne quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, uxorem duceret. Can. 18. 20. XXXV. q. II. Concil. Rom. sub Gregorio II. can. 9. incassum contra has novitates declamante Rhab. Mauro apud Reginon. Lib. II. Disc. Eccles. Can. 200.

12. Ne tamen processus fieret in infinitum, subinde septimo gradu (computatione civili observata Caus. XXXV. q. II. Can. 2.) nuptiarum prohibitionem determinarunt propterea, quia hoc gradu successio cognatorum, quos jus civile exclusit, jure prætorio data terminatur. §. 5. Just. de success. cogn. Quemadmodum ex ICti Pauli Libro IV. sent. Titulus 2. quo septem illi cognationum gradus recensentur, una cum Aniani interpretatione in Caus. XXXV. q. V. can. 6. sub falso nomine. Isidori refertur. Capitularia Regum Francorum quoque nuptias inter consanguineos primum omnes prohibitas, deinde vero non minus ad septimum gradum restrictas exhibent apud Baluz. L. 5. cap. 166. col. 856. l. 6. cap. 107. col. 944. cap. 209. c. 327. col. 978. cap. 408. col. 2003. Demonstratum autem est pridem a Dupinio in Biblioth. auct. Eccles. Tom. V. pag. 131. & a Blondello in Pseudo Isidor. p. 668. sequ. illam Gregorii M. Epistolam apud Gratianum Caus. 35. qu. 5. can. 20. §. 1. ex qua colligunt, etiam ab hoc sancto prohibitionem nuptiarum ad gradum septimum extensam fuisse, esse spuriam atque confictam.

13. Seculo XI. recepta gradus computandi ratione, de qua num. 9. paulo ante diximus, impedimentum consanguinitatis ad decimum quartum gradum computationis civilis extensum est, cap. 1. de consang.

14. Denique Innocentius III. Author fuit hujus

hujus juris, quo hodie juxta computationem canonicam in linea obliqua æquali utimur; scilicet statuendo: *ut prohibitio copulæ conjugalis quartum consanguinitatis gradum de cætero non excedat*, cap. 8. de consang. ubi simul ejusdem constitutionis ratio datur hæc duplex 1. *quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari*, 2. *quia quatuor sunt humores in corpore, qui constat ex quatuor elementis*; quam additam ratiocem Strykio de jure sponsi cap. 2. n. 50. aliisque Protestantibus minus placentem defendit Gonzalez ad cit. cap.

15. *De inæquali*, rescripsit Gregorius IX. *Vir qui a stipite gradu quarto & mulier, quæ ex alio latere distat quinto, licite possunt matrimonialiter copulari*. cap. fin. de consang.

16. Origo cognationis spiritualis deprehenditur in l. 26. cod. de nupt. qua prohibetur, ne quis duceret uxorem, quam ex S. Lavacro suscepisset. Hæc prohibitio primum a synodo Trullana can. 53. eo extensa, ut etiam inter levantem levatique parentes observaretur; dein vero ad superstitionem usque ampliata, idemque intuitu confirmationis, postquam a Baptismo separari cœpit, inter confirmatum, & susceptores introductum. Tandem a concilio Trid. ob incommoda tot cognationum eædem ita restrictæ sunt, uti exhibetur per versiculos hos:

Baptizans, baptizatus, baptizatique parentes;
Levans, levatus, levatique parentes.

Sess. XX. c. 2. de Reform. matrim. Quo simul statutum est, ut etsi plures suscipiant baptizandum vel confirmandum, cognitionem contrahant tantum designati a Parentibus, designati autem atque universe patrini esse duo tantummodo queant. Atque igitur derogatum cap. 3. aliisque decretalibus sub Titulo de cogn. spirit. conf. Bingham orig. Eccles. vol. 4. l. 11. cap. 8. §. 2. Van-Espen in comment. ad can. 4. XXX. q. 1. Capitul. Reg. Franc. cap. 167. col. 856. l. 7. cap. 421. col. 1005. apud. Baluz. Sanchez l. c. Disp. 54. seq. Et notatu dignum est, quod Bonifacius in Epist. ad Notheim. Archiep. apud Baron. ad an. 734. num. 4. fassus est, nimirum; se intelligere non posse, *quare in uno loco spiritualis propinquitas in conjunctione carnali copulata grande peccatum sit, quando omnes in sacro baptismate Christi & Ecclesiæ filii & filiæ fratres & sorores esse comprobentur*. Cl. de Riegger l. c. §. 135.

17. Cognatio legalis secundum principia juris civilis intelligi debet. Atque adeo I. inutilis quæstio de *adoptione perfecta*, qua filii familias ab ascendentibus adoptantur, cum in ea simul cognatio carnalis adsit; nec II. adtendenda *adoptatio imperfecta*, qua filii familias adoptantur ab extraneo; eo tantum cum effectu, ut adoptanti succedere queant ab intestato, ac ceterum in potestate patris naturalis maneant. L. pen. cod. de adopt. Heineccius in instit. & Pand. ad Tit. de adopt. sed tantummodo III. consideranda hinc venit *arrogatio*; qua homo sui juris in patriam alterius potestatem redigitur, quæque honestatis causa primum a jure civili, dein etiam a canonico caus. XXX. qu. 3. can. 1. 5. 6. cap. un. de cogn. legal. inter impedimenta nuptiarum ita relata est, ut nuptiæ prohibitæ sint 1. quasi *in linea recta vi paternitatis civilis* inter adoptatum, & inter omnes personas, quæ per adoptionem liberorum & parentum loco sunt l. 17. l. 55. de R. N. & quidem omni modo etsi nempe capitis minutio subinde intervenirer, 2. quasi in linea obliqua ex fraternitate civili inter adoptatum & adoptantis liberos *quatenus capitis minutio non intervenit*. §. 1. & 2. inst. de nupt. l. 17. eod.

(e) Crimen adulterii pridem per l. 27. cod. ad l. Jul. de adult. & nov. 334. c. 12. complices spe nuptiarum excludebat, ad ipsissimam juris civilis normam a veteri Ecclesia diu attendebatur, c. 1. seq. XXXI. qu. 1. S. Augustini, l. 1. de nupt. & concup. c. 10. quem locum Gratianus in can. 2. observantibus Corr. Rom. & Cujacio perperam retulit. Fuerant quidem in Concilio Triburiensi a 895. propositi casus duo, quorum uno adulterium cum juramento futurarum nuptiarum; altero adulterium cum conjugicidio contigit, & pro quo utroque spes conjugii est adempta. Caus. XXX. qu. 1. can. 4. & 5. Idemque deprehenditur in cap. Reg. Franc. ceu in Pipini Capitul. 12. de an. 752. cap. 8. de an. 757. l. 5. cap. 12. apud Baluz. col. 146. 182. 829. Sed num quæso Gratianus inde concludere poterat, ergo tantummodo his casibus crimen adulterii dirimens matrimonii impedimentum esse? Conclusit tamen, veluti generatim ibat, non tam qua veteri Ecclesiæ disciplina spectata poterat, quam qua volebat, Caus. XXXI. q. 1. can. 3. summorumque Ecclesiæ Rectorum gressus ipse suo lubitu tam feliciter rexit, ut post Alexandri III. & subinde Innocentii III. constitutiones cap. 1. & 6. de eo qui duxit in matrimonium hodie

Adulterium solum, ut sit inter complices impedimentum dirimens, requirat, ut 1. sit ex utraque parte formale. 2. perfectum. 3. accesserit fides futurarum nuptiarum interposita. c. 2. 4. 7. 8. eod.

Conjugicidium solum, ut 1. mors conjugis inde sit secuta, 2. Conspiraverint in hanc necem,

cem, & 3. In futuras nuptias. cap. 6. eod. cap. 1. de converſ. infid.

Adulterium cum conjugicidio, ut 1. adulterium ex utraque parte formale & 2. perfectum fuerit. 3. pars altera harum inſidiarum ignorans fuerit, atque futurarum nuptiarum non accesserit promiſſio, cit. cap. 6.

§. 363. Cultus diſparitas (*a*) vis (*b*) Ordo (*c*) ligamen (*d*) honeſtas (*e*).

(*a*) Cultus diparitas non ita hoc loco intelligenda eſt, quaſi quicumque ſunt diverſæ Religionis, matrimonium inire non poſſent; ſed ſolummodo de iis, quorum unus baptiſmi ſacramento deſtituitur. Id quod impedimentum occaſione lib. 6. cod. de Judæis (qua Chriſtianorum cum Judæis conjugia damnantur) dein jure conſuetudinario generatim obtutu fidelium cum infidelibus matrimonia contrahentium fuerat introductum. can. 15. 16. 17. XXVII. qu. 1.

* Quod ſane huius impedimenti fundamentum in humana lege ſit quærendum, patet ex I. ad Cor. VII. v. 12. conſ. quoque Benedicti XIV. conſt. *ſingulari nobis* de a. 1749. §. 9. ib. Et quod Eccleſia vetus ante civilem prohibitionem ejuſmodi matrimonii contractum nequaquam judicaverit invalidum, etſi ob perverſionis periculum ſemper prohibuerit, patet ex Tertul. lib. 2. ad uxor. cap. 2. S. Auguſtini de conjug. adult. lib. 1. cap. 25. Synod. Eliberit. can. 15. cl. de Riegger l. c. §. 154.

** In concilio Sardic. can. 10. in Chalcedonenſi can. 14. in cauſ. XXVIII. q. 1. can. 16. & in c. 14. de hæret. in 6. improbantur quoque matrimonia catholicorum cum hæreticis. Et poterunt quidem ii, ad quos pertinet jus matrimoniis ponendi impedimenta, (§. 103. n. 1.) ob perverſionis periculum etiam matrimoniis catholicorum cum hæreticis dirimentia impedimenta ponere. Verum etiam ejuſdem juris exercitio hic & illic, aut leges fundamentales, aut colliſiones Rempublicam ipſamve Eccleſiam tangentes obſiſtere poterunt. Ceterum Epiſcopalis muneris erit denunciare populo pericula, quæ ex hujuſmodi matrimoniis imminent. Vid. Benedicti XIV. conſtit. 34. §. Tom. I. Ej. Bullarii nec non de Synod. Diæceſ. l. 4. cap. 5. & conſ. Van-Eſpen I. E. T. II. Tit. XIII. cap. 8. n. 9.

(*b*) Vis ſeu metus dirimit matrimonium, ſi ſit 1. gravis 2. injuſtus 3. conſenſus matrimonialis extorquendi cauſa incuſſus, quantumvis juramentum acceſſerit. c. 15. 17. 28. de ſponſ. cap. 2. de eo, qui duxit in matr. Neque poſt Concil. Trid. Seſſ. XXIV c. 1. de Reform. Matrim. matrimonium metu contractum, metu per cohabitationem licet purgato, convalidatur niſi iterum atque adeo adhibita rurſus ejuſdem Concilii forma celebretur. Adeoque jam non provocari poteſt ad cap. 21. de Sponſ. (§. 354. not. c.).

(*c*) Intelligitur *ordo ſacer* ſcilicet ob votum ſolemne eidem annexum, ita tamen, ut tantum obſtet matrimonio poſt ſuſceptum ordinem contrahendo, non idem (ceu profeſſio Religioſa) matrimonium dirimat contractum, etſi ſolummodo ratum ſit. (§. 362. n. c.) cap. un. de vot. inter Extrav. Joan. 22. l. 44. cod. de Epiſc. & cler. Novel. 6. C. 1. §. 7.

(*d*) Seu vinculum matrimonii rati aut conſummati; quod videlicet, quamdiu cum uno durat, cum altero matrimonium contrahi non ſinit, tam de jure divino poſitivo Matth. 19. 8. Trid. Seſſ. 24. can. 2. imo ſi de Polyandria ſermo eſt, etiam de jure divino naturali. Conſ. Cl. de Martini de Leg. Nat. poſit. 706. & ſeq. quam de jure humano, & civili l. c. Cod. de inceſt. nupt. & Canonico c. 2. 3. 4. de ſponſ. duor.

(*e*) Seu juſtitia honeſtatis publicæ, quæ etiam quaſi affinitas dicitur, & ut ſupra diximus ex conjunctione animorum, atque adeo ex ſponſalibus & matrimonio rato perſonarum connexionem inducit. Quod impedimentum pariter primum in jure civili & quidem l. 12. §. 1. de R. N. L. 14. §. fin. cod. l. 8. cod. de inceſt. nupt. §. 9. Inſt. de Nupt. fundatum deprehendimus, quamquam ibidem primum gradum non exceſſiſſe legatur. Gratianus C. 11. 14. 15. XXVII. qu. II. ib. in quantum ex matrimonio rato oritur, ad omnes conſanguineos ſine ulla limitatione porrectum nobis exhibet. Innocentii III. vero conſtitutione ad gradum quartum revocatum eſſe c. 8. de conſ. edocemur. Id etiam Bonifacius VIII. reſpectu ſponſaliorum ſtatuit, etſi invalida eſſent, modo pura fuerint & non ex defectu conſenſus nulla, cap. un. de ſponſ. in VI. Qua in re cum Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 3. de Reform. matr. nil aliud mutaſſet, quam ut 1. ſi ſponſalia quacumque ratione invalida ſint, id impedimentum nullatenus, 2. etiam ex validis ſponſalibus non ultra primum gradum oriatur; patet obtutu matrimonii rati antiquum manſiſſe jus, ac proinde ex matrimonio rato, etſi id invalidum fuerit, dummodo invaliditas non provenerit ex defectu conſenſus; ad quartum uſque gradum juſtitiam publicæ honeſtatis adhucdum operari. vid. Pii V. conſtit. *ad Romanum* a 1568. & conſ. Fagnanus. ad cap. 4. de ſponſ.

§. 364. ſi ſis affinis (*a*) ſi clandeſtinus (*b*) & impos (*c*).

(*a*) Af-

(*a*) Affinitas est necessitudo, quæ duobus copula carnali conjunctis, inter horum unum & alterius natura aut lege cognatos (proinde non inter ipsos utriusque conjuncti cognatos) oritur l. 4. §. 3. de grad. & affin. caus. XXXV. qu. 3. can. 3. cap. 5. de consangu. Atque considerato, quod affinitatis nulli proprie gradus esse queant, cum nullæ sint generationes (§. 362. n. d.) lib. 4. §. 5. l. 10. de grad. & affin. sed quod tantummodo ex legum positivarum mente cognati unius conjugis, ideo, quia huic cognatione sunt necessarii, fiant affinitate necessarii conjugi alteri: naturalis profecto hæc affinitatis graduum est determinatio, ut quoto gradu quis est consanguineus uni ex duobus carnali copula conjunctis, eodem gradu alteri sit affinis. cit. cap. 5. de consang. caus. XXXV. q. V. can. 3. consulatur arbor affinitatis in Tab. n. 2. Prohibitæ quonam affinitatis gradu sint nuptiæ, ut perspicue intelligas, distingue conjunctionem carnalem *licitam ab illicita*

* QUOAD LICITAM.

Respectu naturæ cognatorum;

Ecclesia civiles prohibitiones §. 6. 7. Instit. de nupt. l. 4. 5. & 9. cod. de incest. nupr. l. 14. §. 4. de R. N. l. 17. cod. eodem ad quartum, & dein ad septimum computationis canonicæ gradum extendit XXXV. q. 2. can. 1. 3. 4. 10. 12. 16. 17. donec Innocentius III. c. 1. 8. de consang. in linea obliqua quarto computationis Canonicæ gradu, ortas ex affinitate nuptiarum prohibitiones conclusit, & quidem attenta sola affinitatis specie ex primis nuptiis, non item

Ex secundis, quarum secundus maritus efficiebatur olim affinis cum consanguineis antecessoris mariti, & prohibitionem matrimonii cum harum aliqua post uxoris mortem contrahendi usque ad quartum gradum incurrebat.

Aut ex tertiis, vi quarum, si secundus maritus mortua uxore aliam duxerat, hæc etiam consanguineis primi illius mariti usque ad gradum secundum affinis habebatur. caus. XXXV. q. 3. can. S. & 22. Gloss. ad c. 8. de consanguin. Neque Concilium Trid. quoad affinitatem copula licita ortam ultra quartum gradum prohibitionem edixit.

Respectu lege cognatorum hanc autem habemus constitutionem l. 14. pr. & §. 1. de R. N. ut 1. inter uxorem arrogantis & arrogantem, 2. inter uxorem arrogantis & arrogatum oriatur affinitas, post emancipationem quoque duratura.

ILLICITÆ.

Duplex est Casus.

1. Duobus copula illicita conjunctis horum alter cum alterius cognatis jure decretalium ad quartum usque gradum cap. 8. de consangu. juxta constitutionem Tridentinam autem usque ad secundum inclusive matrimonium invalide contrahit, adeo, ut etiam sponsus, qui cum sponsa in primo vel secundo gradu consanguineis concumbit, ab hac ducenda affinitatis impedimento arceatur. cap. 8. de consangu. cap. 1. seq. de eo, qui cogn. consang. uxor. vel spons. Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 4. de Reform. matrim.

2. Si alter conjugum cum alterius adhuc viventis consanguineis commiscetur, ejusmodi conjuges ad perpetuam continentiam fovendam inducendos esse cap. 6. 9. 10. de eo, qui cogn. consang. edicitur. Ad hoc autem si pars innocens induci non posset, cap. 1. & 2. cod. partem nocentem conjugale quidem reddere debitum, non vero id petere, atque adeo connubium *claudicans* esse finit.

* Ex dictis patet ob affinitatem non intercedentem licitum esse, ut 1. Pater & Filius ducant matrem & filiam alterius familiæ, 2. duo fratres ducant duas sorores alterius familiæ & sororem uterinam fratris sui consanguinei quis ducat, 3. vitricus ducat uxorem privigni non obstante l. 13. ff. de R. N. 4. Filius vitrici ejusdem privignam. 5. viduus, qui mariti defuncti sororem in matrimonio habuerat, viduam relictam hujus mariti sibi jungat. cl. de Riegger l. c. §. 145.

** De gradibus lege mosaica prohibitis vide Lev. XVIII. v. 8. 14. 15. 16. 17. 14. XX. 14.

(*b*) Post Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 1. de Ref. matr. non tantum habemus solemnitates ad matrimonium perficiendum *accidentales*, *sed etiam essentiales*.

ACCIDENTALES SUNT

1. *Bonna Ecclesiastica*, quæ quodam modo jam tempore Tertulliani nota, (Tertul. de pudicit. cap. 4. cap. 27. de spons. cap. ult. matr. accus. poss.) quoad hodiernam denuntiationum formam vero primum in quibusdam Ecclesiis consuetudine introducta, subinde ad omnes Ecclesias sub Innocentio III. can. 3. de clandest. desp. extensa, & demum a Concil. Trid. Sess. XXIV. de Reform. matr. cap. 1. ita formata sunt, *ut antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho* (atque adeo si diversas habent parochias, in utriusque contrahentis parochia, & si plura domicilia in diversis parochiis, in ea, in qua verosimilius est

ARBOR ADFINITATIS.

Consanguinei Mariti Affines Vxoris

Consanguinei Vxoris Affines Mariti

4. Abavus Abavia

3. Proavus Proavia

2. Avus Avia

1. Pater Mater

Titius Maritus

4. Abnepotes Abneptes Mariti

3. Pronepotes Proneptes Mariti

2. Nepotes Neptes Mariti

1. Frater Soror Mariti

1. Filij Filiæ

2. Nepotes Neptes

3. Pronepotes Proneptes

4. Abnepotes Abneptes

4. Abavus Abavia

3. Proavus Proavia

2. Avus Avia

1. Pater Mater

Bertha Vxor

1. Frater Soror Vxoris

2. Nepotes Neptes Vxoris

3. Pronepotes Proneptes Vxoris

4. Abnepotes Abneptes Vxoris

1. Filij Filiæ

2. Nepotes Neptes

3. Pronepotes Proneptes

4. Abnepotes Abneptes

Consanguinei Mariti Affines Vxoris

Consanguinei Vxoris Affines Mariti



eſt ſciri poſſe impedimenta quorum detectionem Concilium pro fine habet) *tribus continuis feſtivis diebus* (proinde trina vice & per tria ejuſmodi intervalla, quæ ad aperienda impedimenta ſuppetunt) *in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia* (quod cum magni populi concurſum reſpiciat, ratio legis non obſtat, quo minus alio loco aut die fiat, modo magnus ſit populi concurſus; veluti: ſtatim ac concio ad populum habita eſt) *publice denuncietur, inter quas matrimonium ſit contrahendum*. Gonzalez ad cap. 3. de Clandeſt. deſp. nu. 7. Sed & hinc ipſius Parochi obligatio eſt, ut impedimenti alicujus extra confeſſionis ſigillum conſcius matrimonii celebrationem impediat, atque tam deſponſatos, ut impedimenta ſi quæ habent, fateantur, aut a matrimonio abſtineant, quam populum de impedimentis, ſi quæ ſciat, Eccleſiæ detegentis commoneat. cap. 7. de cogn. ſpir. Indulget tamen Concil. Trid. l. c. ut in caſu, *quo matrimonium malitioſe impediri poſſet, ſi tot præceſſerint denunciationes, vel una tantum denunciatio fiat, vel ſaltem parocho & duobus vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius conſummationem denunciationes in Eccleſia fiant, ut ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur*; aliaſve juſtas diſpenſationum cauſas relinquit prudentiæ & judicio *Ordinarii*, cujus nomine vicarium quoque generalem hic intelligi poſſe exiſtimat cl. de Riegger l. c. §. 56. provocans ad Gonzalez ad cap. fin. de Clandeſt. diſp. & Schmalzgrueber ad eund. Tit. n. 28. Non autem, ſi denunciationes abſque diſpenſatione negligantur, matrimonium redditur invalidum, quantumvis hæc quidem in pœnam tunc eſſent conſectaria, ut ut 1. emergente poſtea impedimenti hujus ignorantia, cujus tollendæ remedium contemtum eſt, ad legitimos prolis natales nil proſit. 2. Parochus per triennium ab officio ſuſpendatur, vel graviori etiam plectatur pœna. 3. Ipſi contrahentes condignæ ſe pœnitentiæ ſubmittant, cap. 3. §. 1. & fin. de clandeſt. Diſp.

* Benedictus XIV. in Epiſt. Encycl. *Etſi*. §. 11. de anno 1742. jubet denuntiationes denegari, *ſi parochus, ut debet, prius interrogando deprehenderit, marem, ſeu feminam, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, ignorare*.

** Conqueritur cl. de Riegger l c. §. 58. cum Van-Eſpen (Tom. 1. P. 2. S. 1. T. XII. cap. 3. §. 26.) *Epiſcopos nonnullos, tot etiam Eccleſiæ ſanctionibus obſtrictos, adeo faciles eſſe in remittendis proclamationibus, ut leges Eccleſiæ tantum pauperibus, & infirmæ quaſi plebi præſcriptæ videantur: imo quod pudet dicere, ſola nummi carentia ad obſervantiam legis conſtringere videatur*. Et ſane Benedictus XIV. in conſtit. *ſatis vobis* de an. 1741. matrimonia conſcientiæ (§. 358. n. n. a.) niſi ex urgentiſſima cauſa permittit.

2. *Benedictio ſacerdotalis*, quæ ipſa quidem antiquiſſima; & tantummodo ſecundum hodiernam formam recentior in Miſſa votiva & precibus per proprium Parochum vel alium, cui id a Parocho vel Ordinario conceſſum eſt, juxta Rituale & Miſſale Romanum pro Sponſo & Sponſa peragendis conſiſtit. vid. Concil. Carthag. IV. can. 13. apud Gratianum can. 5. XXX. q. 5. Novel. Leonis 89. Tertul. lib. 2. ad uxor. cap. 8. Capitul. Regum Franc. L. IV. cap. 130. 327. 408. col. 944. 978. 1003. L. VII. cap. 179. col. 1062. apud Baluz. Tom. II. Selden uxor. Hebr. l. 2. cap. 12. Trid. Seſſ. XXIV. cap. 1 de ref. matr.

3. *Alii ritus laudabiles* pro varia provinciarum & Eccleſiarum particularium conſuetudine, quas *omnino teneri S. Synodus vehementer* optat, cit. ſeſſ.

ESSENTIALES SUNT

Præſentia Parochi & teſtium, de qua breviter habeto:

1. Clandeſtina & privata matrimonia ſemper in Eccleſia fuiſſe prohibita; & ſicuti ad defendendum matrimonii *Sacramentum* præter Scripturam nobis certiſſimum eſt argumentum continua infallibilis noſtræ Eccleſiæ traditio; ita ab hujus fideliſſimis teſtibus ſeu SS. Patribus, dum iis de matrimonio ceu Sacramento ſermo eſt, nunquam non etiam ſolemnitatum eccleſiaſticarum fieri mentionem cap. 1. ſeq. XXX. q. 5. c. 2. 3. de Clandeſt. deſp. cap. Reg. Franc. L. IV. cap. 433. col. 945. L. VII. cap. 179. col. 162. apud Baluz. Tom. I. Quibus tamen non obſtantibus prohibitionibus ipſe matrimonii contractus non dirimebatur.

2. Concilio Tridentino ſtatutum eſſe. l. c. ut præter publicas denuntiationes, benedictionem ſacerdotalem, receptoſque alios ritus *Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto vel dicat: Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, vel aliis utatur verbis juxta receptum cujuſcumque provinciæ ritum*, adeo, ut *qui aliter quam præſente Parocho vel alio Sacerdote de ipſius Parochi ſeu Ordinarii licentia & duobus vel tribus teſtibus matrimonium contrabere attentabunt, eos S. Synodus ad ſic contrabendum omnino inbabiles reddat, & bujuſmodi contractus irritos & nullos eſſe* decernat.

3. Eſſe quidem hanc Eccleſiæ poteſtatem, ut omnes noſtras actiones, atque adeo etiam contractus, num divinis correſpondeant legibus, pro foro conſcientiæ & ſpirituali judicio diſcutiat; attamen propterea in matrimonium ceu contractum non etiam externum & civile eidem

dem competere judicium, imo ab eodem neque pro foro interno posse ejusmodi, quod Reipublicæ noceret, statuto impedimento dirimi matrimonium. Atque hinc intelligimus, cur in quibusdam provinciis hæc Concilii constitutio non publicata sit, atque non obliget, cur in nostra etiam Germania matrimonia Protestantium pro validis, indeque procreati liberi pro legitimis haberi debeant. cap. ult. qui filii sint legitimi. Art. V. §. 1. & 35. Pac. Westphal. Boeckn. de clandest. Desp. §. 2. Kugler cap. 4. quæst. 65. n. 894. Wiestner de spons. & matrim. n. 192.

* Hinc quidem non mirum est, quod in eadem urbe v. gr. Augustana, Ratisbonensi &c. in quibusdam parochiis hæc tridentina sanctio obliget, nequaquam vero in aliis, quæ vel anno decreti positi scilicet 1563. vel anno synodi confirmatæ nempe a 1564. religionem acatholicam sequebantur, & promulgationem ejusdem sanctionis non admittebant. Propterea tamen non validum foret matrimonium a transeuntibus per talia loca, aut studiose hunc in finem se eo conferentibus ibidem contra concilii formam contractum. Benedict. XIV. constit. *Cum venerabilis* de anno 1748.

** Pœnam contra Parochum ipsosve contrahentes hujus legis transgressores synodus arbitrio ordinarii relinquit.

*** Ex mente & verbis concilii Tridentini hæc sequuntur corollaria:

1. Si contrahentes diversarum parochiarum sint, sufficere præsentiam parochi alterutrius contrahentium, ut adeoque tantum honestatis causa potius mulieris, quam viri ratio habeatur.

2. Non vero sufficere parochum originis, sed requiri parochum *domicilii vel quasi domicilii*, ita tamen, ut si alteruter contrahentium plura habeat domicilia, sufficiat parochus domicilii, in quo nuptiæ ineuntur.

3. Vagabundorum nuptiis recte assistere parochum quemcumque, modo assistat intra suæ tantum parochiæ fines & observato præcepto Concilii Trid. sess. XXIV. cap. 7. de Reform.

4. Cum Concilium Tridentinum solummodo de contractis nuptiis certum esse velit, & in hunc finem nil aliud requirat, quam ut proprius contrahentium parochus assistat, patet nuptiis assistere etiam posse parochum suis parochianis in aliena parochia, imo assistere posse proprium parochum, etsi is excommunicatus, suspensus, aut interdictus sit, modo a Benedictione solemni abstineat. Sanchez L. III. Disp. 21. n. 28. P. Boeckn Tit. de clandest. Desp. n. 25. Cl. de Riegger l. c. §. 68.

5. Posse Parochum, atque adeo etiam Ordinarium loci, in quo contrahentes domicilium habent, alteri sacerdoti delegare facultatem assistendi. Et quidem valere matrimonium, quando licentia petita est ab ipso adsistente, aut ab alio quidem sed adsistente vel conscio vel saltem volente: etsi is ante notitiam hujus licentiæ receptam adstiterit, concludit Cl. de Riegger l. c. monens tamen, non sufficere licentiam mere præsumtam, cum ea, quæ ad valorem & formam substantialem alicujus actus requiruntur, jam dum adesse debeant, qua do actus geritur, ut adeo nec ratihabitio subsequens hunc defectum supplere queat.

6. Præsentiam parochi & testium non *successivam* sed *simultaneam*, nec *corporalem* duntaxat, sed & *moralem* esse debere; quapropter nec assistentia cæci sufficeret, utpote qui tam facile decipi posset, ac Isaac deceptus fuerat, atque igitur incapax foret Ecclesiæ de nuptiis inter determinatas personas contractis certum testimonium reddendi. vid. Van-Espen P. II. S. I. Tit. XII. c. 5. §. 25.

7. Parum autem referre, seu parochus & testes præsentes voluntarii seu inviti, vel plane reluctantes fuerint, neque hic ad qualitatem testium adtendi, modo intelligere possint, quid agatur.

3. Requisitorum vero solemnium defectum nec ignorantia nec particulari necessitate suppleri.

Conf. Benedict. XIV. de Synod. Dicec. Lib. XIII. Cap. 23. §. 1. sequ.

**** Jubet etiam Concil. Trident. cit. Sess. XXIV. quemvis parochum habere librum, in quo conjugum & testium nomina diemque & locum contracti matrimonii describat, & quem diligenter apud se custodiat.

***** Singulares cautelæ, quas pro matrimoniis conscientiæ, si gravis & urgentissima causa pro iis admittendis militet, Benedictus XIV. in constitutione paulo ante citata præscribit, sunt sequentes, ut

1. Minister matrimonii sit Parochus tantum alterius ex contrahentibus, & non alius sacerdos, nisi gravis causa id exigat, & porro ab ipso Episcopo electus sit.

2. Celebrato matrimonio indilate a parocho vel alio sacerdote, coram quo initum est, exhibeatur Episcopo illius scriptum documentum cum nota loci & temporis, testiumque, quod ad gestæ rei memoriam in libro distincto & pro matrimoniis secretis compacto transcribatur.

3. Procreata ex hujusmodi matrimonio prole, & in baptismo reticitis vel falso expressis nominibus parentum, ipsi teneantur episcopo susceptam prolem intra triginta dies denunciare, qui summa diligentia in librum baptizatorum distinctum a libro matrimoniorum rem omnem describi curet, quam denunciationem si parentes neglexerint, ejusmodi matrimonia publicentur. Denique

4. Per hanc constitutionem sublata non sint *validiora remedia*, *quæ huic malo* in dies in-

ingruenti consona dignoscet episcoporum prudentia.

(*c*) Equidem impotentia actum conjugalem exercendi ipso jure naturæ matrimonium dirimit. Ut autem hoc impedimentum adsit, 1. non sufficit sterilitas, (quamvis Jure civili justa repudii causa fuerit l. 60. de donat. int. vir. & ux.) nam defectus actualis liberorum procreationis non est impotentia actum conjugalem exercendi, atque conjuges medio ad finem societatis conjugalis tendendi non destituuntur præterquam quod & absoluta sterilitas vix probari possit, & actuali liberorum procreationi certo sæpe unica obsistat Numinis voluntas. Caus. XXXII. Q. VII. Can. 27. & fin. Ceterum connubia senum, etsi justa sint, nisi senectus impotentiam proprie sic dictam importet (l. 27. cod. de nupt. l. 12. Cod. de legit. Hered.) ut plurimum tamen parum honesta sunt. Alber. Gentil. de nupt. Lib. V. Cap. 3. 2. Impotentia esse debet *perpetua & immedicabilis*, Cap. 3. de frigid. sive ex defectu naturali, sive ex accidenti oriatur. Caus. XXXIII. Q. I. Can. 4. Enimvero si per naturalia media & absque mortis periculo tolli potest, utique finem matrimonii, quod non illico consumari oportet, ejusmodi intendere queunt. Excipe *naturaliter impuberes*, quorum matrimonia nulla esse, & jure naturæ ob impotentiam semetipsos regendi, & cæterum etiam expressis positivis constitutionibus, scilicet civili lege 9. de spons. & Canonibus cap. 9. & ult. de despons. impub. cap. un. §. 1. eod. in VI. edocemur. 3. Requiritur impotentia antecedens, siquidem semel validum matrimonium ob subsequentem dein defectum neque rite contractum esse cessat, neque ideo dissolvi potest, uti in caus. XXXII. Q. VII. Can. 25. 26. Cap. 14. de convers. conjug. ubi secus ac in caus. XXXII. Q. VII. Can. 18. & in l. 22. §. 7. Solut. Matr. statutum est. 3. ab impugnatore matrimonii hæc omnia sunt probanda, & quidem non ex sola confessione conjugum, sed ex inspectione oculari, quæ per medicos & obstetrices bonæ opinionis & peritiæ suscipiatur necesse est cap. 5. o. 7. de frigid. cap. 4. 24. de probat. capitul. Pipini de an. 752. cap. 17. ad Baluz. Col. 164. Quod si tamen discordantibus ipsis inspectoribus dubia videtur impotentia; 1. conjugibus cohabitatio per triennium a tempore contracti matrimonii computandum eum in finem injungitur, ut vires suas interim experiri queant, deinde 2. exigitur juramentum *cum septima manu propinquorum*, id est, juramentum septem propinquorum vel vicinorum bonæ famæ, qui de credulitate sua jurent, 3. accedente utriusque conjugis confessione utriusque etiam juramento omnis collusio præcavetur; negante autem reo de ejusdem impotentia tantummodo actor jurat caus. XXVII. Q. II. can. 29. caus. XXXIII. Q. I. c. 1. & Q. II. can. 2. cap. 1. 5. de frigid. L. 10. cod. de repud. ubi quidem cohabitatio ejusmodi conjugibus tantummodo per biennium injungitur, Nov. XXII. cap. 6. Atque hæc si concurrunt, & is, qui non est impotens & alter impotens etiam, si impotentia non *absoluta*, sed tantum *respectiva* sit, matrimonium aliud ineundi facultatem habet, atque hodie, etsi instar fratris & sororis cohabitare vellent, id vix admittetur, ut ipse Cl. de Riegger l. c. §. 107. fatetur, etsi id concedatur in c. 4. de frigid. Quid quod Sixtus V. hanc cohabitationem iis, qui cum scientia hujusmodi impedimenti contraxerunt, prohiberi jusserit, in constit. de an. 1587. Neque talis cohabitatio unquam verum efficeret matrimonium, utpote ad quod non tantum consensus in perpetuam cohabitationem & mutuum vitæ adjutorium, sed consensus in finem societatis conjugalis, seu procreationem & educationem sobolis desideratur, secus enim & cum voto castitatis annexo matrimonium contrahi posset. Quæ enim dispar intercedit ratio? Nonne castitatis votum consensui in matrimonii finem adversatur? sed an non æque impotentia eidem consensui est contraria? Profecto verus dici nequit consensus, qui fertur in impossibile, seu id lege, seu natura tale sit. Novi ipsum concubitum ad essentiam matrimonii non spectare; novi, si inhabilitas matrimonio contracto superveniat, id non dissolvi; verum etiam novi ad matrimonium vere & rite contrahendum antecedentem tamen consensum requiri in concubitum; novi aliam longe esse rationem matrimonii, quod ubi cum antecedente essentiali in concubitum consensu vere & rite contractum est, superveniente dein inhabilitate vere & rite contractum esse non cessat. Sanchez L. VII. Disp. 97.

* Etiam sententia ad matrimonium ob impotentiam dissolvendum lata esset, hæc tamen non ita abit in rem judicatam, ut deprehenso errore aut impotentia medio naturali sublata retractari, atque adeo matrimonium restaurari non deberet. Cap. 7. de sent. & re jud. cap. 6. de frigid.

** Quamquam & jus canonicum & civile pubertatem anno XIV. viri potentiam anno XII. completo definiat pr. inst. quib. mod. tut. fin. cap. 3. de despons. imp. in eo tamen hæc jura differunt, quod I. jus canonicum attendat, an *malitia suppleat ætatem*, cap. 9. eod. ac sustineat matrimonia eorum, qui non *naturalem* sed tantum *civilem* impubertatem habent. Cap. 2. 6. 10. 11. eod. II. quod jus civile matrimonia impuberum nec quidem in vim sponsalium valere sinat, l. 9. de spon. jus decretalium vero iisdem vim sponsalium præsumtorum tribuat. Cap. ult. de desp. impub. cap. un. §. 1. eod. in 6.

*** In decretalibus hæc materia tractatur

in Titulo de frigidis & maleficiatis & impotentibus coeundi, ubi sub *frigidis* intelliguntur, qui ex intrinseca causa; sub *maleficiatis*, qui ex maleficio, sub *impotentibus* denique, qui quacumque demum alia ex causa tales antecedenter & in perpetuum redditi sunt. In nulla tamen ex decretalibus a Raymundo in illo titulo relatis deprehenditur mentio inhabilitatis ex maleficio provenientis, quamquam Alexander III. in rescripto ad Arubian. Episc. (quod in cap. 2. ibid. mutilatum refertur) re vera mentionem fecerat. Gregorius XV. in Constit. *Omnipotentis* de a. 1623. pariter ejusmodi maleficii reorum non est oblitus, eosque puniendos statuit. Verum nos de magia & sortilegiis alio loco dicemus.

§. 365. Si mulier sit rapta loco, nec reddita tuto (*a*) hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

(*a*) Jure quidem civili raptus dirimens matrimonii impedimentum adeo absolutum & perpetuum declaratus est, ut inter raptorem & raptam etiam hac consentiente id contrahi non potuerit, l. un. Cod. de R. n. Capit. Reg. Franc. Lib. VII. cap. 395. Id, quod civiliter statutum impedimentum ex amussim tandiu observaverat Ecclesia Can. 11. XXXVI. q. 2. usque dum recepta fuerat illa cap. 6. & 7. de rapt. contenta restrictio, vi cujus *rapta puella legitime contrahet cum raptore, si prior dissensio transeat postmodum in consensum, & quod ante displicuit, tandem incipiat complacere*. Synodus tamen Tridentina Sess. XXIV. cap. 6. de reform. Matr. consensui puellæ in potestate raptoris constitutæ parum fidendum esse existimans, hanc inter jus antiquum & novum mediam tulit sententiam, *ut inter raptorem & raptam, quamdiu ista in potestate raptoris manserit, nullum, possit consistere matrimonium, atque adeo eam raptor in uxorem habere tunc demum queat, quando rapta a raptore separata & in loco tuto & libero constituta illum in virum habere consenserit*. Galli etiam raptum subornationis, sive seductionis, quo scilicet aliquis vel aliqua blanditiis & amatoriis incitamentis seducitur, ut consentiat, & insciis, aut etiam invitis parentibus matrimonii contrahendi causa recedat, si contingat circa minores in potestate patria constitutos, pro eodem impedimento habent. Et num fortassis propterea reprehendendi erunt, dum & L. un. Cod. de R.N. & antiquis Canonibus Can. 11. XXXVI. q. 2. imo ipsius Concilii Tridentini constitutioni, quæ nil de vi physica habet, & non materialiter, sed secundum Concilii mentem accipienda est, nec non sanæ se conformant rationi; quæ omnia in impedimento raptus raptum illum, qui & frequentior & periculosior est, non includi non posse, cuilibet sanioris doctrinæ studioso facile persuadent. Card. de Luca, Tom. III. de matrim. Dist. V. Hericourt. dans les loix Ecclesiastiques de France P. III. art. 2. §. 72. & 7.

§. 366. Manifestum vero est X. ex omnibus hisce allatis impedimentis jure humano tantum illa tolli posse, quæ humano jure sunt introducta; (*a*) & quidem dispensationes matrimoniales (*b*) hoc ipso, quia matrimonii impedimenta gravi de causa statuebantur, neque ex causa leviori, neque frequenter (*c*) concedendas esse (*d*).

(*a*) Cum leges hebraicæ mere forenses haudquaquam sint leges adhuc hodie obligantes (§. 6. n. d. 8. n. a.) nil obstat, quo minus in gradibus Levit. XVIII. prohibitis legislator humanus dispenset. Concil. Trid. sess. XXIV. can. 3. de sacr. matr.

(*b*) Si reflectas mentem ad principia superius demonstrata de potestate impedimenta matrimonii statuendi, in iisque dispensandi (§. 105. n. i.) nec non ad ea, quibus hactenus edocti sumus, veteres christianos, quantum matrimonii *contractum* concernit, sese legibus Imperatorum & Regum Francorum submisisse; non miraberis dispensationes matrimoniales a summis Principibus factas, quæ habentur in Tit. cod. de interd. Matr. intr. pup. & Tut. l. pen. cod. ibid. l. un. cod. Theodos. si nupt. ex rescr. pet. l. 29. cod. de nupt. l. 3. cod. Theodos. de incest. nupt. conf. Gottofried. ad l. 3. cit. & Cassiodor. L. VII. form. 46. ubi traduntur formulæ dispensationum, quas Gothorum Reges in impedimento consobrinorum facere.

* Neque difficile erit ex iisdem principiis respondere ad quæstionem, an Principes catholici subditis Augustanæ confessionis, & an Principes A. C. addicti subditis catholicis quoad matrimonium possint statuere leges, quæ nec juri divino adversæ sunt, nec religionem & jurisdictionem Ecclesiæ propriam tangunt, sed solum respiciunt civilem contractum, atque in legibus iisdem dispensare.

(*c*) Ante Innocentium III. dispensationes non tam *praviæ* ad contrahendum matrimonium, quam *posteriores* ad valorem matrimonio non legitime contracto indulgendum dabantur. Christ. Lupus Tom. IV. ad can. 11. Concil. Rhem.

Fleu-

Fleury hist. Eccles. Lib. LVII. n. 54. Tom. XII. & libr. LXXVI. n. 49. Tom. XVI. Van-Espen Tract. de disp. cap. IV. §. 2.

* Concilium Tridentinum sess. XXIV. cap. 5. & 25. Cap. 18. de Reform. Matr. statuit.

I.

De Matrimoniis cum impedimento contrahendis.

In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio; vel raro: idque ex causa, & gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes & ob publicam causam.

II.

De Matrimoniis cum impedimento dirimente jam contractis.

1. Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere praesumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendae careat, idque in eo multo magis locus habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit.

2. Quod si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur poenis: non enim dignus est, qui Ecclesiae benignitatem facile experiatur, cujus salubria praecepta temere contempsit.

3. Si vero solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis dispensari poterit.

** Causae dispensationum a curia Romana receptae referuntur a cl. de Riegger l. c. §. 187. sequentes:

1. Angustia loci, 2. incompetentia vel defectus dotis, 3. aetas oratricis vigesimum quartum annum excedens, 4. extinctio litis, & 5. compositio inimicitiarum, 6. habitatio inter haereticos, 7. confirmatio pacis, 8. spes conversionis ad religionem catholicam, 9. conversatio familiae vel bonorum in familia: 10. praerogativa dignitatis: 11. copula carnalis praecedens & propalata, 12. infamia mulieris ob suspectam conversationem cum oratore agnato. 13. Matrimonium cum ignorantia impedimenti bona fide in facie Ecclesiae contractum, aliaeque causae rationabiles, & cum primis, quae ad evitanda peccata & scandala conferunt.

*** Quemadmodum Van-Espen J. E. U. P. II. S. I. Tit. XIV. cap. I. ita etiam cl. de Riegger l. c. §. 188. hisce concludit verbis: hodiernam praxim seu potius abusum dispensationum Romanarum in legibus matrimonialibus nemo est, qui ignoret. Et quid mirum in tanta impedimentorum copia? Inutiles sane leges esse, & contemptibiles eas fieri necesse est, quae quotidianas dispensationes exposcunt. Civilis ergo imperii esse existimant, ut nonnulla impedimenta dirimentia aut aboleantur, aut restringantur, praesertim cum titulus sacramenti adeo favorabilis Romanae Curiae assensum potius expostulare videatur.

(*d*) De petitione & concessione dispensationum apud Doctores istae inveniuntur regulae:

1. In impedimentis dirimentibus solum Papam dispensare posse, atque igitur.

2. Tantum *impedimenta impedientia* Episcoporum Jurisdictioni subesse; exceptis duobus: *sponsalibus* scilicet & *voto*.

3. Reviviscere tamen auctoritatem Episcoporum I. in nuptiis cum impedimento dirimente contrahendis, si summa urgeat necessitas, II. in jam contractis, si matrimonium sit publicum, impedimentum occultum, & scandalum in separatione, nec ad Pontificem pateat aditus, III. denique si impedimentum matrimonio superveniat, nec dissolvat tamen, sed ejus usum tantum impediat.

4. Ex hodierno stylo curiae Romanae dispensationem in partibus, abolita *forma gratiosa* tribui *in forma commissoria* qua scilicet facultas dispensandi non nisi sub certis conditionibus & auctoritate Apostolica exercenda alteri committitur. Trid. sess. XXII. cap. 5. de ref. & quidem

5. In publicis impedimentis dispensationem pro utroque foro ex *Dataria* committi *Ordinario* aut ejus *Vicario Generali* seu *officiali* nunquam tamen utrique simul; neque exprimi nomina propria, ut sciatur, dispensandi facultatem dignitati & officio commissam esse, atque adeo transire ad successorem in officio, cui delegatio facta est, c. 14. de offic. & pot. jud. deleg. Van-Espen Tract. cit. cap. 4. §. 4. Pyrrhus Corrad. prax. disp. Lib. VII. & VIII. Wiestner ad Tit. de Matr. contr. interd. Eccles. art. VI. VII. VIII. Maschat. Instit. can. L. IV. Tract. de Disp. §. 3.

6. In casu autem matrimonii contracti cum impedimento ita occulto, ut nunquam revelandum timeatur, committi dispensationem ex *poenitentia* pro foro interno doctori Theologiae aut juris Canonici, qui confessarius adprobatus sit respectu oratorum, cum gratiam impertiri nequeat, nisi *excepta sacramentali confessione oratoris*, cujus effectus autem ad solum conscientiae forum restringitur; & ideo facta dispensatione literae mox lacerandae sunt, vel ad eum statum redigendae, ut nullam probationem facere possint. Wiestner loc. cit. art. IX. Van-Espen l. c. §. 17. Geraldi in Expos. Jur. Pontif. Tom. II. P. I. App. II. ad Lib. IV. ubi & refertur instructio a Benedicto XIV. data, quae

sit

fit praxis fervanda ad obtinendam a Pœnitentiaria facultatem matrimonium nulliter contractum convalidandi.

7. Obtenta dispensatione circa matrimonium cum impedimento dirimente contractum, quando quidem id tantum de facto sed nulliter contractum est, idem de novo esse contrahendum, & quidem dispensationes per Datariam hac adjecta cautione fieri, *ut matrimonium inter se de novo publice servata forma concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare & in eo postmodum remanere libere & licite valeant*, eamque cautionem omitti in pœnitentiaria tantum ideo, quod ea supponit impedimenta nunquam revelanda. Ceterum tamen utramque desponsatorum partem de prioris connubii nullitate advertendam esse. (§. 254.) Van-Espen J. E. U. P. II. Tit. XIV. cap. 5. Wieltner l. c. art. X.

* In pœnitentiaria quidem adhuc dispensationes *gratis* expediuntur. Verum relato superius decreto Concilii Tridentini contrariam esse praxim *Datariæ*, & in ea, nisi dispensatio concedatur in *forma pauperum* iis, quos Vicarius generalis Episcopi testatur solum ex labore manuum & industria vivere debere, & quorum paupertati simul prævius incestus aut ejus diffamatio conjuncta fuerit, ceterum *& solvendam esse taxam cancellariæ & insuper* COMPOSITIONEM *seu certam quantitatem pecuniæ officialibus curiæ exhibendam, eamque majorem vel minorem pro diversitate gradus, in quo dispensatur, aut opum, quibus pollet orator*, scribit cl. de Riegger l. c. §. 186. citans ibidem Pii V. constit. In omnibus 83. Bull. Rom. Van-Espen Tract. cit. §. 15. Wiestner l. c. art. VIII. n. 149. seq.

** Quæ novissime in Austriacis terris circa dispensationes matrimoniales statuta sunt, loco alio dicentur.

§. 367. Et quidem effectus matrimonii; quod ubi absque impedimento dirimente aut cum obtenta dispensatione contractum est, demum tale dici meretur, etiam respectu liberorum noscitur XI. is esse præcipuus, ut inde nati *legitimi* sint, (*a*) etsi matrimonium esset putativum, (*b*) & nati quoque ex parentibus, quorum matrimonium subsequebatur, legitimi habeantur (*c*).

(*a*) *Legitimi* scilicet sunt, qui nascuntur a parentibus juxta leges matrimonio junctis, & justo tempore. Id quod a nuptiis BREVISSIMUM est *initium septimi mensis* seu dimidius annus vel 128. dierum cum parte majore diei sequentis l. 12. de stat. hom. a Morte autem mariti LONGISSIMUM *decem mensium completorum* l. 3. §. 11. & ult. de suis & legit. hæred. Atque his probatis legitimorum natalium præsumtio non convellitur, etsi pater aut mater non tantum sobolem suam esse negaverit, sed id etiam adacta, vel jurejurando confirmaverit; imo etiamsi mater adultera fuerit, aut totius viciniæ fama eam nunciaverit concubinam, tantummodo ex absentia aut impotentia matrimonii contrarium non demonstrari possit, l. 6. de his, qui sui vel alien. jur. sunt, l. 11. §. 9. ad L. Jul. de adult. cap. 10. de probat. cap. 12. qui filii sint legit. Neque obstat cap. 3. cod. utpote quo agitur de filio, quem ex uxore natum esse nequidem constat. cl. de Riegger l. c. §. 193.

(*b*) Matrimonium *putativum* dicitur, quod contractum,

1. a personis quidem, quæ conjungi non possunt.

2. alterutrius bona fide (ex tempore conceptionis æstimanda) seu ex errore facti, imo etiam juris, præsertim si accesserit factum judicis,

3. Solemni Ecclesiæ ritu, & præmissis denuntiationibus.

Vid. cap. 8. 11. 13. 14. qui filii sint legit. c. 3. de Clandest. Desp. l. 11. in fine Cod. de nat. lib. l. 4. Cod. de incest. nupt.

* Sicuti autem errore comperto, vel probato impedimento bona fides cessat, ita etiam posthac matrimonium putativum ejusque effectus cessat, & parentes ob ulteriorem cohabitationem puniri jubet, l. 4. cod. de incest. nupt.

** Affirmatur quidem in cap. 10. qui filii sint leg. & in l. 57. §. 1. de R. N. bonam fidem per errorem juris liquidi omnino tolli. Verum interpretes non pauci & in *dubio* & ex *injusto* etiam errore contractum matrimonium in favorem liberorum *putativum* æstimant. Vid. Gonzalez, ad cap. 2. Qui filii sunt legit. num. 4.

(*c*) P. 5. 6. 7. 10. 11. Cod. de Nat. Lib. Novell. 12. 18. 74. 78. 89. 117. conf. Heinecc. Elem. Instit. ad Titul. de his, qui sui vel alien. in §. 155. seq. Ex quibus patet de jure civili hoc beneficium tantum adplicari potuisse *naturalibus*, qui ex conjunctione quidem licita, sed *minus legitima*, seu ex *concubina*, qualis apud Romanos erat, l. 3. §. 1. de concub. nati sunt, non vero aliis, qui ex coitu illicito descenderunt, veluti sunt: de nupt. §. 165. seq. dig. ad T. *spurii* ex stupro procreati, *nefarii* profecti ex copula in gradu lineæ rectæ, vel consanguinitatis, vel affinitatis; *incestuosi* nati ex aliis personis inter quas ob consanguinitatem vel affinitatem nuptiæ stare non po-

poterant; *adulterini* ex adulterio quæsiti; *sacrilegi* quorum unus vel uterque parens voto solemni obstrictus erat, l. 33. de statu homin. Nov. 89. cap. 1. sacril. cap. 4. de cleric. conjug. cap. 10. de renunc. Verum dum hodie exulat conjunctio extra matrimonium permissa, *sub naturalibus* jus canonicum intelligit suspectos ex vidua vel virgine, & generatim omnes, qui geniti sunt ante matrimonium deinde subsecutum eo ipso legitimari edicit, cap. 6. & 13. qui fil. sunt legitim. Conf. Boehmer J. E. P. ad Tit. qui fil. legit. §. 10. & 14. seq. Quapropter etiam matrimonium *putativum* imo *in articulo mortis contractum* sufficit, neque porro *naturalium* consensus est necessarius. Nov. 89. cap. 11. Nicol. Hertius in Comment. de matrimon. putat. §. 22. & 23. Tom. I. pag. 265. Cl. de Riegger l. c. §. 196. 197. 198.

* Etiam rigor juris civilis contra natos ex damnato coitu, (Authent. *Ex complexu*, cod. de incest. & inutilit.) recepto jure canonico ita temperatus fuit, ut parentes onus suos quoscumque demum liberos alendi habeant, cap. 5. de eo, qui dux. in matrim. imo etiam clerici beneficiati teneantur suis filiis illegitimis non minus ex bonis patrimonialibus, quam ex reditibus Ecclesiasticis *alimenta* præstare, Benedictus XIV. Synod. Diœcesan. Lib. XIII cap. 24. num. 21. Clariss. de Riegger loc. cit. §. 195.

§. 368. Quod tamen XII. legitimandi modos universe adtinet, horum plenissima doctrina ex jure civili haurienda est, (*a*) & tantummodo notandum, posse quidem legitimari aliquem rescripto Pontificis, imo etiam (quid enim obstaret) rescripto cujusvis Episcopi, scilicet si in aliis, profecto etiam hac in re æqualem potestatem habentis; sed legitimationem ejusmodi tanquam a potestate ecclesiastica profectam tantummodo in ecclesiasticis, non item civilibus suos habituram esse effectus. Quapropter etsi Pontifex *in radice matrimonii* ob impedimentum juris humani invalide contracti dispensaret, ejusmodi dispensatio, uti volunt, ne quidem indirecte ad civiles legitimaret effectus, qui scilicet nec quidem indirecte a potestate sacra, sed omnimode ab arbitrio civilis dependent (*b*).

(*a*) Tres exhibet jus civile legitimandi modos scilicet,

1. Per subsequens matrimonium, cujus author fuit *Constantinus*, ut concubinatum subverteret, (§. 367. n. c.).

2. Per oblationem curiæ, authore Theodosio Juniore, L. 3. 4. 9. cod. de nat. lib. cujus nullus hodie usus est.

3. Per rescriptum Principis, authore Justiniano, Novel. 89. Cap. 9. 10. arrogationem *naturalium*, l. 6. in fin. cod. de nat. lib. a Justino in l. 7. ibid. abolitam, imo in ipsa Novella 89. cap. 7. reprobatam, denuo resuscitante. Quam legitimationem dein jus canonicum ultra limites civilis juris, quod eam 1. tantummodo in subsidium, 2. a solo patre, 3. nullis aliis extantibus liberis, 4. pro naturalibus non autem spuriis aut ex alio prohibito coitu natis impetrandam admisit, ad omnes illegitime natos indistincte extendit, cap. 13. qui fil. sint legit. Cl. de Riegger, l. c. §. 200.

(*b*) Id nobis pridem notissimum erat corollarium profluens ex illa utriusque potestatis dictione, quam contra impetus multo fortiores, ac Innocentius III. in c. 13. qui fil. sint legit. adhibuit, & adversus quæcumque sophismata sufficientibus argumentis roboratam supra conspeximus (§. 91. - 100.).

* Oportebat etiam olim, dum conjunctiones quoque personarum servilis conditionis minus *legitimæ* erant, & contubernia dicebantur, l. 88. §. 12. de leg. II. attendere, an non quis natus sit ex matre, quæ vel tempore conceptionis, vel nativitatis, vel intermedio saltem per momentum *libera* fuerit, tum enim patrem servum fuisse nil impediebat, quo minus talis natus liber & ingenuus haberetur, pr. Instit. de ingen. quandoquidem extra legitimum matrimonium nati conditionem matris sequebantur, l. 19. de statu hom. Id quod etiam Jus Canonicum nuptias licet cum servis admittens retinuit, cap. unic. de nat. ex liber. ventr. imo universe res ex principio Isidori, in Can. fin. XXXII. Qu. IV. & ex odio inæqualium fœderum eo devenit, ut semper qui nascitur, deteriorem partem assumat, atque inde vulgata sit *paremia* juris Germanici *Infans pertinet ad pejorem manum*, Jus provinc. Allemanic. cap. 49. & 322. Boehmer ad Tit. de nat. ex lib. ventr. §. 2. & demum Fridericus I. hac in re principia Juris Romani constitutione anno 1158. edita secutus est apud Goldast. Tom. III. const. fol. 331. Verum hodie conditio liberorum potius ex patre quam ex matre spectatur, nisi quod in Germania ex impari conjugio nati non fruantur juribus perfectæ & avitæ nobilitatis, adeo ut matrem ignobilem habentes, & a jure patri in feudis equestribus succedendi excludantur, & ex ordinationibus torneamentorum, ex consuetudinibus Ecclesiarum cathedralium, ex statutis ordinum equestrium sacræ civilisve militiæ manum deteriorem sequi debeant. Cl. de Riegger l. c. §. 204.

§. 369.

§. 369. Id autem, quod in contractu matrimonii singulare est; notabis XIII. scilicet eundem non solvi, si semel valide contractus consummatusque fuerit, etsi adulterium intervenerit (*a*).

(*a*) Matth. XIX. v. 5. (§. 105. not. i.) Et quidem novimus illas generatim latas sanctiones, *quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam; & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur*. Marc. 10. v. 11. 12. OMNIS, *qui dimittit uxorem suam & alteram ducit, mœchatur; & qui dimissam a viro ducit, mœchatur*. Luc. XVI. v. 18. Quapropter etiam Apostolus, I. ad Cor. VII. v. 10. ait: *Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non d-scedere. Quod si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari*, leguntur quidem apud S. Matthæum cap. V. v. 32. & XIX. v. 9. *Omnis qui dimiserit uxorem suam*, EXCEPTA FORNICATIONIS CAUSA, *facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat —— dico vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam* NISI OB FORNICATIONEM *& aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur*. Verum Cornelius a Lapide provocat ad interpretationem SS. Patrum hæc verba Christi ita intelligentium, *ut quicumque uxorem dimiserit, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchetur tum dimittendo uxorem, tum aliam ducendo; hoc est bis mœchetur*, adeoque etsi non mœchetur is, qui uxorem dimittit *ob fornicationem*, mœcharetur tamen ille, qui uxore ob fornicationem a se quoad thorum & mensam dimissa aliam duceret. Cæterum ad Concil. Trid. sess. XXIV. canonem 7. de sacr. matrimonii hisce conceptum verbis: *si quis dixerit Ecclesiam errare cum docuit & docet juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi —— anathema sit*: juvat audire celebrem de re sacramentaria scriptorem Doctorem Sorbonicum, Ordinis Prædicatorum, Hiacinthum Drouvenium, qui ita disserit: *Quamquam Græci & Orientales culpabiles sunt, reveraque a Latinis sæpe fuerint reprehensi; non ideo tamen hæretici sunt dicendi, quia non eos Concilium Tridentinum anathemate ferit, sed Lutheranos & Calvinistas Romanæ Ecclesiæ calumniatores; rem ita narrat Cardinalis* PALLAVICINUS *in historia Concilii Tridentini: Canon,* INQUIT, *paratus fuerat cum anathemate in eum, qui diceret matrimonia consummata ob adulterium dissolvi; sed oratores Veneti exposuerunt Patribus, septimo canone, nisi moderatione aliqua reformaretur, inferri posse non modicam offensionem Orientis Ecclesiæ, præsertim vero Græcis, in subjectis Reipublicæ Venetorum locis degentibus, scilicet in Insulis Cretæ, Cypri, Corcyræ &c. non solum cum publicæ quietis sed etiam cum Catholicæ Ecclesiæ detrimento: tametsi enim Græca Ecclesia a Romana ex parte dissentires, non eo tamen desperationis deventum esse, ut meliora sperari non possint, præsertim cum Græci in subjectis Reipublicæ locis degentes, quamvis ritu suo viverent, tamen Præsulibus a Romano Pontifice assumptis obtemperarent: ea propter tum rerum convenientia tum oratorum numero se compelli, ne ipsi eos populos percuti finerent ejusmodi anathemate, quo ad tumultum & integram a sede Apostolica defectionem provocarentur: satis constare in more positum apud Græcos, ut uxorem adulteram deserant, & aliam ducant, veterrimam majorum consuetudinem, ut ipsi dicunt, secuti: nec idcirco illos damnatos, aut anathemate perculsos fuisse ab ulla synodo œcumenica, etiamsi Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ hujusmodi mos liquido innotuisset: existimare igitur oratores sui esse muneris, quam efficacissime possent postulare, ut voces canonis adeo moderate lenirentur, ne Græcis detrimentum inferrent — posse, quantum ipsi putabant, & obtineri, quod synodus intendebat, & Reipublicæ satisfieri, canone ejusmodi verbis conflato:* ANATHEMA SIT, SI QUIS DIXERIT, SACROSANCTAM ROMANAM CATHOLICAM & APOSTOLICAM ECCLESIAM, QUÆ MATER & MAGISTRA ALIARUM EST, ERRASSE AUT ERRARE CUM DOCUIT & DOCET, PROPTER ADULTERIUM ALTERIUS CONJUGUM MATRIMONIUM NON POSSE DISSOLVI. &c. *Cum itaque Patres Tridentini Venetorum postulationi acquieverint, & ad eorum sententiam canonem septimum reformarint; manifestum est hoc decreto non Græcos, sed Lutheranos & Calvinistas, qui Romanam Ecclesiam erroris & sævæ Tyrannidis accusabant, anathemate esse perculsos: qua de re si quis adhuc dubitat, adtendat ad morem a Concilii Tridentini temporibus ad hanc usque diem inviolabiliter observatum: in his enim provinciis ac Diœcesibus, ubi græci latinis permixti proprias Ecclesias habent, a latinis Episcopis, quibus subjiciuntur, contra antiquam, quam hactenus retinuerunt matrimonia propter adulterium dirimendi consuetudinem, nihil legimus ordinatum; tantumque synodicis constitutionibus cautum est, ne mariti auctoritate propria nullaque præmissa forma judicii uxores adul-*

terii

terii prætextu dimitterent, & novis deinceps uxoribus jungerentur: TAM FACILE DIRIMI INTER CONIUGES GRÆCOS MATRIMONIA, *inquiebat Cardinalis Montaltius, Montis-Regalis in Sicilia Archiepiscopus, in synodo provinciali anno* 1652. *habita*, APPROBARI NULLO MODO DEBEMUS; IDEOQUE HUCUSQUE FACTAS SEPARATIONES QUOAD VINCULUM, EXTRA JUDICIALITER & AUCTORITATE PROPRIA, NULLAS FUISSE ATQUE IRRITAS DECLARAMUS Lib. IX. q. 4. cap. 1. §. 2. sub finem in Edit. Venet. 1756. pag. 451. Idem auctor eodem in loco, postquam Synod. Arelat. I. can. 10. Lactantii divin. Instit. Lib. VI. cap. 23. Concilii Venetici a 465. can. 2. vetus pœnitentiale Romanum. capit. Caroli M. L. V. cap. 19. Basilii Epist. I. canonic. ad Amphilochium cap. 9. tanquam *obstantia* adduxit, subjungit: *fateor laudata testimonia, & ejusdem sensus alia, quæ afferri poterant, contrariæ sententiæ magis favere quam nostræ: me haud equidem latet, quosdam esse Theologos, in conciliandis & explicandis patribus tam miræ sagacitatis, ut putent Lactantium, Basilium, & cæteros, ad communem Ecclesiæ doctrinam absque ullo negotio revocari, ponendo nimirum, eos esse locutos non de licentia, quam Evangelium faciat, sed quam leges civiles concesserint: verum, ut libere dicam quod sentio, hoc mihi non operosum tantum, sed & impossibile prorsus videtur quod ultro concessurum confido, quisquis verba Lactantii & aliorum attentius pensitaverit. Dico itaque cum Cardinale* BELLARMINO, NATALI ALEXANDRO, *& aliis magni nominis Theologis, in obscurissima quæstione, quæ tunc temporis non erat liquido disceptata, nec ab aliquo generali concilio explicata, veteres, qui opponuntur scriptores, cum aliqua excusatione errasse*. Hinc etiam deprehenduntur in caus. XXXII. Quæst. VII. Canones, 1. 2. 3. 4. 6. 7. 8. 10. 22. discrepantes cum can. 17. 19. 23. 24. quos Gratianus non recte omnes conciliat. conf. Van-Espen in comment. in II. Part. Grat. Tom. III. Edit. Lovan. de a 1753. pag. 638. & seq. ubi additur in Nota: *Notandum tamen est quod indissolubilitas matrimonii in casu adulterii tamquam de fide non fuerit definita quippe in canone, quem sess.* 24. *condidit Tridentinum concilium, id unum docuit* DE FIDE ESSE ECCLESIAM NON ERRARE, CUM JUXTA EVANGELICAM VERITATEM DOCET MATRIMONII VINCULUM PROPTER ADULTERIUM DISSOLVI NON POSSE. *Porro aliud est, definire de fide esse Ecclesiam non errare, cum docet vinculum matrimonii non posse dissolvi; aliud vero definire de fide esse vinculum matrimonii solvi non posse*. Idem notat celeber. Engelbertus Klupfelius ord. S. August. Eremit. S. S. Theol. D. & Prof. Friburgensis in eleganti dissertatione, quam inscripsit: *Tertulliani mens de indissolubilitate Matrimonii infidelium altero converso*, & quidem hisce verbis: *manifestum est, dogmatibus fidei communem latinorum sententiam adnumerari necdum posse* §. 3.

* Hinc nostro Ecclesiastico Jure reprobantur etiam aliæ causæ, ex quibus matrimonia dissolvunt Protestantes, scilicet ad aliud conjugium permittentes transitum, si conjux alter alterius vitæ insidias struxerit, si concubitum pertinaciter recuset, si eum malitiose deseruerit, si perpetuo carceri sit mancipatus, si sterilitatem aut abortum procuraverit &c. uti ob hæc laudatus Klupfelius l. c. perstringit Boehmerum Jur. Eccles. Tit. de divort. §. 26. Theod. Bezam de repud. & divort. Jo. Laur. Mosheim comment. de divort. Jenæ 1757. Henr. Brouver. de jure connubiorum L. II. Delphis 1714. Frid. Spanheim dub. Evang. P. III. pag. 887. Genevæ 1639.

§. 370. Imo noveris XIV. nostram quidem etiam hanc esse sententiam: *matrimonium in infidelitate contractum per Professionem Religionis christiana alterius conjugum haud solvi* (*a*).

(*a*) Qui de hac sententia inter se decertant, in tres diversas abeunt partes.

Prima est eorum, qui eo progrediuntur, ut asserant, mox cessare matrimonium, ubi unus conjugum altero inter infideles permanente baptismatis sacramentum suscepit. Verum rectissime contra hos pronunciatum fuit a synodo Meldensi can. 1. *Crimina in baptismo solvuntur, non conjugia*, apud Grat. Caus. XXVIII. Q. II. can. 1. atque etiam ab Innocentio III. in cap. 8. de divortiis repetitum. Enimvero matrimonia infidelium (quos scilicet tempore contractus nulla adhuc impedimenta humani juris tangebant, juxta illud: *quid mihi cum iis, qui foris sunt*): tanto minus poterunt dici sola alterutrius conjugum conversione dirimi, quanto clariora sunt hæc Apostoli verba: *si quis frater uxorem habet infidelem & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum, sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem*: Hinc etiam Benedictus XIV. constit. *Apostolici Ministerii* edita die XIV. Sept. 1747. pro-

proscripsit abusum, quo nonnulli existimabant licere, ut Judæus ad fidem christianam conversus uxori in pristina infidelitate persistenti libellum repudii mittat, & hac ratione eidem det libertatem ad alia vota transeundi, consf. cit. dissert. Engelberti Klupfelii *Tertulliani mens* de indissolub. matrimonii §. 29.

Altera pars eorum est, qui defendunt, sola quidem unius infidelium conjugum conversione matrimonium non solvi; attamen, si alter inter infideles permanens converso vel prorsus non, vel non sine injuria creatoris veræque religionis blasphemia velit cohabitare, ex hac causa matrimonium dissolvi posse, cum & Apostolus loco citato porro dicat: *Quod si infidelis discedit*, DISCEDAT: *non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi: in pace autem vocavit nos Deus*: atque illud *discedat* non tantum quoad thorum & mensam, sed & quoad vinculum intelligi debere, cum Apostolus distinguat matrimonia fidelium a matrimoniis infidelium, & de illis scribat: *iis qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit*, MANERE INNUPTAM, *aut viro suo reconciliari & vir uxorem non dimittat* — de his vero subjiciat: *discedat*, NON ENIM SERVITUTI SUBJECTUS *est frater aut soror in hujusmodi*. Cui sententiæ etiam adstipulatur Innocentius III. in cap. 7. & 8. de divort. absque dubio motus caus. XXVIII. q. II. can. 2. ejus tamen non S. Gregorius, sed Hilarius diaconus author est, (Cl. de Riegger l. c. §. 217.) nec non adstipulatur Benedictus XIV. in Synod. Diœces. L. VI. cap. IV. n. 3. solummodo monens, infidelem de hac interpellandum, aut si interpellari non potest, dispensationem summi Pontificis necessariam esse, vid. Ej. Constit. 3. Bullarii Tom. I. Et ita quoque sentit Drouvenius. L. IX. l. c. §. 3. pag. 452.

Tertia denique pars illorum est, qui illud *discedat* de separatione quoad thorum & mensam non autem quoad vinculum sumi debere docent. Hoc ait laudatus Klupfelius *propugnant* Episcopi & Theologi Galliarum, *qui an. 1757. cum Judæus nomine Levi ad fidem Christi adductus novas inire nuptias peteret, vivente quam in Judaismo duxerat, uxore, statuerunt ad conjugium aliud permitti non posse transitum, quamdiu vixerit uxor in Judaismo ducta; eademque occasione Parisiis prodiit dissertatio, qua evincitur S. Paulum I. Cor. VII. 12. 13. nequaquam tradere, ob favorem religionis christianæ dissolvi ulla ratione connubia posse. Editi idcirco pariter fuerunt an. 1763. S. Augustini duo libri de adult. conjug. latine & gallice dicati Illustrissimo Suessionensi præsuli Fitziamesio. Quemadmodum testatur Dinovartus in novissima editione methodi Stud. Theol. a Dupinio gallice conscriptæ ad calcem Catal. Auctor. de matr. Gallorum sententiam secutus est Augustinus Gervasio Augustinianus L. V. de Matr. Cap. V. pag. 855. eandemque doctrinam adoptavit Paulus Josephus Rieggerius Jurispr. Eccles. Part. IV. pag. 134. Vindob.* 1774. Vere secutus hanc sententiam Riegger, præferens causæ XXVIII. Q. II. Canonem 1. illi spurio ibid. C. 2.; & deliberate secutus, utpote hæc porro subjungens verba: *neque me in hujus* (Gervasio) *sententiam ivisse pœnitet*. Et multa sane eruditione demonstrat laudatus Klupfelius mentem Tertulliani veterumque Christianorum abhorruisse a nuptiis *discedenti infideli* cum alio celebrandis: Provocat scilicet ad authoritatem Tertulliani (Edit. Paris. a. 1675. post Rigaltianam a le Prieur) L. II. ad uxor. num. 2. pag. 167. n. 3. p. 168. num. 7. pag. 170. Lib. de Monog. num. XI. Cap. VII. ubi Tertullianus sententiam suam firmat ulterioribus Pauli hisce verbis *alligatus es uxori? noli quærere solutionem*; & pag. 530. ubi in verba: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: ita commentatur: *solus enim ille separabit, qui & conjunxit; separabit autem non per duritiam repudii, quam exprobrat, & compescit; sed per debitum mortis*, nec non num. XIII. Improbat dein recte sententiam, *nec ei servanda fides conjugii, qui Deo fidelis esse recusat* (Drouven. Tom. II. de re sacr. pag. 453.) quandoquidem ex hoc axiomate sequeretur, etiam universe inter fideles uno conjugum in hæresim aut infidelitatem incidente alterum ad novas nuptias transire posse. Id quod tamen canone 5. Sess. XXV. Concil. Trid. damnatum est. Advertit, tam sollicite quam acute in verbis Pauli Apostoli *quod si infidelis discedit, discedat* comprehendi duntaxat desertionem, non blasphemias in Christum ejusque sanctissimam religionem, quæ alioqui nullum fidelem conjugem patienter ejusmodi sustinentem, & gratia divina adjutum ex mente Tertulliani turbabunt; atque verbo *discedat* nondum designari separationem a vinculo matrimonii, sed tantum *quoad thorum & mensam*, imo *discedat* pertinere ad infidelem discedentem, & id non esse adprobantis, sed potius improbantis ac detestantis; nempe si discedit infidelis, *discedat sua culpa, suo periculo; ac propterea remanens fidelis non cogatur cum in ejusmodi casu non sit subjectus servituti discedentem sequendi, ejusque cohabitationem religioni præferendi*; quemadmodum in eadem Epist. Pauli vers. 10. & 11. χωρισθῇ *discesserit* non solutionem vinculi connubialis, significat; porro urget adversarios ipsissimis Apostoli verbis, IIS QUI MATRIMONIO JUNCTI SUNT, *præcipio non ego, sed* DOMINUS, uxo-

uxorem a viro non discedere: QUOD SI DISCESSERIT MANERE INNUPTAM, *aut viro suo reconciliari*. Quae verba nimirum concordant cum illis a Salvatore intuitu omnium conjugatorum prolatis. OMNIS *qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui* DIMISSAM A VIRO DUCIT, MŒCHATUR. Lucæ XVI. 18. & quibus, ait, dein contradixisset Apostolus, si dum Christus docuit, omnem dimissam debere manere innuptam, saltem *alicui* dimissæ dissolutionem quoad vinculum concessisset; ut igitur dici debeat Apostolum, qui in præmissis suis verbis ad Christi doctrinam solicite respexit, & inde etiam cum conjuge infideli, si is consentiat cohabitare, remanendi obligationem ipse derivavit, tantummodo de libertate differentem non sequendi: non de libertate matrimonium aliud ineundi suam sententiam dicere voluisse; tanto magis ac etiam in subsequentibus generaliter pronunciat: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est*: cui vult, *nubat*, atque ita hoc loco; necnon ad Rom. Cap. VII. 2. 3. casum indigitat, quo solo nubere licet. In cujus interpretationis firmationem subjungit verba Chrysostomi: *Quando igitur vir ejicere vult uxorem, & uxor relinquere virum, hujus memor sit dicti, & Paulum putet esse præsentem, & persequi se clamando & dicendo: mulier adstricta est legi; nam quemadmodum servi fugitivi, etiamsi domum herilem relinquant, catenam secum trahunt attrahentem. Ita & mulieres etiamsi viros relinquant, legem habent pro catena se persequentem & adulterii accusantem ac dicentem: adhuc superest maritus & adulterium facimus, hoc est: Mulier enim adstricta est legi, quoad vixerit maritus illius. Et omnis, qui dimissam in uxorem acceperit, adulter fit. Quando igitur licebit illi secundas nuptias contrahere? Quando? Tunc, ubi a catena liberata fuerit, quando vir morietur solum*. Commonstrat Apostolum non commisisse tautologiam, etsi tam versus 10. & 11. quam versus 12. & 15. solummodo de separatione quoad thorum & mensam sunt intelligendi; quoniam explanata in versu 10. & 11. doctrina, quam Salvator de indissolubilitate conjugii servandam tradidit, eandem quoque ad conjugia infidelium quidem pertinere, sed tamen ceterum, si discesserit infidelis, ut redeat multis agendum non esse Corinthiis de hoc dubitantibus in subsequente utroque versu exposuit. Et relata ex Tertulliani L. I. ad uxor. sententia *Christum separandis matrimoniis & delendis conjunctionibus non advenisse* pergit laudatus vir: *Legant, relegantque codicis evangelici paginas — — & proferant, si possunt vel unum probatæ fidei scriptorem, qui offerat Christum indulsisse, ut ex speciali in favorem Christianæ Religionis privilegio dirimi posset matrimonium neophyti christiani, si conjux infidelis vel cohabitari recuset, vel non sine conditoris injuria aut perversionis metu cohabitare velit*. Imo inde non favorem, sed detrimentum rei christianæ & odium in animis gentilium nasciturum fore, ait, si prætextu fidei christianæ permissa essent divortia, & ita apud multos nesciretur, an ad sanctissimam religionem sincero confictoque animo, an vero uxoris suæ lippæ egenæve loco venustiorem ditioremve accipiendi causa fuerint conversi; atque hinc etiam tale exemplum in tota antiquitate christiana non reperiri, nec ab Ethnicis, quorum plerisque divortium & repudium probrosum videbatur, quamvis toties falsa crimina christianis objecerint, ejusmodi divortia unquam objecta fuisse, sed ipsos potius uti videri potest, in *Tertulliani Apologetico adversus gentes*, a christianis propterea fuisse reprehensos. Denique qui hanc sententiam incusant, quasi vero ex suavi jugo Christi durum atque inhumanum redderet, ex iis quærit cum Augustino Lib. II. de adult. conjug. num. IX. censeantne *admittenda incontinentium murmura & permittenda adulteria?* aut num fortasse & propterea lex Christi dura dicenda sit, quod conjuge uno in furorem aliumve morbum non sanandum delapso, aut in carcerem perpetuum abrepto, patriave pulso ad alias nuptias transire non licet, quamvis libidinosi, etiam in matrimonio rato, difficultatem sese continendi persentiant.

* Erudite advertit laudatus scriptor, primum qui apud Romanos dimissa uxore alteram duxit, fuisse SP. CARBILIUM, rem ita enarrante Aulo Gellio: *Memoriæ proditum est, quingentis fere annis post Romam conditam, nullas rei uxoriæ, neque actiones, neque cautiones, in urbe Roma, aut in Latio fuisse; quia profecto nihil desiderabatur, nullis etiam tunc a matrimoniis divertentibus*. SER. *quoque* SULPITIUS *in libro, quem composuit de dotibus, tum primum cautiones rei uxoriæ necessarias esse visas scripsit, cum* SP. CARBILIUS, *cui* RUGA *cognomentum fuit, vir nobilis divortium cum uxore fecit: quia liberi ex ea corporis vitio non gignerentur Anno Urbis conditæ DXXIII.* M. ATTILIO, P. VALERIO *Consulibus ..... Pellicem autem appellatam, probrosamque habitam eam, quæ juncta consuetaque esset cum eo* LIB. IV. *Noctium Atticarum, cap. III.* MATURIUS APUD ISRAELITAS INVALUISSE DIVORTIA, DOCENT SPENCERUS *Lib. III. de legibus Hebræorum Ritualibus, Diss. I.* Sect. III. SELDENUS *Lib. III. de uxore hebræa, c. XXII.*

De controversia, num libello repudii, quem

Christus abrogavit, etiam vinculum matrimonii diremtum fuerit, quod cum S. Augustino negant alii, alii tamen affirmant, conf. Jo. Laur. Bertius Tom. IV. de Disc. Theol. Cap. X.

Non reticet Klupfelius, Tertullianum prorsus eo abiisse, ut ob diversitatem religionis ne separandos quidem a Thoro & mensa conjuges putaret; imo etiam intercedente alterutrius conjugum morte novas nuptias non admitteret, atque ab hac quidem sententia se cum omnibus orthodoxis alienissimum esse profitetur. Ceterum vero ostendit ipsa Tertulliani verba, L. IV. contra Marcionem Cap. 34. contraria esse sententia Launoji, qui in tractatu de regia in matrimonium potestate, pag. 588. defendit, Tertullianum dissolutionem vinculi conjugalis ex causa adulterii admisisse.

**** Male autem ex hoc, quod *baptismus conjugia non solvat*, & ex allatis pro valore & indissolubilitate matrimonii infidelium argumentis inferres cum Wolf. Trienio in Dissert. period. ad legem evangelicam de divortiis Corol. VII. pag. 32. & Bruknero Decis. matrim. Cap. XIV. §. 63. sequ. ab infideli ad fidem nostram converso retineri igitur posse uxores, quas plures simul in infidelitate duxit. Enimvero etsi polyginæcia in jure naturali absoluto permissa sit, prohibita tamen fuit legibus evangelicis, quæ tamquam leges universales conjugia, cum *pluribus* simul inita omnino nulli *valida* atque *licita* esse sinunt. Cap. 8. de divort. unde etiam P. Reiffenstuel Lib. III. Tit. XXXIII. Barbosa cod. Tit. n. 11. Engel. cod. n. 1. concludunt, ab infideli converso, quam primam in infidelitate duxit, ceteris dimissis retineri debere.

***** Leges civiles de divortiis vide in L. 8. 9. 10. 11. Cod. de repud. Nov. 22. cap. 6. Nov. 117. Cap. 1. 9. 10. Nov. 140. Edict. Theodorici Reg. Cap. 54. Leg. Wisigoth. L. III. Tit. 6. Marculf. Lib. II. Form. 30. Leunclav. Jur. Græc. Rom. P. I. L. VIII.

****** Scripsit de hoc argumento etiam clariss. P. Hilar. Robeck ord. S. August. S. Theologiæ doctor & Professor in universitate Pragensi & nactus quidem est adversarium P. Æmilian. Petrasch. Ord. Cisterc., sed adversarium tantummodo, non refutatorem. Cur id quæstionis genus non delibaverint plures, fortasse hæc causa est, ait laudatus Klupfelius, *tum quod communem sententiam parum solidam esse intelligerent, tum quod adverso consertoque cum examine, quod invidiæ plenum est, colluctari nollent*. §. 6.

§. 371. Ceterum jam ex supra allatis (§. 333. n. i. 334. n. f.) patet, & minime dubitandum est XV. matrimonium quidem etiam fidelium, si tantummodo fuerit *ratum*, quo scilicet nondum habentur duo in carne una, quale expositum Numinis præceptum respicit, humana, modo publica anthoritate dissolvi (*a*).

(*a*) Profecto illa matrimonii rati per professionem solemnem dissolutio unice ex humana lege tantam virtutem huic professioni tribuente descendit, atque in unica fundatur auctoritate eorum, quibus actiones nostras permissivas seu divina lege nondum determinatas pro arbitrio ad præfixum finem dirigendi potestas obtigit.

§. 372. Et quamquam *vinculum matrimonii consummati* nequeat dissolvi; certum quoque tamen est XVI. fideles licite quoad *thorum & mensam*, seu divortio improprie sic dicto, si modo publica intercedat authoritas, (*a*) ex justis causis separari (*b*). Quas inter causas præcipua est adulterium (*c*) adeo, ut parti innocenti in *perpetuum* discedere, (*d*) etiam sine nocentis consensu religionem ingredi, aut sacros ordines suscipere (*e*) concedatur; dum causæ aliæ vel in fornicatione spirituali seu hæresi aut apostasia, (*f*) vel in periculo animæ & seductionis, (*g*) vel in periculo corporis & sanitatis (*h*) habent fundamentum, non nisi ad *tempus*, quousque malum cesset, jus divortendi præbent (*i*).

(*a*) Caus. XXXIII. Q. II. can. 1. cap. 3. 4. de divort. Sixti V. constit. *ad compescendum* de a. 1586.

(*b*) Trid. de sacram. Matrim. can. VIII.

(*c*) Matth. V. 32. absque ulla inter virum & uxorem differentia I. Innocent. Ep. III. cap. 4. ad Exuper. apud Constant. Imo videtur sufficere adulterium gravibus indiciis *præsumptum* cap. 12. de præsumt. cap. 27. de test. caus. XXVII. Q. I. can. 4. L. 8. §. 2. c. 3. cod. de repug. conf. S. Ambros. L. I. de Abrah. S. Hieron. Epist. ad Ocean. S. Thomas in IV. Sent. Dist. 35. qu. I. art. 1.

(*d*) Donec pars adulterans pænitentiam egerit, separatio est necessaria, Caus. XXXII. q. I. Can. 1. 6. Hac autem peracta innocenti non tantum non prohibetur nocentem recipere, cap. 3. de adult. sed id potius lex charitatis nonnunquam exigere videtur, cap. 7. & 8. ibidem.

(*e*) Cap.

(*e*) Cap. 15. 16. de converſ. conjug. niſi unus alterius adulterio cauſam dederit, vel uterque in eodem luto hæreat, cap. 6. de eo, qui cogn. conſang. cap. fin. de adult. cap. 45. de divort. Cauſ. XXXII. q. VI. can. 1.

(*f*) Cap. de 6. divort. cap. fin. de converſ. conjug.

* Qui ob hæreſim etiam vinculum matrimonii dirimi poſſe aſſeruerunt, repreſſi ſunt a concil. Trid. de ſacr. Matr. can. 5.

(*g*) Cap. 2. de divort.

(*h*) Veluti ob lepram aliosque morbos contagioſos. Cauſ. XXXII. Q. V. can. 18. cap. 1. & 2. de conjug. leproſ. aut etiam ob crudelitatem & ſævitiam mariti tantam, ut *mulieri trepidanti non poſſit ſufficiens ſecuritas provideri* cap. 13. in fin. & 8. de reſtit. ſpol.

* Pipinus ipſum etiam vinculum matrimonii ob lepram, aut inſidias vitæ conjugi ſtructas ſolvi poſſe exiſtimabat in cap. 16. de a. 757. apud Baluz. col. 184. cap. 5. de a. 752. apud eund. col. 163.

(*i*) Cap. 13. de reſtit. ſpol.

* De donationibus inter virum & uxorem, & de dote poſt divortium repetenda in ſequente Tomo dicetur.

§. 373. Non difficulter denique demonſtrabis XVII. ſoluto vinculo matrimonii per conjugis mortem, ulteriores nuptias neque divina naturalia poſitivaque lege, (*a*) neque conſtitutionibus Eccleſiæ, (*b*) neque civili jure (*c*) prohiberi, ſi modo de morte conjugis quam certiſſime conſtet (*d*).

(*a*) I. ad Cor. VII. 8. 39. I. ad Tim. V. 14.

(*b*) Cauſ. XXXI. Q. I. can. 10. 11. 12. 13. fatendum quidem, ex ipſis S. S. Patribus aliquos ſecundis nuptiis parum æquos fuiſſe veluti Hier. Ep. ad Gerontiam, Amb. L. I. de offic. cap. ult. Hil. in Pſalm. 131. P. P. Conc. Tolet. I. can. XII. vid. cauſ. XXXI. qu. 1. can. 8. & 9. verum quando dein monogamiæ ſtudium errores Montaniſtarum, quos Tertullianus ſequebatur, & Novatianorum ulteriores nuptias omnino damnantium auxit, eosdem repreſſit ſynodus Nicæn. can. 8.

* Græci ante Concilium Florentinum, quo Eccleſiæ Romanæ ſe conformarunt, tertias quartasque nuptias ſtatuebant invalidas eſſe.

** Hunc faciunt S. Auguſtinus de Hæres. c. 16. ſynod. Conſtantinop. apud Harduin. colleƈt. concil. Tom. VIII. col. 733. Eugen. IV. in Decret. pro Jacob. apud eund. Tom. IX. col. 1028.

(*c*) Etiam Romanis quidem ob rationes politicas nuptiæ ulteriores minus laudabiles videbantur. Et quidem in l. 1. & 2. cod. de ſecund. nupt. leguntur pœnæ ſtatutæ in mulieres intra annum luƈtus ad novum conjugium feſtinantes, cum periculum turbandi ſanguinis non vitaſſent. Porro in l. 3. 6. cod. ibid. liberis prioris matrimonii, quibus plerumque novis nuptiis male conſulitur, data ſunt varia beneficia, quæ vulgo *pœnæ ſecundarum nuptiarum* adpellantur. conſ. Heinec. Pandeƈt. ad Tit. de Rit. Nupt. §. 177. ſeq. Nec non Leo Imperator in conſtit. 90. ſancita Eccleſiæ in Cauſ. XXXI. qu. 1. can. 8. contenta firmavit, mox tamen ipſe quartas nuptias celebrans & magnis per hoc tumultibus anſam præbens.

* Poſtquam pontifices non tantum conjugia permittenda, ſed etiam pœnas inter annum luƈtus nubentium abolendas eſſe edixerunt, cap. 4. & 5. de ſec. Nupt. hodie abolitis illis, quæ jure civili in odium ſecundarum nuptiarum ſtatuta fuerunt, remanſerunt tantummodo ea, quæ in favorem liberorum prioris matrimonii aliave de cauſa ſancita ſunt.

** Hodiedum tamen in jure canonico nonnulla, videlicet: quæ circa irregularitatem bigamorum (§. 278. n. c.) & omittendam in ſecundis nuptiis ſolennem benediƈtionem (§. 364. n. b.) obſervari jubentur, cap. 1. de ſec. nup. antiquæ adverſationis ulteriorum nuptiarum veſtigia ſunt. Gonzalez in cit. cap. 1.

(*d*) Cap. 19. de ſponſ. cap. 2. de ſecund. nupt. Gonzalez ad cit. cap. 19. Novel. 117. cap. 11.

* Probationis genus, cum nullibi expreſſum ſit, relinquendum arbitrio judicis, qui ex allatis teſtimoniis atque circumſtantiis judicet. Praxis curiæ Romanæ exigit, ut conſtet de morte conjugis, vel per authenticum teſtimonium præfeƈti noſocomii illiusve loci, in quo deceſſit, ſive Reƈtoris Eccleſiæ, in qua ſepultus, ſive duorum teſtium jurato deponentium, aut etiam unius omni exceptione maioris de viſu obitus, quorum teſtium examen vide apud Ubaldi Giraldi Expoſit. Jur. Pontiſ. Tom. II. P. I. ad cap. 19. ſponſal.

§. 374. Non repetimus demonſtrationem: cauſas matrimoniales & in foro interno & ſi de valore ſacramenti agitatur quæſtio, ad judicium quidem Eccleſiaſticum pertinere, verum quotieſcumque circa matrimonium aut ſub ratione contraƈtus; aut quoad quæſtionem faƈti aut obtutu civilium obligationum ex matrimonio vel divortio conſequentium quid ingruit, toties propriam Judicis civilis ſeſe exerere juriſ-

jurisdictionem, nilque horum omnium ad externum referri posse Ecclesiasticum Tribunal, nisi huic ex civili *privilegio* ejusmodi jurisdictio, semper tamen ideo summi Principis nomine exercenda, concedatur (§. 101. 103. 105. n. i. 116. n. a.) *Qui vero matrimonium accusare possint vel contra illud testificari*, de his atque illis in jure consistoriali commodius agemus.

CAPUT XIV.

De Cultu divino, sacrisque actibus.

§. 375. Perspectis sanctionibus circa statum & conditionem eorum; qui sese membra nostræ Ecclesiæ, atque catholicam profitentur religionem, nunc ad leges ejusdem religionis exercitium proxime tangentes ex condicto transimus (§. 273.) denuo adtenturi, ne ea, quæ quidem ad cultum divinum sacrosque actus non minus pertinent, verum pro meliore intellectu aut hactenus dictis non inseri non poterant, aut sequentibus servari debent, inani iteratione præcocive gressu teramus.

§. 376. Quapropter omissis illis, quæ circa ordinationem clericorum, Episcoporum consecrationem, & benedictiones ritusque nuptiales, aliaque jam dicta sunt; & retentis adhuc iis, quæ opportunius partim infra in capite de locis sacris & religiosis sacroque adparatu, partim sequenti libro de potestate exequente occasione delictorum, pœnitentiæ & pœnarum Ecclesiasticarum referri poterunt, hoc capite tantum complecti volumus, quæ præcipua in jure nostro I. de baptismo, II. de instructione populi, III. de confirmatione, IV. de Eucharistia, V. de Missæ sacrificio, VI. de extrema unctione, VII. de devotione in genere, VIII. de divinis officiis, & modo orandi psallendi canendique, IX. de diebus festis, X. de Veneratione sanctorum, Reliquiarum & sacrarum imaginum, XI. de æstimatione sacrorum Ecclesiæ nostræ rituum, XII. de observatione Jejuniorum, XIII. de votis XIV. de jurejurando, & XV. de publica fidei Professione stabilita sunt.

§. 377. Et quidem I. de baptismo (*a*) qui describi potest esse *sacramentum regenerationis quo sit ablutio hominis sub forma a Christo præscripta, aliisque solemnibus facta, quibus mediantibus quis in Ecclesiam recipitur* (*b*) hæc nobis edicta sunt, 1. ejus formam consistere in verbis, quibus exprimatur actus baptizantis, persona baptizandi & distincta invocatio personarum Trinitatis in una essentia (*c*) 2. materiam consistere in aqua naturali (*d*) 3. Ministrum ordinarium præprimis esse Episcopum; post hunc vero Parochum & *hodie quidem jure proprio & ordinario*, vel alium sacerdotem a Parocho vel Ordinario delegatum, (*e*) atque hinc 4. baptismum in propria Parochia (*f*) & hodie quidem 5. quovis tempore (*g*) nec 6. adultis tantum, sed & infantibus (*h*), adplicatis 7. apud eosdem continua serie cerimoniis (*i*) adlectisque 8. debitis patrinis (*k*) conferendum esse, riteque collati effectus præter illos plures, de quibus Theologi agunt, cumprimis 9. in charactere indelebili, receptione inter membra Ecclesiæ christianæ, & capacitate alia sacramenta percipiendi, (*l*) nec non 10. civilibus etiam inter christianos Juribus consistere (*m*).

(*a*) Baptismus derivatum a Græcis nomen alias quodvis ablutionis genus significat; Cl. de Riegger L. III. Decret. §. 809.

(*b*) Dicitur etiam *baptismus fluminis* sive *sacramentum generationis per aquam in verbo*, atque iste quidem unicus est verus & proprius baptismus, & sacramentum: Enimvero Sacramentum nec est *baptismus fluminis*, nec *baptismus sanguinis*, quorum ille in perfecta peccatorum detestatione ex Dei amore & desiderio recipiendi sacramentum baptismi, hic autem in martyrio propter Christum tolerato consistit, quamvis hic & ille vices sacramenti suppleat. Marc. ult. 16. Joan. III. 5. ad Ephes. V. 20. ad Tit. III. 5. Dist. IV. de consec. can. 34. 37. cap. 2. de cogn. spir. in 6. S. Augustin. L. III. de civit. Dei cap. 7. synod. Trid. sess. VI. de justif. & sess. VII. de Baptism.

Catechesis Concil. Trid. L. II. cap. 2. & 3. de Presb. non bapt. cl. de Riegger. l. c. §. 809. & seq.

(*c*) Ecclesiæ latinæ formula hæc est. *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. vid. cap. 1. de bapt. Eugen. IV. Decret. union. Arimen. Morin de pænit. Lib. III. cap. 16. & conf. Van-Espen P. II. S. 1. T. II. C. 1. ubi & differitur de forma quam græci aliam, eodem tamen modo sufficientem habent. Cl. de Riegger. l. c. §. 811.

(*d*) Hinc salivæ aspersio ad baptismum non sufficit. Parum vero interest, sive aqua adhibeatur per immersionem, sive per adspersionem, sive per infusionem. Id quod a ritu cujusvis Ecclesiæ observando dependet. cap. 5. de Bapt. Trident. Sess. VII. can. 2. de bapt. Van-Espen loc. cit. cap. 1. Cl. de Riegger l. c. §. 8. 12.

(*e*) Sunt verba cl. de Riegger l. c. §. 813. innixa iis, quæ etiam nos ex veteris Ecclesiæ historia jam retulimus supra §. 164. n. c. Recte ibidem, adnotat Cl. vir, etiam diaconis solennis baptismi administrationem delegari posse, non autem inferioribus clericis excepto casu necessitatis, in quo quidem nemo se ipsum baptizare, ceterum vero non tantum a presbyteris, Diaconis, & inferioribus clericis, sed etiam a laicis, quin imo etiam ab hæreticis, paganis, & a mulieribus baptizari potest. vid. Tertul. Lib. de Bapt. cap. 16. & 17. Cauf. I. q. 1. can. 10. XXX. Q. XXX. can. 4. Dist. IV. de consecr. can. 20. 21. 23. 24. 28. 29. 34. Concil. Lateran. IV. c. 1. Concil. Flor. in Decret. pro Armen.

(*f*) Clement: unic. de bapt. Cauf. XVIII. q. II. can. 7. clem. 2. de privilegiis.

* *Quemadmodum olim* ait cl. de Riegger PENES SOLI EPISCOPI BAPTISMUM SOLENNEM *conferebant, ita in sola Ecclesia Episcopali vel certo baptisterio sibi juncto baptismus solennis administrabatur. Multiplicato fidelium numero etiam in una civitate plura baptisteria construi cœpere, non tamen nisi in principalioribus Ecclesiis aut prope eas, quas propterea baptismales dixerunt. Dum* DEIN *parochi facti sunt* ORDINARII MINISTRI *baptismi, tunc quoque contigit, ut omnes passim erectæ parochiales Ecclesiæ baptisterium acceperint*; l. c. §. 814. critt. Lupp. de Afric. Eccles. appell. cap. 28. du Cange Gloffar. verb. *baptisterium*.

(*g*) Olim nempe extra casum necessitatis non nisi tempore *Paschatis & Pentecostes* solennem baptismum conferre licebat. Dist. IV. de consecr. can. 11. 12. 13. 14. 15. 17. 18. Vid. Tertul. l. c. cap. 19.

(*h*) In *adultis* non tantum intellectus & voluntas, sed etiam sedula præparatio requiritur; quemadmodum in veteri quoque Ecclesia prius, quam ad baptismum admitterentur, non exiguo tempore *catechumeni*, seu *per* catechismum præparandi erant. Infantes autem, ad quos huic lavacro offerendos etiam cogi possunt parentes christiani, jam nati esse debent; neque baptizatus censetur in utero, si mater prægnans baptizetur; porro etiam nato, si monstrum, aut fœtus mortuus sit, non conferendus est baptismus, nisi quod in dubio adhiberi possit conditio. Dist. IV. de consecr. can. 7. 8. 74. 76. 110. 114. 129. 138. cap. 3. in fin. de Presb. non bapt. cap. 2. & 3. de bapt. Cl. de Riegger l. c. §. 816.

* Cl. noster Bertieri S. S. Theol. Doct. & in hac Univ. Dogmatum Professor de facr. L. II. cap. 12. tam solide quam late demonstrat: *illicitum esse pueros infidelium reluctantibus parentibus baptizare, exceptis non nisi quibusdam casibus*.

(*i*) In veteri nimirum Ecclesia adultis catechumenis cerimoniæ diversis successive diebus adplicabantur, ut in vigilia Paschatis & Pentecostes ablui possent.

* Qui veteris Ecclesiæ ritus novit, cerimonias quæ in administratione baptismi adhibentur, a primis seculis venisse non negabit; conf. Van-Espen P. II. S. I. Tit. II. cap. IV. nec non P. Zech de jur. rer. sect. II. Tit. II. §. 198. seq. & §. 203. ubi utilissime addit; quæ parochi circa baptismum evitent, atque præcaveant.

(*k*) Excluduntur nempe,

1. Nondum baptizati nec confirmati.
2. Abbates, Monachi, Moniales.
3. Exclusi a sacro commercio, ceu excommunicati, aut in statu pœnitentiæ constituti.
4. Hæretici,
5. Parentes, qui scilicet excludi cœperunt, quando cognatio spiritualis orta fuit (§. 362.) n. d. num. 16.

Vid. Dist. IV. de consecr. 102. 103.

* De catechumenorum apud veteres sponsoribus, fidei jussoribus, susceptoribus, & oblatione prolium ad baptismum olim ab ipsis parentibus facta conf. Van-Espen l. c. cap. 5. Cironii Paratitla in Decret. L. III. Tit. 42. Gerh. Van Mastricht de suscept. Infant. & bapt. pag. 16. Just. Hening. Boehmerus I. E. L. III. Tit. 42. §. 35. seq.

** Numerus Patrinorum, ante hac arbitrarius, jure canonico ad duos tantum diversi sexus restringebatur: vid. capite fin. de cogn. spirit. in 6. Trid. sess. XXIV. c. 2. de ref. Matrim.

(*l*) Vid. Tit. de apostas. & reit. bapt. & Tit. eod. ne sanctum Bapt. iter. Cap. 2. de cognat. spir. in 6.

* Ex eadem causa, quod baptismus omnium sacramentorum janua est, habemus decisum, ut, *si presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizari & ordinari debeat.* (§. 298. n. c.) c. 1. de Presbyt. non bapt.

bapt. Cauf. I. Q. I. can. 70. Capitul. 94. L. VI. in dubio tamen Presbyter ordinatus, qui ex parentibus christianis natus, & inter christianos educatus est, præsumitur baptizatus esse, donec contrarium probetur, c. 3. de presb. non baptiz.

(*m*) Nempe præter hoc, quod baptismus efficiat membrum Ecclesiæ, etiam tollit maculam, qua laborabat infidelis, eumque honestum & ad civium jura honoresque habilem reddit; porro liberat a censu tolerantiæ & omni nota servitutis, quapropter etiam ejusmodi mancipia (soluto tamen dominis pretio) libertatem consequebantur. Cap. 5. de bapt. Cap. 13. de jud. cap. 21. in fin. de test. l. 56. §. 3. cod. de Episc. & Cleric. c. 19. de jud. can. 94. de consecrat. Dist. IV. cap. 3. de bapt.

* Conf. meus ordo Princ. in P. II. §. 211. & seq

§. 378. Quod II. ad populi adtinet instructionem, quæ rite instituta verum Dei cultum, seu certam credendi & agendi rationem, atque virtutum christianarum incitamenta unice promovere potest, eam, volunt canones, ut populus legendo, audiendo, vivendoque hauriat; scilicet *legendo* divinum codicem (§. 21. n. c.) (*a*) libros symbolicos (§. 12. n. c. (*b*) aliosque genuinæ religionis, adcuratioris morum doctrinæ, ac puræ devotionis principia inculcantes (§. 197. n. g. *) (*c*) *audiendo* pastores tam solide quam sincere, tam fervide quam familiariter hæc omnia explanantes (§. 129. n. a. * ad finem 201. n. a. 233. n. a.) (*d*) *videndo* denique exempla pastorum his omnibus conformata, & in solum animarum lucrum studiose directa (§. 201. 235.).

(*a*) Recte Chrysostomum docuisse quis negabit, dum ait Hom. I. in Matth. *Neque vero mihi quisquam proferat frigida illa verba planeque damnanda: Ego forensibus causis sum adfixus, publica gero negotia, artificium exerceo, uxorem habeo, alo liberos, familiæ curam gero, mundanus homo sum, non est meum legere scripturas, sed eorum, qui mundo dixerunt vale, qui montium vertices occuparunt, qui vitam ejusmodi continenter agunt. Quid ais homo? non est tui negotii scripturas evolvere, quoniam innumeris curis distraheris? imo tuum magis est, quam illorum. Neque enim illi perinde scripturarum egent præsidio, atque vos in mediis negotiorum undis jactati*. Porro Hom. II. in Joan. *Est & alia tam ignavis hominibus ineptissima excusatio, librorum scilicet inopia. Ac divitibus quidem ridiculum esset ea de re verba facere. Verum quia multos pauperes hac frequenter excusatione uti puto, hoc ab illis placide sciscitari velim, an non singuli artis suæ, quam exercent, instrumenta sana, & integra habeant, nisi extrema inopia premantur. Quomodo ergo non absurdum fuerit, illic paupertatem non obtendere, ac nihil non agere ad omnes removendos obices, ubi tanta decerpenda est utilitas, occupationes & inopiam deflere? Cæterum si qui ita pauperes essent, possent ex assidua, hic fieri solida lectione, nihil ex iis, quæ divinæ scripturæ continent, ignorare.*

(*b*) Iterum iterumque de hoc Argumento commendo Jo. Andreæ Serrai de claris catechistis L. III. ad Ferdinandum IV. Regem Viennæ Typis Josephi Gerold 1777. recusos.

(*c*) Eminet inter libros hujusmodi opus Ludovici Muratorii de vera devotione, quod, veluti nunquam satis commendatum propagatumque esse poterit, ita sollicitudine benigna Eminentissimi nostri Cardinalis, Celsissimi Principis, ac reverentia summa colendi Archiepiscopi e Comitibus de Migazi etiam apud nos typis datum, & nuperrime etiam a me sub auspiciis Illustrissimi Domini Josephi de Sperges L. Baronis de Palez & Reisdorf. Reg. Ord. S. Stephani Equitis S. C. R. M. Consil. in Can. Aulæ & status rerum Italicarum iterato editum, meæque insertum est collectioni, quam inscripsi. *Nova Collectio, Germanice edita, selectorum Opusculorum, ex scriptis quorumdam Catholicorum, qui se in vetustissimis Ecclesiæ legibus fundant*. Omnino vindicatum etiam hoc Muratorii opus fuerat a defuncto nostro Cl. Antecessore Gasparis in *vindiciis adversus sycophantas Juvavienses Coloniæ* 1741.

* Hinc patet populo, præter quoscumque libros non puram pietatem foventes, etiam cumprimis subtrahendos esse illos, qui probabilismo & inde profluentibus laxioris morum doctrinæ principiis referti sunt; quemadmodum hac de causa Clemens XIII. Decreto die 29. Maii 1760. edito & 4. Junii Romæ publicato *prohibuit & damnavit*, librum sive concionem cui titulus: *Quæstio an probabilismus sive mitior moralis doctrina catholicarum scholarum horribilis & maledicenda sit? resoluta a Patre Francisco Neumayr societatis Jesu Cathedralis Ecclesiæ in Imperiali civitate Augustæ ordinario Prædicatore contra Protestantium scriptores vulgo Novellistas tertia Paschatis die anno* 1759. Quod decretum colendissimus noster ordinarius omnibus in hac Diœcesi Christi fidelibus promulgavit adjecta propria constitutione. Quint. Non. Julii a. MDCCLX. qua etiam adversus P. Berruyer

ruyer impium, uti merito compellat, & fceleftum opus Hiftoire du Peuple de Dieu de puis fon origine jufqu' a la naiffance du Meffie. Hiftoire du peuple de Dieu depuis la naiffance du Meffie jufqu'a la fin de la fynagogue &c. - Hiftoire du peuple de Dieu troifieme partie: ou Paraphrafe litterale des Epitres des Apotres, d'apres le commentaire latin du P. Harduin - quod inter reliquos nefarios errores focinianam hæresim continet, latam Romæ cenfuram repetit. Profecto per iftas fummi Pontificis & ordinarii noftri Conftitutiones etiam omnes horum librorum principiis infecti, ad populum inftruendum, multoque magis ad bonum clerum formandum inhabiles declarantur.

** Nefas effet reticere, quod idem venerandus nofter Cardinalis Princeps & Archiepifcopus addita eleganti Epiftola Paftorali XII. Kal. Jan. CIↃIↃCCLX. divulgaverit Monitiones & inftructiones S. Caroli Boromæi opus Paftoribus utiliffimum.

(*d*) Mihi quidem folida catechefis atque familiaris expofitio Evangelii præ omni perorandi arte femper placebit. Cogito nimirum fæpe mecum, fi etiam par effem de fingulis jurifprudentiæ Ecclefiafticæ capitibus fumma eloquentia ad difcipulorum meorum concionem dicendo, eofdem elegantium a me dictarum orationum, & animi motuum fibi tum factorum memoriam quidem retenturos, nequaquam tamen hac ratione tam cito & tam folide hujus fcientiæ fingula capita ita percepturos effe, ut ex fingulis tentamen fubire, de fingulis cuicumque quærenti refpondere, & firmam certamque doctrinam intime hauftam demonftrare queant. Atque hanc meam cogitationem adplicans ad chriftianam inftitutionem vereor, ne fæpe multi auditores elegantiffimarum concionum inde non nifi quafdam in genere notiones referant, & faltem magis elegantium, quas audiverunt, propofitionum recordatione læti, quam ipfum fenfum verbi divini, huicque conformes fructus ferendi media intime & firmiter penetrantes abeant. Recogito quoque mecum eam, quam veteres concionandi methodum iniere, quæque in fermonibus familiaribus & in homiliis atque expofitionibus ipfius facræ Scripturæ ad populum factis maximam partem confiftebat. Et ipfa fanctiffima noftra Ecclefia pro fingulis dominicis feftifque diebus *integra* quædam ex facro codice excepta penfa, feu *Evangelia*, utique non tantum *integra legenda*, fed & *integra a populo intelligenda* determinavit. Nihil itaque adverfus Ecclefiæ mentem fore arbitror, fi integri illius Evangelii expofitio fiat. Non opponendi funt mihi Romanæ Reipublicæ Oratores; omnis quippe iftorum follicitudo in eo pofita erat, ut faltem populum ad hanc vel illam legem condendam, ad hunc illumve abfolvendum, aut condemnandum moverent. Motus fi fuerat populus, fi lex condita, fi fententia exoptato lata, num vi ipfius veritatis num tantum verborum flumine moverint, & num finguli de populo veram fuam falutem intime firmiterque haüferint, id profecto parum eos afficiebat. Quapropter etiam novimus populum fæpe dein ab alio magis movente oratore in fententiam contrariam abductum fuiffe. Anne autem etiam dicenti ad chriftianum populum contento effe licebit, fi modo moveat populum ad clamandum *Domine Domine*, Matth. VII. v. 21. dum Salvator Apoftolos juffit gentes *docere*, Matth. XXIII. 19. 20. dum Apoftolus Paulus ait: *Sermo meus & prædicatio mea non in perfuafibilibus humanæ fapientiæ verbis, fed in oftenfione fpiritus & virtutis*. I. ad Cor. II. 4. ceterum tantum abeft, ut nullam artem in ipfa verbi divini expofitione adhiberi velim, ut potius defendam id præcipuæ artis requiri, ut quæ populo tanquam divinæ Apoftolicæque doctrinæ confectaria proponenda funt, fimul cum brevitate fimulque cum argumentorum ordine, felectu, fervore, & appofita energia proponantur. Porro nolim exiftimes me adverfari, ut nunquam integra oratione tantummodo de quam fele<ins>c</ins>ta fidei aut morum materia ad populum dicatur. Enimvero etiam hoc dicendi genus, ut pro neceffitate adhibeatur, SS. Patrum exemplis firmatum effe novi. Conf. Fleury Difc. II. in Hift. Eccle f. §. 16. fed inftructiones tamen catecheticas atque familiares expofitiones ipfius facræ Scripturæ, ceu eandem in dominica & feftivalia uti dicimus *Evangelia* diftributam habemus, ego quidem præcipuas judico, atque non tantum pro eo populo, qui catechefes pomeridianas frequentare folet, fed generatim pro omnibus, qui præfixo concionum tempore ad *divinum verbum* percipiendum frequentius convolant, inftituendas fuaderem, ita tamen ut minime hac in parte dictatorem facere meamque fententiam aliis obtrudere velim, fed potius profitear, me aliorum judicia multoque magis fublimiorum poteftatum placita veneraturum effe. Legi omnino meretur *Confideratio* XI. *Abbatis* Fleury *fuper Prædicatione*, ubi elegans præfcribitur norma concionum, quomodo videlicet in iifdem, veritates noftræ religionis, facrificium miffæ, vera devotio, ritus noftræ Ecclefiæ, memoria myfteriorum, uti ea per certa anni tempora recurrit, aliarumque feftivitatum inftitutio; denique fingula morum doctrinæ capita exponi, & tam Evangeliorum expofitioni, quam expofitioni aliorum locorum facræ fcripturæ & præfertim Pfalmorum, qui ab Ecclefia in divinum officium ad omnium utilitatem accipiebantur, inferi, nec non quomodo panegyrici fermones de fanctis inftitui debent. Inter allata concionum & inftructio-

ctionis argumenta patet etiam contineri instructionem populi circa obligationem implendi quæque officia erga Principem & rempublicam, cum hæc ipsa lege divina naturali & positiva, atque pura doctrina morali nitantur. Et quidem in causa XXIII. apud Grat. *de re militari & bello* sufficientes canones jubent populum de deponendo odio status militaris & promtitudine Principi ac Patriæ serviendi sedulo admoneri.

* Qui perspicit, quid velit Paulus Apostolus, dum in Epist. ad Timot. & Tit. cit. *volentes esse legis doctores non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant — ineptas autem & aniles fabulas devita — attende lectioni, exhortationi & doctrinæ — si quis aliter docet & non adquiescit sanis sermonibus domini nostri Jesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem, est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem — Noli contendere verbis: ad nihil enim utile est nisi ad subversionem audientium — Tu autem loquere, quæ decent sanam doctrinam — in omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in* DOCTRINA *in* INTEGRITATE *in* GRAVITATE *verbum sanum, irreprehensibile ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis — admone illos Principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse —* Neminem BLASPHEMARE &c. facile concludet omnia doctrinæ, integritati, & gravitati adversa, atque adeo omnia, quæ non ad genuinam exercerent pietatem, omnia quæ populum a bullis & constitutionibus Ecclesiasticis, & a legibus civilibus potius alienum facerent quam de iisdem colendis & observandis instruerent, omnia nullo nexu nulloque fundamento declamata, aut ex captatis proprioque placito expositis scripturæ verbis deducta, omnia fabulosa, aut histrionica, risumque moventia a loco sacro, a sacra cathedra quam longissime remota esse debere.

Conferantur in corpore Juris Pastoralis Novissimi a me cœpto, Pars I. & ibidem omnino legenda instructio Pastoralis concionatoribus data a Cardinali Principe & Archiepiscopo nostro defuncto e Comitibus Trauthson de Falkenstein; quin cur ad eam edendam motus sit, ipse edicit hisce verbis: *Experientia, proh, dolor! constat, non paucos de plebe homines aut turpi ignorantia consepultos, aut præposteris principiis esse imbutos; qui de substantialibus fidei articulis pessime, nec catholice sentiunt, qui revelationi cuidam fortassis apocryphæ, miraculis minime probatis, superstitiosis nonnullis deliramentis firmiorem longe fidem habent, quam verbo Dei scripto, & non scripto, quam testimoniis Prophetarum & Apostolorum, quam Evangelio Christi, qui per omnes Ecclesias indulgentias sectantur, cum tamen ignorent, quid indulgentia sit, aut quibus requisitis lucranda, qui in devotiunculis privatis, in sancti cujusdam cultu, ejusve icone plus spei reponunt, quam in meritis Christi, in quo tamen solo oporteat nos salvos fieri, qui graviori sibi conscientiæ ducunt, confraternitatis cujuspiam leges transgredi, quam Decalogum Dei. Hi & hujusmodi errores utinam non magna ex parte irreperent eorum vitio concionatorum, qui parum pensi habent, quid aut quomodo auditorem doceant, si modo merces suas viliores, reconditis melioribus, venum prodant. Calamitosis illis temporibus quibus Ecclesia Dei in Germania nostra fœde discissa est, Sacris oratoribus id vitio dabatur, quod plurima de sanctis, de indulgentiis, de Rosariis, de Imaginibus, de Processionibus, & id genus adiaphoris verba facerent, nihil pene dicerent de Christo & veritatibus fidei. Hoc vitium per Concionatores nonnullos repullulare intelligimus, qui de sanctis diserti, de Sancto Sanctorum obmutescunt, qui cultum gratiosarum imaginum, aut vere aut putatitie miraculosarum, omni contentione commendant, & fontem omnis gratiæ Christum causam unicam justificationis, & salutis nostræ negligunt; qui confraternitatum suarum indulgentias & privilegia majorem in modum extollunt, & quod unum necessarium, præcepta Dei & Ecclesiæ dissimulant. — Alterum est, quod intelligamus, Concionatores nonnullos indiscreto zelo abreptos in supremos magistratus, in modernam gubernandi formam, in statuta & indulta publica, in nostrorum temporum calamitates, in gravia Reipublicæ onera, atque his similia stomachose invehi ac debacchari, id quod prudentem Ecclesiasten minime decet, qui nonnisi bonæ frugis spe concepta ad dicendum progreditur. Nempe dictum sibi existimat illud Salvatoris nostri, Joan. cap. 15. v. 16.* EGO ELEGI VOS, ET POSUI VOS UT EATIS ET FRUCTUM AFFERATIS, ET FRUCTUS VESTER MANEAT. *Jam vero, quem, quæso, fructum, Concionator afferet, qui suggestum conscendit, non, quem coram habet auditorem exhortaturus, sed in absentes declamaturus, sed populum concitaturus, & quasi seditionis signum prælaturus? is scilicet fructus existit, ut saucii jam animi eo amplius exulcerentur, debita superioribus observantia penitus collabescat, linguis petulantibus omne frænum relaxetur, mur-*

murmura gravissima atque adeo odia in Principes aeque ac Magistratus caeteros confoveantur; & turbulentis capitibus pessimus seditionum fomes porrigatur. Et sub finem nec obliviscitur eorum Concionatorum, qui toti sunt in eo, ut comptula nimis aut vana & ludicra dicendi ratione aures plebis demulceant, non corda percellant, & pro tuba terroris tubam oblectationis sumunt; nec illorum, qui sacrum Pulpitum Theatri in morem habere non verentur, tremendum verbum Dei ridiculum faciunt, a caeteris verbi Dei praeconibus, plus Apostolicis, populum avertunt, majorem ad sua ludicra gregem agunt, & petulantem plebeculam in cachinnos solvunt, quosque cum Clemente Alexandrino, & Chrysostomo *impios* (qui coelum scenam & Deum actum fecere) nec non *parasitos*, *mimos*, & *saltatores* compellat, atque a suggestu *deturbandos*, & *exterminandos* esse pronunciat.

*** Nullus concionari potest, cui id non competit aut vi officii aut specialis concessionis (§. 146. n. a. 165. n. c. 201. n. a. n. 223. a. b. & c. 234. n. a. & c.) vid. Dist. IV. de consecr. can. 20. c. 12. & 14. de haeretic. c. 10. de poenit. & remiss. ubi laici, mulieres etiam Abbatissae a praedicando arcentur.

**** *Annexa concionum* sunt illa, quae ex sacra cathedra post concionem promulgari solent. Carpz. J. E. L. 2. D. 69. 70. Shilter. Instit. Juris Canon. L. 2. Tit. 1. §. 24.

§. 379. Qui III. de *confirmatione* (*a*) agunt canones, ut praesertim veteres rite intelligantur, nosse oportet, olim statim post baptismum Neophytos confirmatos fuisse. (*b*) Ceterum vero ipsi vetustissimi canones manifestant, haudquaquam tamen in primaeva Ecclesia confirmationem pro simplici ritu baptismi esse habitam, sed potius, ut verum legis Evangelicae sacramentum agnitam, (*c*) iteratis Ecclesiasticis sanctionibus injunctam, (*d*) atque ordinarie ab Episcopis (*e*) collatam (*f*).

(*a*) Non tantum hoc nomen *Confirmatio*, sed & alia veluti *impositio manus*, *sigillum*, *sacramentum chrismatis*, *chrisma sanctum*, *supercoeleste chrisma*, *salutis perfectio* in priscis canonibus huic sacramento tributa reperiuntur. Conf. Van-Espen Par. II. Sect. I. Tit. III. cap. 1. & Cl. noster Bertieri, L. III. de Confirm. cap. 1. §. 1. nec non meus ord. Princ. P. II. §. 213.

(*b*) Van-Espen P. II. S. I. T. II. cap. 4. & id adhuc in Ecclesia Graeca servari probat Jacob. Goar. in Not. ad Rituale Graec. p. 367.

(*c*) Nempe *sacramentum*, *quo baptizatis confertur robur spiritus tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipsam intrepide profitendam*. Conf. Alex. Natalis, Tom. III. Histor. Eccles. Sec. III. Disser. 10. contra Dalaeum, & Cl. Bertieri l. c. cap. 2. ubi hujus sacramenti effectus duplex, nimirum 1. gratia sanctificans ad animam roborandam & perficiendam, 2. character, ob quem iterari nequit, gravissimis Patrum Conciliorum, & Pontificum testimoniis, ac multa eruditione illustratur.

(*d*) Concil. Laod. c. 48. Eliberit. c. 38. 39. 77. Cyprian. Epist. 70. Epist. Cornelii apud Euseb. L. VI. Histor. Eccles. c. 42. Benedictus XIV. in Constit. de ritib. Graec. §. 3.

* Olim, dum confirmatio baptismo jungebatur, nulla chrismatio nisi sola sacramentalis impendebatur Neophyto. Et hinc cum a chrismate christiani dicamur, & cum ante susceptionem sacramenti confirmationis nullus omnibus armis spiritualibus instructus videretur, etiam ante eandem nemo reputabatur *perfectus christianus*, nec *christianus* vel *fidelis* compellabatur, etsi non dubitatum fuerit, quemvis per Baptismum regenerari & Christi militiae adscribi. Vid. Albaspinaeus, Lib. I. obs. c. 25. Cyrill. Hierosol. Cateches. 3. Mystagogica, Van-Espen P. II. S. I. T. III. §. 8.

(*e*) Simplicem sacerdotem ex delegatione hoc sacramentum administrare posse, jam supra (§. 164. n. c.) docuimus, & id etiam ex praxi Graeca per Eccles. Rom. non improbata, & ex Greg. L. III. Ep. 9. & 26. demonstrant. Van-Espen loc. cit. cap. 2. §. 3. & seq. nec non Cl. Bertieri l. c. cap. 6.

(*f*) De ritibus in confirmatione adhiberi solitis, eorumque antiquitate vid. pristinus ordo Rom. Sec. VII. confectus; & sacrament. Gregorii M. & conf. Cl. Bertieri loc. cit. cap. 3. & Van-Espen l. c. cap. 3.

* Olim benedictio chrismatis a solis quidem Episcopis, sed omni tempore conficiebatur. Jam seculo VIII. autem invaluit, ut ea in coena Domini fieret. Vid. sacrament. S. Greg. & antiq. ord. Rom. & conf. Cardinalis Bona, Rer. Lyturg. L. I. c. 18.

** Cur in veterum canonibus non speciatim de sponsoribus seu patrinis confirmandorum dicatur, causa est, quod confirmatio olim statim post baptismum collata fuerat.

§. 380. IV. de Sacramento Eucharistiae (*a*) perlati canones praecipue haec complectuntur 1. *in eadem esse vere & realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem una cum Anima & Divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius*

tius substantia panis in Corpus, & totius substantia vini in Sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transubstantiationem adpellat, atque etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi, (*b*) 2. hujus sacramenti materiam esse panem triticeum & vinum de vite, (*c*) 3. formam verba Salvatoris, quibus hoc sacramentum confecit (*d*). 4. Ministrum quoad confectionem solum sacerdotem (§. 160. 163. 164. 165. n. e.) (*e*). 5. A sacra communione arcendos esse non tantum publicos peccatores, (*f*) sed & 6. hodie in Ecclesia latina eos, qui ad usum rationis nondum pertigerunt (*g*). Ceterum vero 7. post collapsum fervorem primævum (*h*) hodie fidelibus saltem communionem paschalem præcipi (*i*) atque 8. negligentibus nec ingressum in Ecclesiam, nec ita mortuis ecclesiasticam sepulturam concedi (*k*). 9. Communionem Eucharisticam, quæ sanis (vel infirmis quidem, sed tantum ex devotione) præbetur, ante omnem cibum & potum dandam esse (*l*) dum 10. iis, quibus *brevi morituris* per modum *viatici* (*m*) juxta ritum ab Ecclesia præscriptum datur, (*n*) etiam non jejunis dari potest (*o*). Denique quamvis recentiorem, laudabilem tamen, pium & fidei conformem esse tam 11. circumgestationem, (*p*) quam 12. expositionem hujus sacramenti (*q*).

(*a*) Novimus Salvatorem hoc sacramentum instituendo, Deo patri *gratias egisse*, & hinc eidem datum est nomen *Eucharistia*, vox græca gratiarum actionem significans. Ita quoque nomen *communio*, olim generalis, & complectens omnes species communionis fidelium, propterea Eucharistiæ obtigit, quod per eam quis perfectissime communioni restituitur, de quo plura cognitis gradibus pœnitentiæ intelligemus. Conf. Albaspinæus Obs. Cap. 1.

(*b*) Trid. Sess. XIII. c. 8. cap. 1. 2. 3. Pallavic. histor. Conc. Trid. Cap. 11. num. 15. Frustra objiciuntur ex dist. II. de consecr. c. 12. hæc Gelasii verba: *comperimus, quod quidam sumta tantummodo Corporis sacri portione a calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius, ejusdem mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire*, quandoquidem hic canon pertinet ad sacerdotes, qui absque dubio committerent sacrilegium, seu violationem sacræ legis pro ipsis perlatæ, si Eucharistiam non sub utraque specie sumerent, quemadmodum etiam c. 10. & 11. nec non fere tota hæc distinctio de sacerdotibus panem & vinum offerentibus loquitur..

(*c*) Quamvis tam *Azymus* quam *Fermentatus* panis sit vera & sufficiens hujus sacramenti materia, & diversus usus tantummodo sit punctum disciplinæ; unusquisque tamen obligatur ad servandum ritum suæ Ecclesiæ; & quidem Presbyteri in Ecclesia latina non possunt uti pane fermentato sub pœna amissionis officii & beneficii; cap. fin. de celebr. Miss. Eugen. IV. pro Armen. Card. Bona L. I. rer. Lyturg. cap. 23.

(*d*) Quamquam non iisdem recte verbis orientales & occidentales hanc formam exprimant, in ea tamen ipsa consentiunt, atque hinc etiam quoad eam quisque praxi suæ Ecclesiæ sese accommodare debet. S. Thomas III. Part. Q. 78. art. 1. & 3. Bossuet in Explicat. quar. Diffic. circa prec. sacrif. Missæ num. 45. Van-Espen P. II. S. I. T. IV. Cap. 1. §. 10. 11. & sequ.

(*e*) Demum, ubi *in Religiosorum Ecclesiis & aliis sacellis* PUBLICÆ MISSÆ *celebrari cœperunt, simul etiam invaluit, ut non tantum religiosi, sed quicumque Presbyteri sine ulla speciali parochialis Presbyteri licentia quibusvis petentibus Eucharistiam saltem extra tempus paschale administrarent*: ait Cl. de Riegger l. c. §. 795. ex Clement. 1. de Privileg. & Van-Espen l. c. §. 21.

(*f*) Matth. VII. 6. I. ad Cor. XI. 29. S. Chrysostomus Homilia 17. cap. 9. Epist. ad Hebræos; ubi refertur prisco more Diaconum magna voce ante communionem clamasse: *sancta sanctis*. Et hinc rituale Romanum Mechliniense & instructio S. Caroli pro administranda Eucharistia excommunicatos, interdictos, manifeste infames, ut, meretrices, concubinarios, fæneratores, sacrilegos, blasphemos; & alios ejus generis publicos peccatores, etsi sacramentaliter sint confessi, & acceptæ absolutionis testimonium habeant, a sacra communione tandiu excludit, quamdiu non de eorum pœnitentia & emendatione constet, & publico scandalo prius satisfecerint. Van-Espen l. c. cap. II. §. 10. sequ.

* Quod devient a verbis & mente Ecclesiæ, qui docent repellendos tantum eos esse, qui per sententiam judicis, non illos qui sola notorietate facti sunt publici peccatores, recte ait Van-Espen l. c. §. 20. ita tamen, ut ad evitandos excessus simul provide moneat, nihil inconsultis superioribus hac in parte agendum esse.

** Ex

** Ex eadem causa olim damnatis ad mortem Eucharistia non dabatur, eamque disciplinam etiamnum hodie in Gallia & Hispania vigere asserit Caspar Juenin Presbyter Oratorii in suo opere de sacramentis Diss. 4. Q. 6. cap. 4. quamquam ejus originem non recte cum Dominico Soto in profana causa, scilicet in dando ita signo abscissionis a communione Reipublicæ quærat. Conf. apud Fontanum T. 1. Constit. Reg. Franc. Tit. 68. p. 660. ubi mos Eucharistiam damnatis ad mortem dandi a Carolo V. abrogatus, ejusque hanc in rem edictum de an. 1496. refertur.

*** De occultis peccatoribus ita statuit rituale Romanum: *occultos vero peccatores, si* OCCULTE *petant, & non eos emendatos agnoverit* (parochus) *repellat; non autem si* PUBLICE *petant, & sine scandalo ipsos præterire nequeat*. Van-Espen, l. c. §. 26.

**** Patet ex allatis verbis Romani ritualis, si occultus peccator occulte petat Eucharistiam, eum non illico ad communionem admitti, sed prius *emendatum agnosci* debere. Quid autem sibi velit peccatorem *emendatum agnoscere*, id explanare non ad nos pertinet, sed ex cathedris doctrinæ moralis, uti nunc apud nos constitutæ sunt, optime tutissimeque disci potest.

(*g*) Apud veteres recenter baptizatis, etiam infantibus, Eucharistia data est, idque hodiedum apud græcos servatur. Contrarium seculo XII. inducebatur, eamque disciplinam Synodus Tridentina, nec antiquam latinorum nec modernam græcorum improbans, pro majore erga tantum sacramentum reverentia retinendam esse declaravit. Sess. XXI. Cap. 4. de Commun.

* *Favendum quidem* ait Van-Espen *citæ communioni, ut ejus virtus malitiam ætatis præveniat; sed habita ratione non solum capacitatis & instructionis* puerorum; *verum etiam & maxime probitatis, ac pietatis bonæ indolis atque educationis*, l. c. §. 6. & sequ. ubi simul adducens instructionem hac in parte a S. Carolo datam ostendit, quantam sanctus iste Episcopus requisierit sollicitudinem a parocho, *ut pueri rite ad primam communionem, a qua sequentes non raro dependent, disponerentur, eamque curam* PRINCIPALITER PAROCHO *incumbere judicaverit*.

(*h*) Fervor, quo fideles olim quotidie communicabant, in aliquibus Ecclesiis usque ad seculum V. perduravit, subinde tamen ita remisit, ut Synodus Agathens. Sec. VI. Can. 18. decerneret, seculares, qui in *Natali Domini, Paschate & Pentecoste non communicaverint, catholici non credantur nec inter Catholicos habeantur*. Vid. Can. 9. & 16. Dist. II. de consecr. Conf. de quotidiana veterum communione S. Hieron. Epist. 5. ad Pamach. Bona L. 1. Rer. Lit. cap. 17. n. 2.

(*i*) Cap. 12. de pœnit. & remiss. Concil. Trid. Sess. XIII. Can. 9. de Euchar. & Sess. XXII. Cap. 6. de Sacrif. Miss. Eugen. IV. in Bulla *fide digna*. Benedictus XIV. L. VII. de Synod. Diœces. Cap. 12. ubi votum Tridentinæ Synodi, ut Christi fideles ad sacram Communionem *frequentius* accedant, ita exponitur: *sibi in votis esse demonstrarunt* (Patres Tridentini) *ut quilibet tanta emineat morum integritate, ut digne possit etiam quotidie Christi carnibus pasci: consulto tamen abstinuerunt ab universali regula hac de re tradenda; cum satis exploratum habuerint, ea unice desumi posse a cujuslibet peculiari statu, devotione & charitate*. Neque illud S. Ambrosii L. 4. de sacr. C. ult. *qui semper pecco, semper debeo habere medicinam*, aliter intelligendum est, quam ad mentem S. Augustini de Eccles. dogm. c. 53. apud Grat. Dist. II. de consecr. c. 13.

* De potestate tempus paschalis communionis prorogandi uti etiam de hac communione in Parochia propria peragenda jam dictum supra (§. 230. n. a.) conf. Van-Espen l. c. cap. III.

(*k*) Cap. cit. de pœnit. & Remiss. de cujus capituli ex Concilio Lateranensi accepti verbis fatetur Van-Espen, ea esse ambigua, indeque non innotescere, utrum pæna expressa sit *latæ* an *ferendæ sententiæ*, adnotans: neminem ante hoc Concilii Lateranensis decretum ad sacram communionem censuris adactum fuisse; neque adhuc parochis esse potestatem hanc pænam exequendi, sed duntaxat deferendi ad Episcopum, qui re maturius examinata hominem delatum vel absolvat, vel ad pænam canone decretam condemnet, l. c. §. 16. & seq.

* *Cum non ita ordinarie sit notorium, neque tam facile populo innotescere queat, num quis communionem paschalem non fecerit; aut forsan eam omiserit de consilio alicujus confessarii aut consensu Parochi, etiam ex eo capite minus timendum est scandalum, si quispiam ad sepulturam admittatur, etsi communionem paschalem vivus omiserit, quam si notorius criminosus, antequam publice satisfecerit, ad sacram communionem admittatur*, concludit Van-Espen. l. c. §. 18.

(*l*) Rituale Rom. apud Van-Espen l. c. cap. IV. §. 6.

(*m*) Viaticum olim dicebatur omne id, quod morituris prodesse posset, ut securius in alteram vitam proficiscantur, quapropter *Viaticum & communionem* non semper in veterum canonibus pro Eucharistica sumenda esse monet Albaspinæus L. I. Observ. cap. 1.

(*n*) Alia est forma communionis ex devotione, alia communionis per modum viatici. In illa enim dicit sacerdos: *corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam*; in hac autem dicit: *Accipe fra-*

frater (vel soror) viaticum corporis Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno & perducat ad vitam æternam.

* Mandatur Sacerdoti, ut viaticum in decenti habitu superposito mundo velamine ferat & referat manifeste ac honorifice ante pectus, cum omni reverentia & timore, semper lumine præcedente, cum sit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fides & devotio augeatur, cap. 10. de celebr. Miss. & sacr. Euchar.

(o) Constitutiones Ecclesiasticæ viaticum etiam pluries in eadem infirmitate, si periculum diutius duret, atque igitur jam aliquod tempus intercesserit, petentibus indulgent. Van-Espen l. c. §. 5. & sequ.

* Etiamsi certum sit, non minus apud veteres *ægris* S. Eucharistiam administratam fuisse Concil. Nicæn. Can. 13. num. tamen duplex infirmorum communio, scilicet ex devotione & per modum viatici, antiquis nota fuerit, se ignorare nullumque saltem hujus distinctionis vestigium apud illos reperire dicit Van-Espen, l. c. §. 7.

** De jure viatici distribuendi ad parochum pertinente jam dictum supra §. 230. n. c.

(*p*) Verisimile est, solemnes circumgestationes Eucharistiæ sec. XIV. & XV. paulatim invaluisse. Conf. Martini V. Bulla *Ineffabile*. Christ. Lup. in tract. de sacr. Procesf. cap. 2. Neque in Bulla Urbani IV. *Transiturus* an. 1264. edita, qua solemnitas Corporis Christi feria quinta, post octavam Pentecostes celebrari jubetur, quæque a Joanne XXII. sub nomine Clement. V. in Concilio Viennensi inserta est, in Clement. cap. un. de relig. & vener. sanct., ulla hujusmodi processionis mentio occurrit. Certum vero est, ad ipsam solemnitatem institutæ festivitatis Corporis Christi augendam invaluisse hunc morem, quem synodus Tridentina hinc etiam merito pium & religiosum compellat, sess. XIII. cap. 5. de Euchar.

* Concilium Coloniense an. 1452. statuit, *ut deinceps ipsum sanctissimum Sacramentum, nullatenus visibiliter in quibuscumque Monstrantiis ponatur aut deferatur, nisi in sanctissimo festo Corporis Christi cum suis octavis semel in anno, in qualibet civitate aut oppido, seu parochia vel ex singulari indultu ordinarii; aut alias pro pace aut alia necessitate imminente ex indispositione rempublicam prægravante.*

** Multo tempore Eucharistiam, dum circumgestabatur, uti hodie in processione diei parasceves, velatam fuisse existimat Joan. Thiers in Diss. de Exposit. Venerab.

*** Solemnes Processiones cum venerabili nec hodie fiunt in Ecclesiis græcorum, nisi quod *omnibus diebus Sabbati & dominicis quadragesimæ per Sacerdotes aut Diaconos ferunt in modum* PROCESSIONIS *ipsa* PRÆSANCTIFICATA *sive hostiam præconsecratam ex parvo Altari, quod* PROPOSITIONIS *vocant, ad summum Altare: sed Diaconus vel Presbyter illa gestat imposita capiti, & longo velo contecta: quemadmodum in Ecclesia Latina in die Parasceves Hostia fertur imposita calici velo contecta & involuta. Præter hanc processionem nulla apud græcos legitur, in qua Eucharistia vel* OCCULTE *vel* APERTE *circumferatur*. Van-Espen l. c. c. 5. §. 3.

(*q*) Laudatus Joannes Thiers in cit. dissertat. pag. 225. notat publicam & visibilem sacramenti expositionem ex ipsius visibili circumgestatione originem sumsisse. Quamquam vero etiam mos iste a synodo Tridentina l. c. merito firmetur, hæc tamen in repetitis constitutionibus de circumgestatione & expositione venerabilis inculcantur 1. ne ipsa *frequentia* minuat reverentiam, 2. ne processionibus immisceantur, quæ oculos fidelium offendunt, aut saltem ab hujus sacramenti adoratione ad alia spectanda divertunt, 3. penes Episcopos esse jus circumgestationem & expositionem ordinandi & dirigendi, & nihil hac in parte Regularibus, quantumvis exemti sint, sine causa ab ordinario cognita & probata licere, 4. exponendum esse venerabile convenienti cultu & ornatu. Conf. Van-Espen l. c. ubi relato S. Caroli Decreto: *coram sanctissima Eucharistia oratio 40. horarum in Ecclesiis fiat, ubi Archiepiscopus statuerit, & quando id concesserit. Ne quavis causa tamen Eucharistia palam & aperte exponatur, sed publica tantum eaque gravi; aliis vero de causis orationem licebit instituere, sed non sacramento aperte exposito*, hæc subjungit: *Plura synodorum atque Episcoporum Decreta, quibus hæc publica Eucharistiæ expositio restringitur ad causam publicam per Episcopum approbandam, adducuntur in sæpius allegata Dissertatione Joannis Baptistæ Thiers L. 2. cap. 5. & seq. inter cætera allegat hic auctor dicto cap. 5. querelam Joannis Gropperi Archidiaconi Coloniensis omnibus ob præclara sua merita notissimi, de frequentiori Eucharistiæ expositione. Venerabile Sacramentum, ait, in processionibus nimis crebro circumfertur, & populo plus nimio & plerumque* PALAM *spectandum exhibetur. Hæc præterquam quod piis & Deum timentibus non probentur, hæretici & improbi quique offendicula inde nascentia ad suas hæreses & improbitates stabiliendas ac tuendas arripiunt. Post hæc concludit: Utinam Deus ea corrigat, iisque, ut ea corrigant, inspiret, qui ex ratione functionis suæ corrigere jure obligantur! Si hodie viveret Gropperus, quid non diceret; dum quotidie etiam ex levissimis & privatis causis in omnibus passim Ecclesiis Venerabile exponi videmus; imo ad cujuslibet*

bene

bene nescio quam devotionem , missas votivas cum expositione venerabilis , modo sat pingue stipendium offeratur , celebrari conspicimus . Ex hac frequentia , quam exigua sit populi in conspectu Venerabilis devotio & reverentia , atque exterior religionis cultus , omnibus notum est .

Utinam non quoque sanctissimam intentionem nostrorum Antistitum frustrarentur ii, qui, dum ipsis fere quotidiana devotio cum expositione venerabilis & lytaniis coram eo decantatis suppeditatur, quotidianam occasionem sumunt sibi inde fœdissima scelestaque conventicula procurandi. Qua de causa maxime omnium vespertinæ devotiones singularem curam postulant, atque ego quidem judico, Benedictionem Dei Omnipotentis non minus desicensuram & mansuram esse apud illos Patres matresque familias, a quibus obtineretur, ut familiam suam potius contineant inter labores, & hisce absolutis cum eadem in unum collecta quotidianas vesperi preces peragant ipsi, aut si impediti sint, saltem alteri peragendas committant. Vid. hujusmodi orationis serotinæ institutum a S. Carolo consultum & a Gregorio XIII. laudatum apud Van-Espen Part. I. Tit. XVI. §. 11. Non objice, ejusmodi malorum metu, nec ad Missæ sacrificium familiam admittendam fore, & mala ejusmodi etiam absque hoc committi posse. Enimvero inde, quod omnia mala prorsus præcaveri nequeunt, an licebit defendere, neque tantum, quantum potest, præcaveri debere, præsertim si eo possit modo, qui canonibus est conformis? Certe ruri magis innocentes conspiciuntur mores; quamquam ibi non quotidie pomeridianæ coram exposito venerabili lytaniæ aliæve devotiones & tot publicæ, uti dicimus, *Benedictiones* habeantur. Neque objice nocturnas veterum Christianorum devotiones, has ipsas enim propterea, quod tandem in abusus degenerarunt, abolitas esse novimus.

§. 381. V. de Missa seu *sacrificio incruento quod fit consecratione, oblatione & communione corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini ac repræsentatione passionis dominicæ ad salutem fidelium & remissionem peccatorum* (*a*) canones nostri hæc habent 1. Missæ partes *essentiales* alias; alias *accidentales* esse, illasque in consecratione, oblatione & communione; has vero in ceremoniis, quibus consecratio; ipsa & oblatio perficitur, consistere (*b*) 2. Missam dividi in publicam & privatam. ac hodie quidem missam publicam privatamque alio sensu ac olim, accipi (*c*) 3. quemcumque sacerdotem obligatum esse ad missam diebus dominicis & festis celebrandam (*d*) 4. omnes tamen promiscue sacerdotes non admitti debere (*e*) hodieque nec 5. extra Natalem Domini eodem die plures (*f*) nec 6. ante auroræ initium vel post meridiem sacrificare (*g*) regulariter concedi: denique 7. ne cum stipendio, quod sacrificanti sacerdoti conferri consuevit, (*h*) abusus subintret, de eo tam sacerdotum quemlibet (*i*) quam populum ipsum (*k*) rite instruendum esse(*l*).

(*a*) *Missa* dicitur a *missione* sive *dimissione* populi, Concil. Carthag. IV. can. 84. Enimvero usque ad offertorium permittebantur *catechumeni* & dein *dimittebantur* clamante Diacono *Catechumeni recedite*. vid. S. Augustini sermo 49. cap. 8. de verbis Domini, S. Isidor. L. 6. de orig. voc. cap. 16. & hinc hoc sacrificium eo usque dicebatur *missa catechumenorum*, reliquum vero *missa fidelium*, qui nempe eo finito dimittebantur, clamante; *ite missa est*. Van-Espen l. c. S. I. Tit. V. cap. 1.

* Adpellatum esse hoc sacrificium etiam *Lyturgiam*, *Synaxim*, *oblationem*, *collectam* &c. docet ibidem Van-Espen, simul adnotans post du Cange, nundinas germaniæ publicas, quæ ad alicujus Sancti festum vel Ecclesiam celebrari solent, ab ipsa etiam missæ ejusmodi diebus celebrari solita, nomine *Messe* accepisse.

(*b*) Dogma circa hoc sacrificium, tam orientalium quam occidentalium consensu firmatum, late commonstrant Theologi; variarunt igitur Ecclesiæ tantum in ritibus id peragendi, quos novimus arbitrio sacrorum Antistitum relictos I. ad cor. c. IX. v. 34. & iis, qui sacrorum rituum interpretes sunt, explanandos relinquimus.

(*c*) Utar verbis, quibus post Van-Espen usus est Cl. de Riegger l. c. §. 783. *Missa privata hodie dicitur illa, quæ fit sine cantu & solenni pompa a solo sacerdote, alterove ministro respondente. Missa vero solemnis ac publica hodie vocatur omnis illa, quæ fit cum cantu & aliquali saltem solemni ceriomoniarum adparatu, tametsi etiam pauci adsistant, & nemo præter sacerdotem celebrantem communicet. Olim ut Missa diceretur solemnis ac publica exteriori pompæ addebant frequentiam populi offerentis & communicantis. Hinc Missæ, quæ in monasteriis etiam cum cantu & exteriori pompa, atque circumstante monachorum conventu fiebant, privatæ dicebantur. Card. Bona Rer. Liturg. Lib. I. Cap.* 13. prosequitur author clarif-

rissimus: *Quantum ad communicantes ; certum est, Missam primitus sic institutam, omnesque orationes ita esse ordinatas, ut non tantum sacerdos, sed & adstantes communicare supponantur, immo soli fere communicantes sacrificio interesse sinebantur. Microlog. de ecclesf. observ. cap. 15. Tepescente autem fervore, communio illa quotidiana sub singulis Missis redacta est ad sacros ministros altari adsistentes, non improbante, sed pietatem pristinam optante Ecclesia. Trid. Sess. XXII. Cap. 6. de Sacrif. Miss. Dein & frequentia populi desiderabatur. At Seculo IX. invaluit hodiernum genus Missæ privatæ, quæ a quibusdam solitaria dicta fuit, eo, quod sacerdos solus nemine ministrante aut præsente ea perageret. Hæ missæ primum in monasteriis a Monachis frequentatæ, sensim etiam ad presbyteros seculares transierunt. Sed mox improbatæ sunt tanquam primario Missæ instituto, ritibusque ecclesiasticis parum consonæ. Concil. Moguntin. a 813. Can. 34. Concil. Parisiens. VI. Lib. I. Cap. 48. Igitur receptum est, ut saltem unus & mas sacerdoti ministrans adsistat. Reprobat omninoconsuetudinem ad talem functionem pueros quoscumque petulantissimos admittendi Van-Espen Jur. Eccles. univ. P. II. S. I. tit. V. Cap. III.*

(*d*) Multi alioqui ad hoc, simul ratione beneficii & officii Ecclesiastici tenentur veluti parochi aliique beneficia curata obtinentes, dum iisdem diebus ad missæ auditionem populus Christianus ex præcepto Ecclesiastico obligatur, Luc. XXII. Trident. Sess. XXII. Cap. 1. de sacr. Miss. Sess. XXIII. Cap. 14. de ref. cap. 9. de celebr. Miss. Gonzalez, in cit. cap.

* Episcopis quidem quotidiana celebratio commendatur Cap. fin. de privil. in 6. Satis faciunt tamen ipsi ceterique Ecclesiarum prælati, si curent, ut in Ecclesiis suis quotidie saltem una missa celebretur. Cap. 11. de Celebr. Miss. Cl. de Riegger l. c. §. 784.

(*e*) *Plane ferendum non est*, ait cl. de Riegger l. c. §. 785. *ut ignoti & vagantes sacerdotes ad sacra mysteria clebranda passim admittantur. Hinc Synod. Trid. statuit: Nullus clericus peregrinus sine commendatitiis sui ordinarii litteris ab ullo Episcopo ad divina celebranda, & sacramenta administranda admittatur. Sess. XXVI. cap. 16. Add. Decret. de obser. & evit. in celebr. Miss. Id in Ecclesiis etiam regularium licet exemtis obtinere dubium non est. Ergo nullus ex aliena diœcesi, sine literis Ordinarii sui, in quibus non tantum ordinum susceptorum, sed & vitæ morumque testimonium perhibeatur, ad sacra celebranda admittendus esset, & nec istis quidem instructus sine speciali Parochi licentia. Van-Espen l. c. Cap. IX.*

(*f*) Dum pauci erant sacerdotes, eodem die, & præsertim majoribus anni festivitatibus sacerdos pluries sacrificare poterat; *cum tempore autem* cl. de Riegger l. c. §. 786. *numero Presbyterorum invalescente & fervore remittente cautum est, ut singulis diebus semel tantum singuli sacrificarent, præterquam in solennitate natali Domini, qua trium Missarum celebratio cuivis sacerdoti permissa est. Can. 11. Dist. 2. de consecr. can. 52. dist. I. de consecrat. cap. 3. & 12. h. t.*

(*g*) *A Jure certa hora celebrationi missæ non determinata, usu tamen receptum est, ut extra Natalem Domini regulariter ante auroræ initium non peragatur, & post meridiem non inchoetur secluso privilegio. Locus de jure communi & ordinarie est Ecclesia, vel consecrata aut saltem benedicta, inque ea altare consecratum. Can. 11. 12. dist. 1. de consecr. Trident. Decret. de observ. in celebr. Miss. & constit. Clement. XI. de an. 1703.* Cl. de Riegger l. c. §. 787.

(*h*) *Oblationi panis & vini*, prosequitur l. c. §. 788. Cl. de Riegger, *inter missarum solemnia antiquitus a laicis fieri solitæ, successit Eleemosyna pecuniaria presbytero celebranti ante vel post missam collata, quam honorarium aut stipendium Missæ hodie vocamus. Hinc factum est, ut ob modicam hanc stipem quivis singulas missas pro se, vel alii specialiter celebrari, & adplicari postularet, crederetque. Cœpit hæc opinio seculo VIII.; magis seculo XI. tandem ubique passim seculo XII. invaluit. Van-Espen l. c. cap. IX. Mabillon in Præfat. ad p. 1. Sec. III. benedict. n. 62. Chrodeg. Episcop. Metens. in reg. cap. 32. ap. Harduin. Tom. IV. col. 1196. Petr. Damiani l. V. epist. 15.*

(*i*) Utar denuo verbis Cl. de Riegger. l. c. §. 790. *sacerdotes vero observare debent, 1.) ne suo agendi modo de honorario mercari videantur. 2.) Ne ordinari cupiant pro utilitate sua non Ecclesiæ, adeoque ne de celebratione missæ artem faciant de pane lucrando 3.) ne regulares, qui ex honorariis missarum victum quærere solent, omnes, modo ætatem adtigerint, ad sacerdotium mittant, honorarii quotidiani lucrandi causa. Insuper 4.) meminerint; ea tanquam fidelium oblationes, & Eleemosynas in sustentationem ministrorum ecclesiæ factas, non secus, ac alias oblationes bonis ecclesiasticis esse adnumerandas, adeoque falsam esse doctorum ideam, qui ea quasi patrimonialibus clericorum adcensent. Boet Epo. a Cap. 1. de testam. n. 80. Trident. in Decret. de observ. & evit. in celebr. Miss. Consuetudo non obstantibus quibusdam canonibus passim permittit omnibus sacerdotibus etiam divitibus accipere eleemosynam pro Missa celebrata, ait P. Zech de jur. rer. Sect. II. Tit. V. §. 244. De stipendiis*

diis seu honorariis missarum late agit Benedictus XIV. de Synod. Diœcesf. l. V. C. 8. 9. 10. & in Instit. Eccles. 56. 92. item de Sacrif. missæ, Sect. II. §. 19. & 20.

(*k*) Videlicet *sollicite instruendus & monendus est populus* 1.) *ne honorarium illud habeat tanquam pretium sacrificii, sed ut voluntariam oblationem*. 2.) *Ne in numero & magnitudine honorariorum nimium confidat, quasi eorum sola oblatione virtutem sacrificii consequatur* 3.) *ut potius satagat fidem & charitatem piumque cordis adfectum in se excitare, quam adcumulare nummos, quibus multa sacrificia pro se offerri curet*. 4.) *Quod pauperes non secus ac divites se sacrificii participes facere possint*. 5.) *Quod nullibi præceptum sit, ut quis missam pro se celebrari curet; bene vero, quod Ecclesia a suis primordiis rigide mandaverit, diebus Dominicis festisque missarum Solemniis devote adstare. Van-Espen l. c. cap. V. Trident. sess. XXII. cap. 2. de sacrif. Missæ. Cl. de Riegger. l. c. §. 789.*

* Præter illa, quæ Cl. de Riegger l. l. c. c. habet, plura alia illustrat Cl. Van-Espen, de quibus apud eum legendis, quia ad notionem sacrificii missæ & christianorum circa id antiquitatum notitiam pertinent, vel ideo Juris Ecclesiastici studiosus saltem monendus est. Monebo autem tantum exponendo eorum summaria, & hæc quoque ipsis verbis Van-Espen exponam; scilicet 1.) *olim existimatum fuisse eum, qui a missa publica sive parochiali se absentabat, ab Ecclesiæ unitate recedere; nullum alienum parochianum ad missarum solennia recipi potuisse, & exorta demum seculo XV. controversia super obligatione missam parochialem frequentandi declaratum esse, populum de jure ad id teneri, atque synodum Tridentinam Sess. 22. Decreto de observ. & evit. in celebr. Missæ eandem obligationem suppofuisse*, 2.) *missas peculiares fundationum & confraternitatum officia in Ecclesiis Cathedralibus collegiatis & monasteriorum ita ordinari debere, ut populus a parochiali officio non impediatur & abstrahatur*, 3.) *Missam parochialem statuta hora semper celebrandam & nec differendam nec accelerandam esse ad nutum Nobilium*, 4.) *ad promovendam parochialem missam jam pridem constitutum esse, ut Ecclesia parochialis plures easque majores campanas habeat, quarum pulsu populum ad officium convocet. Regularium vero Ecclesiæ & particularia sacella sive oratoria unam tantum campanulam habeant. Extrav. un. de offic. custod. int. Com. S. Carolus in Concil. Mediol. IV. P. I. Tit. de Campanis*. 5.) *Antiquitus instructionem populi fuisse partem missæ parochialis & hinc canones missæ frequentationem urgentes una urgere auditionem verbi divini in Parochia*, 6.) *olim missam* LEGITIMAM *fuisse dictam, cui præter sacerdotem populus assistebat, & communicabat, quemadmodum soli communicantes interesse sinebantur; sensim vero defervescente fidelis populi fervore disciplinam communicandi ad solos altaris ministros reductam esse*. 7.) *Parocho adlaborandum esse, ut populus volens communicare intra missam communicet; eique ostendatur, tempus legitimum communicandi esse post communionem sacerdotis, veluti orationes in missa specialiter pro communicantibus recitantur*, 8.) *videri, apud veteres ad assistendum sacerdoti etiam in missis privatis saltem duos ministros & quidem de Clero requisitos, quam maxime autem inde prohibitas fuisse mulieres: quibus nec ad altare accedere licuit. Synod. Laod. c. 44. Gelasii I. Ep. 9. Cap. 16. Concil. Nanet. Can. 3. &c.* 9.) *antiquissimum fuisse usum oblationum, & quidem Sec. VI. præceptam panis & vini oblationem, atque ex pane & vino a populo oblato fuisse consecratam Eucharistiam, nec non distributas populo* EULOGIAS, *in quarum locum successit panis* BENEDICTUS. 10. *initio quidem, ubi cæpere stipendia missæ, arbitrio sacerdotis relictum fuisse, utrum unum pro multis, an singula pro singulis offerentibus sacrificia celebrare, dum hodie prohibetur plura honoraria a pluribus accipere & uno sacrificio satisfacere*. 11.) *Qui accipit honorarium pro missa, non posse alteri eam committere, parte honorarii retenta T. 4. Bull.* Rom. *pag.* 90. & 91. cui constitutioni nescio an satisfacerent ii, qui dispendia pro missis, quas persolvere nequeunt, acciperent & cum halce missas legendas committerent degentibus in alia Provincia, simul ex illis stipendiis non plus transmitterent, quam quod dispendii ibidem dari solet, reliquo sibi retento. 12.) *Qui pridie temulentus, aut in notorium crimen lapsus se ad celebrandum obtulerit, ob scandalum castigandum, & qui pridie impudicitiam etiam secretam commisit, ad celebrandum se præsentare non posse, tametsi confessus*. 13.) *Præter formulam reformationis jussu Caroli V. scriptam & a 1550. evulgatam a pluribus Synodis cautum esse*, NE SIMULTANEA ILLA PLURIMORUM CELEBRANTIUM TURBA DECORI DOMUS DEI AUT MYSTERIORUM VENERATIONI AUT GRAVITATI ALIQUID DECEDAT, *& hinc singulæ missæ distinctis horis legantur*. 14.) *Quamvis illi, qui stipendia offerunt, speciales pro se missas celebrandas petunt, id tamen non obstare, quominus sacrificium etiam aliis adstantibus pro ratione devotionis prosit, & commune sit, cum & ejusmodi sacrificium simul pro circumstantibus offeratur, ipsique fideles præ-*

quantitate stipendii persoluti aut persolvendi desumenda videatur. Quid hodie frequentius, quam missæ sacrificium pro cujusque privato affectu, nulla publica causa aut festi solemnitate occurrente, solemnissime peragi, modo stipendium pro ratione solemnitatis, more mercenario a ministris illis taxatum, offeratur? contra si desit hujusmodi stipendium, occurrat quantumvis magna festivitas, non ritus solemnis, sed ritus simplicior stipendio proportionatus habebitur. Quinimo in nonnullis Ecclesiis conspicimus ab Ecclesia præscriptum nonnunquam truncari, & fœde mutilari; quia stipendium ipsorum judicio, quo nonnisi stipendium ponderatur, non correspondet labori, quem sacrificii decantationi cum integro ritu peragendi impendere deberent? O mercimonia!

***** Synodus Tridentina Sess. XXII. Cap. 6. *optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent: quo ad eos hujus sanctissimi sacrificii fructus uberior proveniret. Nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat.*

****** Conferatur etiam jam laudatum elegans opusculum Ludovici Muratorii de vera devotione in Cap. 14. 15. 16. 17. 18. 19. ubi doctrina, quam de hoc sacrificio ejusque valore, effectu, partibus ac ritibus populo explanandam tradit, non sat laudari & commendari potest, eamque allatis non contrariam esse patet vel ex his solum verbis: *Solent plures devoti Christiani magna cum laude pro animabus suis, vel in suorum defunctorum suffragium, facere, ut S. Missæ celebrentur; & certum habere debemus, quod particularis intentio Sacerdotis Missam offerentis illi maximopere juvet, pro quo Missa celebratur; quamvis nesciamus, qua mensura Deus juvamen hujus Missæ, cum hac particulari intentione oblatæ, vivis aut defunctis impertiatur. Neque scimus quantum de S. Missæ valore Deus Presbytero celebranti, & præsenti populo pertribuat; hoc enim partim ab eorum majori vel minori devotione & statu interno aut præparatione dependet: credendum tamen communiter, quod Missa multo magis illi juvet, qui præsens est, & præcipue si S. Communionem participat, quam alteri non præsenti, etiamsi pro isto S. Missa celebretur. Ratio hæc est: Christianus, qui hisce divinis mysteriis adest, offert pariter Deo, & potest, sicuti Sacerdos ipse, ibidem S. Communionem sumere: etsi consecratio maximi sit S. Missæ momenti; attamen S. Missæ meritum ac utilitas, cujus participare possumus, stat præcipue in Oblatione, & Communione; hinc, quum hæc duo opera etiam ab iis, qui adstant, fieri possint, hi majorem excipiunt utilitatem, quam ille, qui abest, nec illa duo perficit opera. Præterea certum est, preces & oblationem illius, qui S. Missæ adstat, defunctis admodum juvare; idcirco qui propinquos suos amat, Presbytero ibi jungatur, ac Deum oret, ut eos ineffabilis illius oblationis participes facere dignetur.* Sed & recte adnotat: *Quum antiquitus S. Missa Latino fieret idiomate, quod populi Romano Imperio Occidentali subjecti intelligebant; sicuti etiam Græca lingua in Orientali & in Ægypto communiter obtinuit, populus Christianus eximias S. Missæ preces simul percipiebat; respondebat Presbytero, eumque comitabatur in sancto hoc opere ad Dei laudem & ad ejus gratiam deprecandam. Corrupto postea Latino idiomate, tres aliæ linguæ exortæ sunt, Italica scilicet, Gallica, & Hispanica, illudque populo, exceptis Literatoribus, tunc paucissimis, extraneum penitus evasit. Exinde populus non amplius respondit Presbytero; sed populi vice, Clericorum chorus sacro solemni, minister quidem Missæ privatæ, respondere cœperunt.*

§. 382. Etiam VI. de *extrema unctione* (*a*) perlati canones facile ad hæc præcepta revocari possunt: ut nempe ea 1. non nisi morbo gravi decumbentibus (*b*), 2. hujusmodi autem ocyus (*c*) 3. per sacerdotes (*d*) 4. oleo benedicto (*e*), & 5. precibus (*f*) ad abstergendas peccati reliquias ac corporis sanitatem obtinendam directis administretur.

(*a*) Quamquam hujus unctionis mentio demum fiat in Ep. Jac. V. 14. 15. eam tamen esse sacramentum ab omni christiana antiquitate fuisse agnitum demonstratur a Theologis. Conf. Drouvenius de re sacramentaria, L. VIII. Q. 1. Cap. 1. & Q. 4. Cap. 1.

(*b*) Sufficit, si ex morbo periculum *mortis* immineat, etsi non omnis spes recuperandæ valetudinis jam adempta sit. Innocent. I. Ep. 1. ad Dec. c. 8. Periculoso autem morbo affectis etiam ii adnumerantur, qui præ senio jamjam deficiunt, & in diem videntur morituri. Conf. Van-Espen P. II. S. I. T. VIII. Cap. 2. & Cap. 3.

* Antiquissima est Græcorum, iisque per Ecclesiam latinam non exprobrata disciplina, qua etiam leviori ægritudine correptis unctio-

nem conferunt, indeque obtinuit apud eos consuetudo ægrotos ad Ecclesias pro unctione deferendi. Goar. ad Rituale Grecorum p. 432. Demonstrat Van-Espen l.c. etiam ab Ecclesia Latina olim in eodem morbo hoc sacramentum reiteratum esse.

(c) Scilicet dum ægrotus adhuc sana mente & integris sensibus est, quemadmodum olim extrema unctio alioquin tanquam pœnitentiæ complementum viatico præmittebatur. Et ceu nulli usu rationis destituto; ita etiam ægrotis in amentiam dein lapsis illam non dare licet, nisi antea signa contritionis dederint, & verisimiliter petierint. Hinc per plures Synodos monentur Parochi, ut hortentur ægrotos, ne ad extremum sacramenti hujus susceptionem differant. *Utinam e mente fidelium evulsa esset de adempta omni spe convalescentiæ stulta opinio, qua etiamnum hodie contingit, ut frequenter hoc sacramentum ad extremum usque vitæ spiritum differatur, atque hinc ulterius fiat, ut sine ullo devotionis affectu, non raro sine omni effectu recipiatur* ait Van-Espen loco cit. cap. 2. ubi etiam alias refert stultas plebis opiniones. Optimum itaque, si de hisce eliminandis & de genuina notione hujus sacramenti hominibus, dum sani sunt, suggerenda parochus inter alia instructionis capita adlaboraverit.

(d) Conf. Drouv. L. X. de Re Sacr. Cl. 4. cap. 2. Etsi vero unus Sacerdos hoc sacramentum valide administret, S. Thomas L. 4. contra gent. cap. 73. plurium tamen Sacerdotum concursum & institutioni hujus sacramenti convenientem, &, veluti hodiedum apud Græcos moris est, olim etiam apud Latinos usitatum fuisse demonstrat Van-Espen l. c. cap. 3.

(e) S. Thomas in 4. Dist. 23. q. 1. art. 3. In Latina Ecclesia oleum a solo Episcopo; in Ecclesia Græca a simplicibus sacerdotibus, quin id unquam Ecclesia Latina damnaverit, more antiquissimo benedicitur. Conf. L. de perpetuitate fidei Tom. V. L. 5. cap. 2. & Drouvenius, L. X. de Re Sacr. q. 2. cap. 1. & 2.

* Antiquissimis temporibus plures corporis partes fuisse unctas non reperitur saltem in primorum seculorum monumentis. Sec. VI. mos ungendi pectus, & post tempora S. Gregorii mos ungendi plures & quidem majori dolore affectas partes invaluit, ac universe circa ritum infirmos ungendi Ecclesiæ variarunt. Van-Espen l. c. cap. 1. & 3.

(f) Extremæ unctionis forma olim etiam verbis *indicativis* exprimebatur. Vid. Greg. M. Sacramentarium apud Hugonem Menard p. 251. 332. Ipsa tamen institutio hujus sacramenti & tam Græca quam Latina praxis de recto usu formularum *precandi* nos dubitare non sinunt; conf. L. X. de Re sacram. q. 3. Launojus apud Van-Espen l. c. cap. 1.

(g) Is enim extremæ unctionis effectus est, ut 1. per gratiam sanentur, & abstergantur peccatorum reliquiæ, atque anima hilaritate spirituali perfundatur. 2. ubi animæ saluti expedierit, sanitas corporis restituatur. Conf. Drouv. l. c. q. VI.

§. 383. Omnes VII. canones, qui de devotione emanarunt, nos jubent 1. sub ea generatim nihil aliud intelligere, quam *agilitatem quandam & ALACRITATEM spiritualem, per quam suas in nobis* CHARITAS *operatur actiones, seu per quam nobis datur promtitudo, & affectus easdem exequendi, & sicut* CHARITATIS *officium est, ut ad* OMNIA MANDATA DEI GENERALITER ET UNIVERSALITER IMPLENDA NOS *moveat, sic effectum devotionis esse, ut nos ad illa promte & diligenter perficienda inducat* (a), & hinc etiam speciatim 2. nos immediato Dei cultui ita devovere, ut nec certa mandata Dei negligamus, nec in ipso modo colendi Deum quidquam ejusdem voluntati adversum specie devotionis amplectamur (b); atque hinc porro 3. non tantum ab aperte superstitiosis, aut in abusus jam degenerantibus, (§. 1. n. c. 24. n. b. 105. n. d. e. f. 106. n. g. * 107. n. b. d. 109. n. a. &c.) sed etiam ab ambiguis, & abusui proximis devotiunculis (c) abstinere (d).

(a) S. Franciscus Salesius in Introduct. ad vit. devot. par. 1. cap. 1. conf. cit. op. Muratorii cap. ultim. ubi demonstratur veram devotionem cumprimis collocari debere in amore Dei & proximi, in bonis operibus potius quam nudis verbis & in ejusmodi, quæ non tantum in exteriore quodam Religionis exercitio subsistunt, sed simul interiorem hominem a sceleribus ad observandas Dei leges adducunt. Non immorabor ipsis constitutionibus Ecclesiasticis, quæ id inculcant, recensendis; videri possunt apud laudatos authores. Et sane sufficiunt sanctiones ipsius Salvatoris & sanctiones Apostolicæ, quæ leguntur Matth. X. Luc. X. I. ad Corinth. XIII. ad Rom. XIII. ad Galath. V.

(b) Inde enim nomen *devotio*, quod professione veræ fidei etiam vero Dei cultui jam inde a baptismo nos *devovimus*, S. Thomas 2. 2. q. 82. art. 1.

(c) *Quotidie videmus*, ait cl. Muratorius l. cit.

l. cit. *novas devotiones, idest novos devotionis nostræ modos evestigari: utinam sufficerent ad veram illam devotionem assequendam, de qua verba fecimus. — Consideratum pariter est, aliquas fortasse devotiones existere, quæ sint in se absurdæ, male constructæ, ac ad superstitionem vergentes, aut quæ, etiamsi laudabiles, hominum ignorantia vel malitia superstitiosæ evadant.* Hinc dum sanctum festum Cordis Jesu (cui festo Ecclesia pro objecto præfixit *Cor spirituale*, & *Cor mysticum* seu *amorem Christi*, atque adeo totum Salvatorem nostrum, non *Cor carnale*) nonnulli in festum *cordis carnei* mutare, & propositis *in hunc finem* populo cordis carnei imaginibus abuti cœpere, prodiit illico in facie Ecclesiæ Camillli Blasii Auximatis J. U. D. & in Romana curia advocati de festo Cordis Jesu Dissertatio commonitoria, cum notis & monumentis selectis Romæ an. 1771. regnante beatissimo Pontifice Clemente XIV. apud Benedictum Franzesi edita, S. Thomæ Aquinati dedicata, & subinde a Cl. P. Gazzaniga Sacræ Theologiæ apud nos Professore ordinario hic Viennæ distributa, in qua ille multa eruditione ex scriptura, Patribus, sanctionibus Conciliorum, aliisque canonibus contra eos progreditur, qui *sub velamine symboli, vel in nudum cor materiale vertunt, quod unice mysticum & figuratum est, vel nova excogitata metamorphosi biforme illud faciunt, carnale simul & spirituale; vel carnem ipsam, & fibras cordiformis musculi veste symbolica induunt, ac in principium etiam charitatis, quæ propria est spiritus, ex arte transformant*, simulque post relatam originem hujus festi, & in cap. 65. & seq. examinatam, quæ Venerab. Moniali Margaritæ Alacoque de hoc cultu revelatio facta (a Benedicto XIV. quidem nihil pensa): a P. Claudio la Colombiere societatis Jesu refertur, ostendit minime ab Ecclesia cultum *Cordis carnei*; sed tantum *symbolice accepti* concessum esse. Imo commonstrat 1. *in Indice Libror. prohibitorum jussu Benedicti XIV.* 1759. *recuso contineri: la devotion au sacre Cœur de N. S. Jesus Christ par un Pere de la Compagnie de Jesus. Decr.* 11. *Martii* 1704. *aliosque hujusmodi libros.* 2. *imaginem cordis Jesu, quæ duodecim constabat mysteriis, aut symbolis cordi ejus adscriptis & quolibet anni mense ordinatim colendis recolendisque an.* 1770. *Bononiæ proscriptam fuisse &c.*

(*d*) Ex primis principiis Jurisprudentiæ naturalis novimus violationes legum ex dolo magis, quam ex ignorantia vincibili, imputari. Atque ideo, etiam in devotione vincibilis quidem ignorantia imputationem apud supremum Judicem non est evitatura; attamen major imputatio maneret illos, qui alios ex dolo in ejusmodi ignorantia sustinerent, atque vanitatis vel cujusdam temporalis commodi respectusque humani causa gravissimis hypocritarum & Pharisæorum sceleribus sese contaminarent. Non opus est in ejusmodi propriis invehere verbis. Præstant enim verba Salvatoris nostri, qui profecto & hypocritas & Pharisæos præ aliis omnibus perstringebat; præstant verba Apostolica, quibus scilicet dicitur: *Væ autem vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare — Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis judicium — Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proselytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos — Væ vobis scribæ & pharisæi, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, & misericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere — Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes — Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis: intus autem pleni estis rapina, & immunditia. — Pharisæe cœce, munda prius quod intus est calicis, & paropsidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum. — Væ vobis scribæ, & pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. — Sic & vos a foris quidem paretis hominibus justi: intus autem pleni estis Hypocrisi, & iniquitate. — Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ? — Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. — Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. — A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labiis me honorat: Cor autem eorum longe est a me. — Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum. — Rogo autem vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. — Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri: & per dulces sermones, & benedictiones, seducunt corda innocentium. — Nam*

ejus-

* *Patet*, ait Van-Espen l. c. *quam longe a mente & spiritu Ecclesiæ recedant, qui asserere audeant, sanctificationi Diei Dominicæ aut festi satisfieri per sacri unius etiam privati auditionem, tametsi reliquum illius Diei occupationibus & negotiis secularibus impendatur. Quem errorem tanquam abusum divino & ecclesiastico præcepto contrarium penitus abolendum pridem censuit synodus Cameracensis an.* 1604. *Tit.* 4. *cap.* 1.

** Universe olim fideles etiam laici, qui non aliorum officiorum necessitate impediti fuerant, iisdem pene distinctis temporum intervallis ad orandum convenere, quibus hodie suos ministros Ecclesia orare jubet, vid. L. 8. Constit. Apost. Cap. 54. Tertull. in Apolog. Basilius Epist. 207. alias 63. Chrysost. hom. 26. in acta. Ambros. de Abrah. cap. 9. August. serm. 55. de temp.

(*b*) Decret. S. Caroli in Concil. Prov. Med. IV. P. 1. c. 24.

(*c*) *Episcoporum atque pastorum est invigilare in hujusmodi libellos, & precationum formulas, num ad solidam devotionem excitandam & fovendam sint convenientes, utrum nihil sanæ doctrinæ aut solidæ pietati contrarium contineant, utrum nihil superstitionis aut ad eam inclinans sub specie pietatis misceatur. Libri, quibus preces variæ continentur (ait synodus cameracensis P.* 1. *Tit.* 1. *cap.* 3.) *plerumque falsis, superstitiosisque titulis asperguntur, ea omnia purgari diligenter & ad proportionem fidei reduci Episcoporum sedulitate præcipit sancta synodus.* Van-Espen P. 1. Tit. XVI. cap. 12. §. 6.

* Jam antiquissimi canones pro communibus publicisque precibus ideo præfixere *hymnos*, *antiphonas*, *Psalmos*, *lectiones*, *capitula*, *collectas*, quæ ex sacro codice & gravissimorum Ecclesiæ Antistitum ac Patrum monumentis accepta & selecta fuere; atque oratio quidem communis clara semper voce alterna versuum recitatione, interpositaque oratione dominica peragebatur. Et olim quidem non tantum Episcopus ordinandus debebat nosse Psalterium, & super hac notitia juxta Nicænam synodum diligenter examinari, sed etiam ipsi fideles integrum Psalterium memoriter tenebant, donec pietas Psalterium recitandi ad solos Clericos, Monachos & moniales delapsa est. Van-Espen in cit. Diss. de hor. Can. ubi complura circa antiquitatem *Gloria Patri* & hymni *Te Deum laudamus* adfert, nec non in schol. ad can. 2. Concil. Nicæn. II.

** Summa omnium laudum, quas S. S. Patres libro Psalmorum tam ob materiam quam ob formam seu genus scriptionis tribuunt, enunciat Bellarminus in Præf. in Ps. his verbis: *Est enim liber Psalmorum quasi compendium & summa totius veteris testamenti, quidquid enim Moyses vel in historia tradidit, vel in lege præcepit, & quidquid Prophetæ cæteri vel exhortando ad virtutes vel prædicando futura scripserunt, id totum in psalmis David brevissime comprehendit — hortatur ad virtutes, retrahit a vitiis, invitat, allicit, narratione complectitur; sed vario carminum genere, phrasibus poeticis, & metaphoris plurimis & admirabilibus, denique novo quodam genere dicendi ita rapit animas in amorem & laudem Dei, ut nihil dulcius, nihil salutarius cani audirive possit.*

*** *Pro assequenda intelligentia Psalmorum* ait Van-Espen de hor. can. P. II. cap. 1. §. 7. *conveniens judicatur Paraphrasis Jansenii Gandavensis in Psalmos, nec inutilis erit commentarius de Sacy*; & cum S. Carolus moneat, *ut recitans psalmos, observet, quis in Psalmo loquatur, an Deus, an Ecclesia, an pœnitens, an aspirans ad perfectionem*, in hunc finem commendat libellum cui titulus: *Regles de S. Augustin pour l' Intelligence des Pseaumes.*

(*d*) *Si quis Principem seculi rogaturus habitu honesto, gestu decenti, prolatione non præcipiti, sed distincta, attenta quoque mente se ipsum ac verba studet componere, quanto diligentius in loco sacro omnipotentem oraturus Deum curare debet.* Synod. Basiliens. sess. 21. §. 3. Huic igitur aliisque constitutionibus non tantum adversantur ii, qui a confabulationibus, risu, situ indecoro, aliaque profana actione non abstinent, sed etiam illi, qui Ecclesiam tam dissoluto corporis habitu, veluti stabulum vilissimaque loca accedunt. Non objice vilem corporis habitum ab ipsis olim pœnitentibus adhibitum, & habitu ornatiori, maxime mulierum, mentem oculosque ad vanitatem abstrahi. Enimvero neque illi, de quibus loquimur, squalido vestitu ad Ecclesiam venientes, more pœnitentium veniunt, neque nos, qui novimus, quantopere in canonibus lascivi amictus & *muliebria pigmenta* prohibeantur (Van-Espen P. II. S. II. Tit. II. cap. 5. & obs. in III. P. Grat. de censur. Dist. V.) vanum, sed honestum tantummodo habitum petimus; ipsi optantes: ut feminæ in Ecclesiis, ceu olim velatæ, separatoque a maribus loco consisterent, vid. S. Bonaventura in spec. Disc. p. 1. cap. 15. S. Carolus in Concil. Med. I. p. 2. c. 53. S. Bernardus serm. de 4. Nov.

* Apud antiquos flexis genibus orandi ritus non nisi diebus Dominicis, & tempore Paschali omittebatur. Et hinc ritus exemplo Christi & Apostolorum receptus a synodo Nicæna can. 20. firmatus fuit; quin tamen synodus universalem in parte ritum omnibus Ecclesiis præscribere voluerit. Van-Espen schol. in can. 20. concil. Nicæn.

(*e*) Dist.

(*e*) Dist. 92. can. 1. S. Carolus in Conc. Med. V. P. III. cap. 6.

(*f*) S. Augustin. Ep. 55. ult. Edit. cap. 28. L. 9. conf. cap. 7. L. 10. cap. 33. ubi quidem ea ex causa, quod senserat animum suum in ipsa sonora vocum modulatione nonnihil hærere voluptatemque quærere, initio cupit melos omne cantilentium ab auribus suis atque ipsius Ecclesiæ removeri, dein vero reflectens ad lacrymas, quas fudit ad cantus Ecclesiæ in primordiis recuperatæ suæ fidei, & quantum porro per cantum liquida voce & convenientissima modulatione institutum semper sit commotus, magnam hujus instituti utilitatem agnoscit, vid. quoque S. Justinus in Resp. ad quæst. 107. Basilius Ep. 57. &c. apud Van-Espen de hor. can. P. I. cap. 4. §. 4. & 5.

(*g*) Sed & sancitum est in can. 75. Trul., ne, qui in Ecclesiis ad psallendum accedunt, inordinatis vociferationibus utantur, & naturam ad clamorem urgeant. Quod evitandum esse etiam inculcat Cyprianus in serm. de oratione dominica, prorsus non probans inconditas voces, *quia Deus non vocis sed cordis auditor est*. Præterea jubet Canon XV. synod. Laod. de clero quemquam constitui, qui cantum populi dirigat, ut scite, scilicet absque cacophonia recto ordine & cum summa modestia peragatur, vid. S. Chrysost. hom. 1. de verbis Isaiæ *vidi Dominum*. Conf. Van-Espen in schol. ad hos canones.

(*h*) Ad can. 75. Trull. qui porro præcipit: *ne aliquid eorum, quæ in Ecclesia non conveniunt, & apta non sunt, adsciscatur*, ait Zonaras apud Van-Espen, l. c. talia sunt *infracti illi modorum soni, argutæque cantilationes, atque in scenicos, meretriciosque ritus nimis evariata modulatio, quibus præcipue hoc tempore in templis cura impenditur*.

(*i*) Scilicet *in uno se ore cum Jovis laudibus Christi laudes non capiunt*. S. Gregor. L. 9. Ep. 48. ubi reprehendit Episcopum Desiderium, qui divino cantui & doctrinæ christianæ profanas Grammaticorum fabulationes immiscebat. *In divinis officiis* etiam præcipit S. Carolus, aut omnino in Ecclesiis, nec profana cantica, sonive, nec in sacris canticis molles flexiones, voces magis gutture oppressæ, aut denique lasciva ulla canendi ratio adhibeatur. *Cantus & soni sint pii ac distincti, & Domini Dei ac divinis laudibus accommodati, ut simul & verba intelligantur, & ad pietatem auditores excitentur*. Concil. Med. I. part. 2. cap. 51.

* Nequaquam per id reprobatur, ut cantilenæ nitidiore stylo, & expuncta, quæ absoleta est, loquendi ratione conficiantur. Quapropter etiam eminentissimo nostro Pastori hoc sempiternæ laudis erit, quod cantilenas pro sua Diæcesi uniformes, easque tam nitidas, quam ad pietatem excitantes, adhibita celebr. nostri Denis opera, instituerat.

** Cum S. Gregorius loco citato simul de cantu loquatur, simulque de expositione doctrinæ christianæ, id quidem ad ea, quæ jam supra de modo concionandi diximus, addendum est, atque illis præcipue considerandum, qui in concionibus suis præ verbis ipsius Numinis Prophetarum, & Apostolorum aliisque sacræ scripturæ oraculis verba & authoritatem Socratis Aristotelis Ciceronis &c. grandi elocutione dilatant, vid. Gratiani Dist. 86. apud Van-Espen in comment.

(*k*) Musica, quæ ad movendos & excitandos animæ affectus aptissima & hinc in divino cultu adhibenda a veteribus commendatur, veluti a Cassiodoro L. 2. Ep. 40. Maximo Tyrio serm. 21. Sexto Empyrico L. 6. 22., erat virilis, non effracta & effeminata, qualem illi successisse deplorant Cardinalis Bona de divina Psalm. c. 17. §. 3. Wilhelmus Lindanus in Panoplia Evang. Lib. 4. c. 78. B. Ælredus Abbas Rhievallensis in Anglia, S. Bernardo coævus, qui vitia musicæ laudes divinas conspurcantia in spec. char. lib. 1. cap. 23. ita describit: *ad quid, rogo, terribilis ille follium flatus, tonitrui potius fragorem, quam vocis exprimens suavitatem? Ad quid illa vocis contractio & infractio? Hic succinit, ille discinit, alter supercinit, alter medias quasdam notas dividit & incidit. Nunc vox stringitur, nunc frangitur, nunc impingitur, nunc diffusiori sonitu dilatatur. Aliquando, quod pudet dicere, in equinos hinnitus cogitur, aliquando virili vigore deposito in feminæ vocis gracilitates acuitur, nonnunquam artificiosa quadam circumvolutione torquetur, & retorquetur. Videas aliquando hominem aperto ore, quasi intercluso halitu expirare, non cantare, ac ridiculosa quadam vocis interceptione quasi minitari silentium, nunc agones morientium, vel extasim patientium imitari. Interim histrionicis quibusdam gestibus totum Corpus agitatur, torquentur labia, rotant oculi, ludunt humeri, & ad singulas quasque notas digitorum flexus respondet. Et hæc ridiculosa dissolutio vocatur religio; & ubi hæc frequentius agitantur, ibi Deo honorabilius serviri clamatur. — Stans interea vulgus sonitum follium, crepitum cymbalorum, harmoniam fistularum tremens attonitusque miratur, sed lascivas cantantium gesticulationes, meretricias vocum alternationes & infractiones non sine cachinno risuque intuetur, ut eos non ad oratorium, sed ad theatrum, nec ad orandum, sed ad spectandum æstimes convenisse: nec timetur illa tremenda Majestas, cui assistitur, nec defertur mystico illi præsepio, cui ministratur, ubi Christus mystice pannis in-

involvitur, ubi sacratissimus ejus sanguis calice libatur, ubi aperiuntur cæli, assistunt Angeli, ubi terrena cælestibus junguntur, ubi Angelis homines sociantur. Sic quod S. S. Patres instituerunt, ut infirmi excitarentur ad affectum pietatis, in usum assumitur illicitæ voluptatis. Non enim sensui præferendus est sonus: sed sonus cum sensu, ad incitamentum majoris affectus, plerumque admittendus. Ideoque talis debet esse sonus, tam moderatus, tam gravis, ut non totum animum ad sui capiat oblectationem, sed sensui majorem relinquat portionem. — *Illarum magis constantiam admiror Ecclesiarum, quæ istum prævidentes divini cultus abusum, semel musicam illam choro excludere maluerunt, uti Trajectensis, & quod audio Lugdunensis, quam illarum veneror magnificam, quam ipsi & putant & jactant adeo majestatem, qua Dei chorum omni phonascorum syntagmate, vocum omnis generis discrimine, imo & tubarum clangore, cornutorum stridore, alioque strepitu vario, ne quid prætermittere videantur, quod cantici verba semel obscuret, sensumque sepeliat & obruat, sibi præclare gloriantur implesse. Verum non me fugit, quibusdam musicam cum organis & musicis rectius videri retinendam: quibus equidem perlibenter assentiar, si una pro isto musices genere, quod nunc passim Ecclesias occupat, aliud introducatur & gravius & rebus ipsis convenientius: & si non, ut oportet, prenuntiationi quam cantui vicinius, saltem rebus quæ canuntur, aptius atque accommodatius.* Nonne ait Van-Espen *hic depictum quodammodo intuemur, musicorum nostrorum ordinarium agendi modum. Et quidem eo vivacius, quo Musica eruditur nobilior ac solemnior.* Et porro, *quis quæso vel paululum adtendens hodiernum populi concursum ad Ecclesias sive seculares sive regulares, in quibus sciuntur divina officia musice, variisque musicalibus instrumentis solemniter decantanda, non fatebitur & hodiernos musicæ effectus graphice ab Ælredo fuisse expressos.* Hinc etiam S. Carolus statuit apud eundem Van-Espen: *Organo tantum in Ecclesia locus sit, Tibiæ, cornua & reliqua musica instrumenta excludantur.*

* Nec organorum usum tempore S. Thomæ in divinis officiis receptum fuisse colligunt nonnulli ex 2. 2. q. 91. Art. 2. sed extensam dein organorum consuetudinem ipsa quidem concilia veluti Concilium Senonense a. 1528. Coloniense eodem fere tempore, & Tridentinum non reprobarunt, tantummodo organa, *quæ* ut ait Van-Espen, l. c. *unice ad infirmioris populi devotionem sublevandam, & fulciendam in divinas laudes admissa sunt; nihil sonent, quod vel devotionem turbet, aut animum ad cogitationes seculares, aut quod impium est, lascivas & impuras incitet.*

** Antiquis itaque canonibus & spiritui Ecclesiæ adversarentur ii, qui populum non tantum ejusmodi per canones reprobata musica, a genuina devotione distrahere, sed etiam præmissa annunciatione ad eandem audiendam in Ecclesiam invitare præsumerent.

*** Synodus I. Mechliniensis non tantum lascivam, sed & militarem musicam ab Ecclesia arcet, apud Van-Espen l. c. §. 7.

**** Teste Cardinale Bona Romæ in sacello summi Pontificis semper sine instrumentis officiorum solemnia celebrantur; imo Ecclesia Lugdunensis, quæ novitates nescit, ait idem Cardinalis, etiam organa repudiavit, neque in hunc diem ascivit; de div. Psalm. cap. 17. §. 2.

***** Etiam piissima nostra Imperatrix præ musica instrumentali, quam alioqui in suis oratoriis non, nisi gravis ac decora esset, unquam tolerabat, summa subditorum ædificatione ordinario sub sollemnibus sacris *vocalem* haberi jussit, & ceterum sub missa coram exposito Venerabili universi populi fidelis cantu quam maxime delectatur.

****** Recte statuit Concil. Aquisgr. an. 816. cap. 135. singularem curam habendam esse puerorum ad chorum deputatorum, *dum enim*, ut advertit Van-Espen l. c. *a mane ad vesperam, ut frequenter per abusum contingit, divinis officiis continuo interesse coguntur, contingit, ut sæpius cum tædio & sine ulla pietate adesse & canere jubeantur; ex quo tunc ulterius fit, ut sensim omnes erga præcipua nostræ religionis mysteria affectum devotionis amittant; & hinc paulatim insensibilitatem quamdam ad res divinas contrahunt, & per illam ad vitia etiam gravia prelabuntur.*

§. 386. Porro autem circa officium divinum strictissime acceptum (§. 385. n. c.) (*a*) sancitur, ut non tantum 7. id quotidie recitent *Clerici* in sacris constituti, licet sint suspensi, depositi &c. *Religiosi ad chorum professi*; *beneficiati*, quamvis tenue duntaxat beneficium habeant, (*b*) sed etiam 8. in omnibus Ecclesiis Cathedralibus & collegiatis tam regularibus, quam secularibus, imo etiam parochialibus illi, qui choro sunt deputati (*c*) ad publicam ejus recitationem sub pœnis per canones statutis (*d*) urgeantur, & quidem omnes in recitando officio formam & ri-

tum novi Breviarii Romani teneant (*e*) exceptis iis, qui ritus diversos sibi specia-tim concessos demonstrare queunt (*f*).

(*a*) Novimus illud dividi in *diurnum* & *nocturnum*, & quidem in *nocturno* contineri *Matutinum* cum *laudibus*; in diurno horam *primam*, *tertiam*, *sextam*, *nonam*, *vesperas*, & denique *completorium*, quæ singula constant ex precibus, Psalmis & hymnis rite ordinatis, cap. 9. de celebr. miss. Ordo Rom. de offic. div. Microlog. de Eccles. observ.

(*b*) Cap. 1. & 9. de celebr. Miss. cap. 15. de rescr. in 6. S. August. Epist. 121. capitul. Reg. Franc. L. 6. c. 171. Tom. I. Edit. Paris. 1677.

(*c*) Dist. 92. can. fin. c. 1. & 9. de celebr. Miss. Clement. eod. Suarez L. IV. de hor. can. cap. 10. n. 20. conf. Van-Espen Diss. de hor. can. P. I. cap. II. & reflecte ad ea, quæ dicebam supra §. 326. n. e. f. g. h.

(*d*) Pro clericis quidem & religiosis nullum beneficium habentibus, si horas canonicas negligant, non est pœna in jure expressa; beneficiatis autem in pœnam talis negligentiæ injungitur restitutio fructuum pro rata, fabricæ Ecclesiæ, cui deserviunt, vel pauperibus etiam ante sententiam facienda, adeo, ut sub hac lege etiam comprehendantur parochi & alii curati ratione fructuum *Breviario* respondentium. Vid. Bullæ Leonis X. & Pii V. Ex *Proximo* & conf. P. Engel ad Tit. de celebr. Miss. num. 23.

(*e*) Jam Paulus IV. de divini officii perturbatione ac varietate tollenda non cogitavit tantum, sed adlaboravit etiam. Hunc vero Ejusdem morte interceptum laborem Patres Tridentini adlectis piis doctisque viris jam jam absoluturi erant; & tamen mox ex decreto concilii tota res ad authoritatem Romani Pontificis remissa. Edidit igitur Pius V. Breviarium emendatum, addita sanctione: idem nullo unquam tempore vel totum vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum esse. Vid. in Bullario Rom. 2. Edit. 1638. pag. 196. col. 1. 2. & 3. Verum non id decretum ubique receptum, & ipsi successores Pii V. plura divino officio prorsus indigna emendanda reperiebant, ac quidem præprimis Urbanus VIII. vid. Bulla, quæ data est an. 1632. Tom. 3. Bull. Edit. 1638. de qua quidem emendatione ait Van-Espen Diss. de hor. can. P. I. cap. 4. §. 2. *Ea est humani ingenii, & maxime circa factorum & historiarum veritatem assequendam imbecillitas, ut illa etiam sapientissimos ac dignissimos suos non raro fugiat scrutatores; ut proinde mirari debeat nemo, quod non obstante adeo diligenti sub Urbano facta historiarum, quæ breviario Romano continebantur, discussione inquisitione, aut eo, quod in approbatione novorum officiorum a S. Congregatione Rituum hodie adhibetur, examine, nonnulla postmodum a viris eruditis post iteratam de factis aut historiis illis discussionem judicentur, & evidenter ostendantur apocrypha, aut ut minus de falsitate admodum suspecta:* quorum exempla varia dein ibidem subnectit. Idem celebris Author etiam in J. E. U. P. I. T. XXII. cap. IX. §. 22. ita scribit: *Finis primarius Congregationis Rituum est ut illa invigilet, ne qui in officia divina irreligiosum, & eorum Majestati contrarium irrepat; cum vero illa constet viris eruditis, mirum est, quod in breviario Romano plurima adhuc reperiantur Apocrypha. Quid quod illud amplius mirandum subit a Congregatione Rituum officia sanctorum probari Breviario Romano jungenda incertis historiis & divina Majestate indignis referta. Admodum verisimile est, id contingere e nimia facili divinorum officiorum approbatione: ad unius enim* CARDINALIS RELATIONEM PERMITTUNTUR SEU APPROBANTUR, *ait Pater Daniel Papebrochius Jesuita, in conatu chronico-historico ad vitam S. Cleti Papæ; ibidem arguit ille eos, qui ex his, quæ similibus officiis inserta reperiunt suis opinionibus faventia, magni ponderis argumentum reperisse arbitrantur. Illud incommodum timendum non est in plurimis Galliarum Diœcesibus, siquidem aut vetera breviaria revisa sunt ac reformata, aut nova fuerunt instituta, in quibus nihil, quod sit apocryphum, deprehenditur.* Conf. e iam P. I. Tit. X[illegible] c. 21. §. 22. & seq. ubi multis demonstrat Breviarium ab Episcopis emendari posse, nec non sub finem T. I. Edit. Lov. 1753. inter monumenta p. 913. adfert rationes Facult. Theologiæ Parisiensis contra quorumdam propositiones, qui Breviarium secundum correctionem Concil. Trid. introducere cupiebant, antiquo usu breviarii Ecclesiæ Paris. penitus abrogato.

* Illa, quæ prius in officio S. Gregorii VII. in secundo Nocturno habebantur, quæque juxta illud, quod demonstravimus supra (§. 100. n. e.) facile cognoscuntur, quod rectæ rationi, sacræ scripturæ, praxi veteris Ecclesiæ, scriptis SS. Patrum & securitati publicæ adversa sint, in regno Neapolitano jam an. 1730. 23. Augusti prohibebantur ad relationem factam a Comite Aloysio de Harrach, cujus descendentes scilicet Excell. Comitis Ernesti de Harrach filios in jure universo instituendi facultatem, quæ mihi progressus ob insignem eorum habilitatem tam felici obtigit; omni die etiam hujus recordatione æstimo gloriosam. Eadem prohibitio Neapoli repetita fuit a. 1761.

29. De-

29. Decembr. Argumenta igitur & exempla (quibus nullus contradicet, nisi qui obedientiæ & reverentiæ ex naturalibus positivisque Dei legibus summo Principi debitæ ignorans est) similem circa hoc officium in festo Gregorii VII. apud Nos factam prohibitionem facile vindicant.

** Linguam vernaculam præoptat Fleury Hist. Eccles. Tom. XIII. Disc. præl. §. 24. in fin. & Lud. Ellies du Pin dans la biblioth. Eccles. Tom. XIV. pag. 118.

(*f*) Scilicet vel ex institutione a sede Apostolica approbata, vel consuetudine ducentos annos superante. Cl. de Riegger P. III. §. 78c.

§. 387. Si IX. inspiciamus canones, qui de diebus festis extant, facile nobis patescit 1. jam antiquissimos quidem esse illos canones, qui cultum diei dominicæ (*a*) & dierum Nativitatis & Circumcisionis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Ascensionis (*b*) porro festa aliquot in honorem B. M. Virg. (*c*) nec non festa Martyrum aliorumque Sanctorum, & annuam quoque celebrationem dedicationis Ecclesiæ (*d*) injungunt, 2. modum dies festos celebrandi, uti hisce canonibus præceptus est, in eo consistere, ut omittatur nihil, quod ad pietatem hujusmodi diebus speciatim manifestandam confert, atque adeo cuncta contraria removeantur (*e*), 3. iisdem canonibus neque nimium contineri numerum festorum (*f*), neque horum cultum adeo extendi, ut privato publicoque jure implenda necessitatis officia negligantur (*g*) ceterum autem 4. Ecclesiæ ac Reipublicæ Rectoribus determinationem festorum (*h*) atque etiam constructionem Calendarii, cui illa inseruntur, (*i*) relictam, atque a subditis observandam esse.

(*a*) Act. Apost. Cap. XVI. v. 13. Concil. Nic. Can. 20. L. 1. & 2. Cod. Theodos. de feriis. Baron. ad an. 58. n. 81. & 88. & ad an. 325. n. 115. S. Ambrosius serm. 63. S. Augustinus serm. 134. Hugo Grotius ad Matth. Cap. XXVIII. Just. Hening. Böhmer. ad Plinii Ep. 97. L. X. ad Traj. Imp. Adpellatio diei solis ab Ethnicis veniens potissimum in legibus Imperat. retenta conspicitur.

* Non tamen ita statim exolevit celebratio diei Sabathi ut eo Christiani non porro ullos habuerint pios conventus & non speciatim hac die orationibus vacaverint. Conf. Van-Espen Schol. in Can. 29. Synod. Laod. Idem demonstrat Just. Hening. Boehmerus Dist. de statu Christianorum die §. 3. & 4.

** Perpetuum *spirituale sabathum*, de quo in pluribus Ecclesiæ constitutionibus mentio fit (vid. S. Augustin. in Ep. 130.) consistit in eo operas terrenas peragendi modo, ut sancta societate inhæreamus Deo, & etsi non semper, perfrequenter tamen lectioni spirituali ac orationi insistamus.

(*b*) Conf. meus ordo Princip. P. II. §. 237.

(*c*) Thomassin. Tract. de celebr. fest. L. 1. cap. 5. n. 7. Præcipue festum *Annunciationis* tanquam festum *Incarnationis verbi* summa festivitate colebatur: vid. synod. Trull. can. 52. Concil. Tolet. X. sed & vid. Can. 79. synod. Trull., quo inhibitus est abusus sec. VII. occasione festi Purificationis B. M. V. enatus ignorantia plebis, quæ puerperium ejusdem Virginis honorabat. Conf. Van-Espen P. II. S. I. Tit. III. Cap. 6.

(*d*) Conf. Van-Espen P. I. Tit. XXII. c. 9. & P. II. S. II. Tit. I. cap. 4. Baron. ad an. 335. num. 41. & 341. Cent. 3. Magdeburg. Col. 83.

* Dies, quibus Martyres aut alii sancti obierunt, vocabantur eorundem *Natales*. Conf. Fleury L'Histoire Eccles. L. III. §. 48. sequ.

(*e*) Colebantur scilicet festa solemnitate missæ, lectione & expositione verbi divini, perceptione Eucharistiæ, recitatione divini officii aliisque piis precibus & sacro cantu. Imo ad instans festum jam nocturnis vigiliis sese præparabant, & choreæ spectacula ac conventicula in popinis quam maxime & severissime tempore sacrorum prohibebantur. Conf. Van-Espen P. II. S. II. Tit. II. cap. 2. & 5. in Diss. de instit. & offic. canonic. P. III. cap. 1. §. 1. in dissert. de horis canonicis P. I. cap. 3. §. 3. nec non in schol. ad can. 53. Ap. Can. Afric. 61. ac denique in observ. in III. P. Gratiani de consecrat. Dist. V.

(*f*) Quæ subinde aucto festorum numero contigere, de his jam diximus supra (§. 115. s. n.).

(*g*) Intuitu operarum a civibus præstandarum cumprimis adtendebant veteres sancita Imperatorum, vid. Concil. Gangr. can. 16. & seq. apud Van-Espen schol. in h. c.

(*h*) Designatio festorum apud veteres per Episcopos & Principes fiebat. conf. Harduin Coll. Concil. Tom. IV. col. 1015. Capitul. Caroli M. apud Baluz. Tom. I. L. II. cap. 35. 189. 190. Et sane quemadmodum summo Principi competit jus præcipuum religionem promovendi, ita Eidem etiam jus diem festum ad promovendam Dei gloriam, ad pœnitentiam agendam, ad publicas supplicationes in necessitatibus reipublicæ peragendas instituendi nemo negaverit, ac proin etiam quisque obligationem

tali Principis jussui in conscientia obediendi agnoscet ad Rom. XIII. 1. 2. 3. 4. 5. Cl. de Martini de Jure Civ. §. 204. De jure Principis festa Reipublicæ nociva reducendi pariter jam actum est supra §. 105. n. f.

(*i*) Calendarium apud Romanos erat liber, in quem nomina debitorum referebantur. Vid. Brissonius de verb. signif. voc. Calend. De more antiquo festa in Calendariis publici usus causa adnotandi vid. Concil. Ravennatense de a. 1311. c. 10. apud Harduin. Tom. VII. Concil. p. 1365. Et vetus quidem Ecclesia hac in parte usa est Calendario Juliano, scilicet per Julium Cæsarem confecto, ita tamen ut dein observarentur ea, quæ Patres Nicæni circa celebrationem Paschatis jussere, nimirum 1. Pascha celebrari hebdomade tertia mensis primi lunaris, nempe illius, cujus luna XIV. cadit aut in æquinoctium vernum, aut illud proxime sequitur, & quidem 2. dominica sequente æquinoctium vernum, quod 3. adfixum esset diei vicesimæ primæ Martii; vid. Christiani Bar. de Wolf. Principia Chronologica §. 76. & sequ. Verum ob ipsos errores hujus Calendarii antiqui, quo anni quantitas justo major assumpta est, nec novilunia recte indicata, pascha celebrabatur sæpissime longe aliis diebus, quam Patres Nicæni præcepere. Vid. Clav. in Calend. cap. 2. & 22. Hinc tentatam a pluribus emendationem (vid. exhortatio Petri de Alliaco Card. Cameracensis ad Concil. Constant. an. 1417. ap. von der Hardt Tom. III.) resumens Gregorius XIII. 1582. statuit, ut 1. ad restringendum æquinoctium vernum, quod intra spatium annorum 1257. seu a Concilio Nicæno usque ad annum correctionis a die 21. in 11. Martii recessit, eodem anno 1582. mense Octobri 10. dies omitterentur; ac proinde post diem quartum S. Francisco sacrum continuo tunc decima quinta numeraretur. 2. Ad evitandos similes deinceps errores illo seculo annus centesimus maneret intercalaris: postea vero singulis quatuor seculis tres primi anni centesimi diem intercalarem omitterent, & quartus annus centesimus eum rursus adhiberet. vid. Bulla Gregor. XIII. a. 1582. in Bullario M. Tom. II. Quæ emendatio anno 1583. ab Imperatore & statibus Catholicis recepta, urgebatur quidem eodem anno per edictum de 15. Sept. ut omnes reciperent, attamen ut Cl. de Riegger P. III. §. 685. advertit, resistebant Protestantes partim ob verba Bullæ: PRO DATA NOBIS A DOMINO AUTHORITATE *hortamur & rogamus charissimum in christo filium nostrum Rudolphum Romanorum Regem illustrem Imperatorem electum, ceterosque Reges Principes ac respublicas*, IIS DENIQUE MANDAMUS; partim propterea, quod eruditorum quidam etiam in hoc novo Calendario errorem non unum sibi visi sunt deprehendisse. vid. Scaliger de emend. temp. Strauchii Diss. de comput. Julian. Constit. Gregor. Linkii Diss. de Calendario; indeque in Germania cum summa in utroque foro confusione invaluit veteris & novi Calendarii usus, donec post conatus in recess. Imp. a. 1613. & 1654. incassum factos ad repetitas Mathiæ & Leopoldi Imperatorum exhortationes etiam Protestantes omissis anno 1700. a 18. Februarii diebus undecim ac Festo S. Mathiæ in 18. Februarii reposito mediam viam eligerent, quo facto quidem nondum differentia inter Catholicos & Protestantes circa celebrationem Paschatis cessavit, uti de hoc in Jure Ecclesiastico Patrio plura dicemus.

* *Memorabilis*, ait Cl. de Riegger l. c. est Gregoriani Calendarii *in Hungaria receptio*. *Nam quum a.* 1588. RUDOLPHUS *Rex suadente Pontifice Calendarii novi usum in Hungaria invehere studeret, status & ordines regni autem mallent, ut vetus Calendarium a tot jam annis observatum, & cui se tam pauperes, quam divites longo usu adcommodarent, in pristino suo statu permaneret, volentes tamen se piæ, & clementi suæ Majestatis admonitioni adcommodare, declararunt tandem se non refragari quidem, ut deinceps novi, & reformati Calendarii usus sit, hoc tamen per expressum declaratum esse velle, se illud nullius alterius, quam sola & unica regiæ suæ Majestatis authoritate in productum admittere. Hisce verbis conceptum esse legitur Rudolphi decretum IV. art. 28. in corp. Jur. Hung. T.* 1. *f.* 571.

** Ex ipsa Calendarii inspectione patet, ex *ordinariis* festis, quæ scilicet singulis annis redeunt, alia esse *immobilia*, quæ eodem stato die, seu uti dicimus, *dato* recurrunt, alia *mobilia* seu diverso die quot annis recurrentia.

*** *Extraordinaria festa* ex speciali causa extra ordinem certo die indicuntur.

**** Quæ plura de festis in Jure Ecclesiastico continentur, ad tractatum de feriis tanquam partem Juris consistorialis pertinent, atque etiam eo a me dilata sunt.

§. 388. Speciatim autem X. de veneratione sanctorum sacrarum reliquiarum atque imaginum in Jure nostro sancitum est, ut 1. cultus quidem sanctis atque beatis exhibeatur (*a*), 2. idem vero cultus seu *publicus* seu *privatus* sit (*b*) nequaquam illa instituatur ratione, quæ debetur soli Deo (*c*) sed potius ad hunc ipsum omnis sanctorum veneratio referatur, (*d*) & 3. uti in aliis, ita etiam hac in parte ad populum rite instruendum, atque eliminandas traditiones vulgares

(§. 24.)

(§.24.) omnis impendatur sollicitudo, (*e*) nullatenus etiam 4. cultus publicus tribuatur tali, qui auctoritate Ecclesiæ inter sanctos vel beatos non est relatus (*f*). Nec 5. reliquiæ sanctorum noviter inventæ absque summi Pontificis aut Episcoporum adprobatione (§. 182.) publicæ venerationi exponantur. (*g*) Nec 6. reliquiæ quæcumque, si sint *insignes*, alibi quam in Ecclesia; & si sint *minus insignes* in loco indecenti asserventur. (*h*) Universe autem 7. circa reliquias & venumdationes & superstitiones & figmenta evitentur (*i*) atque ita etiam 8. antiquissimus sacrarum imaginum usus (*k*) damnato tantum quovis abusu (*l*) conservetur.

(*a*) Concil. Trid sess. XXV. de invocat. & ven. & reliqu. Sanctor. & sacrarum imagin. (§.142. n. f.) Conf. Muratorius in opere cit. cap. 20.

* Ipsi Iconoclastæ probarunt invocationem sanctorum, ac specialiter Deiparæ virginis, quamvis eorum imagines non admiserint. Van-Espen. Diss. I. in synod. Nicæn. II. §. VIII.

(*b*) *Publicus* ille dicitur, qui authoritate Ecclesiæ nititur: *privatus*, qui privata fidelium devotione suscipitur.

(*c*) *Sancti aliud non sunt, ... nisi servi Dei; præcellunt quidem nobis summopere dignitate, sed respectu incomprehensibilis Dei Majestatis, fere nihilum putandi, infinite distante creatura a Creatore. Nolebant idcirco Veteres, & nolle nos quoque debemus, Sanctos Divos, id est Divinos appellare. Pius Cardinalis* Bellarminus, *in suorum librorum disquisitione, vocabulum* Divus, *ubi, de Sanctis loquens, e calamo suo manaverit, in* Sanctus *vel* Beatus *converti jussit. Alicujus Martyris vel Confessoris, aut alicujus Virginis nomine plurima quidem appellantur templa; sed revera templa & altaria soli Deo vero, in Ejus beati servi memoriam & honorem, dicata sunt ac consecrata. Dicitur etiam*, Missa hujus Sancti, *quum certum sit, Deo soli hostiam incruentam offerri, cum intentione tamen Ejus beati Servi memoria honorem persolvendi, at longe magis Deum ipsum laudandi & celebrandi, cujus gratias donaque in cœli sanctis habitatoribus reveremur. — Utinam nobis liceret sanctos alloqui & quærere, quid eis maxime cordi sit; omnes certo responderent unanimes: „ Ametur & laudetur Deus communis pater; hoc est unicum nostrum desiderium; qui Deo displicet, nobis non placet; candelæ, in altaribus accensæ, ludicrum, nisi cor ardeat amore Dei. " Sancti, utpote pleni gloria Dei, haud indigent nostris candelis vel ornatibus, quando istæ res non sunt nisi ad vanitatem, quod sæpius evenit, aut ad temporalia proposita comparata. Nequeunt Beati hujusmodi munera libenter excipere, nisi hæc Dei honorem promoveant, ac nostræ emendationi, eorumque virtutum imitationi, quodammodo inserviant. Allocutionis ergo defectu, consulamus eorum libros: ibi responsa, ibi consilia; ibi sancti mores, qui adhuc vigent, & quibus pii ac docti conscientiæ moderatores nos instruent. Hi revera devotionem in Sanctos commendabunt; & ut ad eos confugiamus, hortabuntur: sed potissimum acclamabunt, imprimis oportere, ut illi veræ idoneæ devotioni animum applicemus, quæ sola ad Cœlum ducit, & sine qua ad cœli ripam nunquam appellemus. S. Franciscus* de Sales *ad devotionem in Sanctos, præsertim in B. Virginem, paucis hortatur: in tota vero ejus salutaris libri reliqua parte diffuse loquitur de essentia veræ Devotionis, & de mediis ad eam acquirendam idoneis.*

* Cultus conveniens Sanctis & Beatis vocatur cultus *Duliæ*, quatenus nempe opponitur cultui *latreutico*, qui soli Deo debetur. Cl. de Riegger l. c. 826.

(*d*) S. Thomas 2. 2. q. 72. art. 2. S. Hieronymus in Ep. ad Riparium.

(*e*) *In devotione erga Sanctos*, prosequitur Muratorius l. c. *introducuntur abusus quidam, & transgressus, qui communiter ex stupida plebe falso cogitante antiquitus oriebantur. De his aliquid dicam. Vulgus protectorem habet contra ignem; præsertim ad armentorum greges servandos, Abbatem* Antonium, *quia picta ejus effigies ita rem explicat. Nonne illum videtis manu flammam gestare, (ait stultus pastor), & porcum ad ejus pedes confidentem, signum, quod ille super ignem constitutus est? Nonne omnibus patet, manere sub ejus præsidio* porcos, boves, equos, pecora, capras? *At quisque sciens homo huic stulto dixerit: Flamma, quam Sanctus Abbas manu gestat, vehementem ejus amorem Dei & proximi indicat; porcus ad pedes, voluptatum conculcationem; campanula ad baculum, vigilantiam & indefessam perseverantiam in oratione. Sed hæc omnia incassum. Vulgus sic concepit animo; & Festum S. Abbatis, ubi præceptum non est, celebrat, eoque die ab omni labore abstinet: timendum enim ne, Festo illo neglecto, pecus periclitetur, & domus conflagret; perinde ac si Sancti indigentur, & velint homines, labore victum quæritantes, a labore abstinere. — Quamvis destinatio alicujus Sancti Protectoris in hac vel illa necessitate haud sit penitus rejicien-*

cienda, certum tamen est, ipsam absque ullo fundamento in stultorum Christianorum cerebro coaluisse, qui in hoc putaverunt se recte facere quod Ethnici cum falsis eorum Diis inepte paciscebantur. Veritas hæc est: Quilibet Sanctus, qui gloria cœlesti fruitur, potest in qualibet infirmitate invocari, ac Deum exorans, nobis auxiliari. Errat, qui aliud credit, ait Navarrus, *ac hodierno tempore, quo populus est bene instructus, haud facilis hic error. Qui itaque peculiari alicui Sancto suam commendat caussam, scit aliorum quoque Sanctorum æqualiter validam esse intercessionem. Sunt autem subinde qui principale Christiani officium in Devotione in Sanctos quodammode fundant; dum iis, qui eorum instructione aut consilio gaudent, identidem commendant tum novendiales, tum triduanas devotiones, peculiaria Festa, ornatus imaginis illius Sancti, qui magis istis opus est, quam aliis qui idem faciunt; ac unusquisque virtutem, sanctitatem & potentiam Sancti sui super alios extollens, ex ejus protectione temporalia omnia & spiritualia bona promittit. Re ipsa laudabilis est electio alicujus Sancti in peculiarem nostrum intercessorem: sed cur hi & illi tam avide quærant, ut concursus ad eorum Sanctos major fiat, non dicam: hoc unum assero, nempe, eam devotionem, quæ ad veram non ducit, idest, ad illam quæ facit ut Deum amemus, Deo in sanctitate & justitia serviamus, proximumque diligamus, speciosam esse corticem sine nucleo; quinimo superstitiosam penes illum qui speret fore ut sub talis Sancti protectione temporalem ac æternam felicitatem consequatur, absque illa substantiali devotione & pietate, quæ verum Christianum efficit, & cui Sancti maximam dederunt operam.*

* Speciatim ad abusus a cultu B.M.V. removendos ita scribit laudatus Muratorius: *Sciat populus unam esse Dei Matrem, & si variis titulis a variis Ecclesiis & fraternitatibus appellatam, & æqualiter in monte Carmelo ac in Rosarii templo venerandam. Gloriosa in Cœlo habitat, semper promta ad intercedendum pro iis qui eam ex vero corde invocant. Non titulus aut locus facit eam nobis benevolam, sed pietas illius qui ad ipsam confugit; quæ tamen pietas, major in uno, quam in alio loco, fieri potest: Et hæc est ratio, quare ante celebriores munificas Imagines major gratia speranda sit, dum nos, non consideratione loci, sed ob majorem nostram fidem, fiduciamque, nostræ precis exauditionem in præsenti necessitate nonnunquam obtinemus. Neque desunt stulti, qui, devotione absurda, Dei Matrem Immaculatam, & alios Sanctos, Divino Redemptori anteferre videntur; deserentes Processionem Dominicam, ut illi B. Virginis intersint.* Vid. etiam celebr. Casparis laudatæ Vindiciæ adversus Sycophantas Juvavienses.

** Conf. *Instructio de Imaginum Cultu, publica concione, in S. Ulrici templo, die Visitationis B.V. Mariæ habita ab Archiepiscopo Vindobonensi, S.R. Imperii Principe, ex Comitibus de Migazi, &c. &c. Vindobonæ, per Jos. Kruchten 1761.* Quod insigne pastorale factum ceu ipsum authorem & Pastorem Eminentissimum omni tempore venerabimur.

(*f*) Vid. circa hoc & sequentia Concil. Trid. sess. XXV. Decret. de invoc. vener. reliqu. cap 3. de reliqu. & ven. sanct. Cl. de Riegger. l. c. §. 895.

(*g*) Cl. de Riegger l. c. vid. quoque Barbosa de officio Episcopi allegatione 96. n. 1. monens cap. cit. derogatum esse per Concil. Trid. quod Episcopis authoritatem similes reliquias adprobandi restituit; nec non Van-Espen, obs. in can. 62. Concil. Lat. IV.

(*h*) Cl. de Riegger. l. c.

(*i*) De hoc argumento ita scribit Van-Espen. in *Observ. in* can. 62. Concil. Lat. IV. *venalitas reliquiarum quæstui subserviens, vetus est in Ecclesia malum. De quibusdam falsis Monachis, quos circumcelliones vocat S. Isidorus Hispalensis, scribit ipse: Alii Membra Martyrum (si tamen membra Martyrum sunt) venditant. Lib. 2. de Eccles. off. cap. 15. Eandem execrabilem nundinationem hisce falsis Monachis attribuit S. Augustinus Libro de opere Monachorum cap. 28. & in codice Justinianeo Lib. 3. de S. S. Eccles. contra hunc abusum Decretum legitur: Nemo Martyres distrahat; nemo mercetur. Rodulphus Glaber Lib. 4. Hist. cap. 3. narrat de quodam sui temporis blaterone circumforaneo, quod ossibus mortuorum, quæ a sepulchris eruebat, varia sanctorum nomina imponens superstitiosos ac simplices homines passim deciperet, emunctis eorum marsupiis. Scribit quoque S. Gregorius Lib. 3. Epist. 30. quod quidam Monachi Græci deprehensi sint, qui mortuorum corpora in campo jacentia effoderent, atque eorum ossa reconderent, servantes sibi, dum recederent. Qui diligenter discussi, cur id facerent, confessi sunt, quod illa ossa ad Græciam essent tanquam sanctorum Reliquias portaturi. — Cæterum quod spectat ad Reliquiarum recognitionem & approbationem curamque circa religiosum earum cultum, illud semper fixum manet, quod sollicite sinceritas ac veritas reliquiarum examinanda & inquirenda sit: ut quantum possibile est, præcaveatur, ne falsæ pro veris passim subrepant; earumque inde Religiosa veneratio in contemptum veniat. Ad hæc studiose caven-*

ven-

vendum, ut ab earum cultu omnis superstitio & irreligiosa veneratio, ac præcipue omnis turpis quæstus, & mercimonia longe absint. Et quamvis hodie non videamus sacras reliquias publice venales circumferri, quin tamen non raro in earum cultu turpis quædam mercimonia se immisceat, non dubium. Recte enim notat hic Panormitanus, duplicem venalitatem circa sanctorum reliquias esse prohibitam. Prima est, cum vere venduntur accepto pretio. Secunda, cum exponuntur causa quæstus, ut habeantur largiores oblationes. Hæc enim est quædam larga venditio. Itaque merito statuit præsens Canon, ut Prælati non permittant eos, qui ad eorum Ecclesias causa venerationis accedunt variis (C. vanis.) figmentis, aut falsis documentis decipi, sicut in plerisque locis occasione quæstus fieri consuevit.

* Complures synodi & sacri Antistites nostræ Ecclesiæ apud Van-Espen. P. I. Tit. XVI. cap. XII. leguntur statuisse: *Si Episcopus videat, eam esse populi sui circa aliquas sanctorum Imagines aut reliquias inordinatam devotionem, ut ex externo agendi modo sat appareat, honorem S. S. Sacramento debitum ad sanctorum imagines potius, quam ad ipsum Venerabile referri; idque etiam non raro cum summo hæreticorum scandalo; poterit Episcopus præcipere, ne cum ipso Venerabili sanctorum imagines aut reliquiæ circumferantur.*

** De antiquitate ritus, ut sine reliquiis altaria non consecrentur, infra occasione sacrarum rerum erit dicendi locus.

(*k*) Optimum est, ut etiam hic loquar ipsissimis verbis Van-Espen P. II. sect. II. Tit. I. c. 2. *Tribus quidem ut minus seculis nullum aut rarum fuisse in Ecclesiis Christianorum sacrarum imaginum usum, aut externum cultum fatendum est. Id autem eo creditur contigisse consilio, ne Gentilibus aut etiam Judæis occasio daretur suspicandi, Christianos idola, sive idololatriam non tam deseruisse, quam immutasse. Id jam pridem annotavit sanctus Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis in libro de imaginibus num. 19. scribens: Si enim sanctorum imagines, qui dæmonum cultum dereliquerant, venerari juberentur, puto quod videretur iis non tam idola reliquisse, quam simulacra mutasse. Accedebat, quod per externum imaginum & notanter statuarum cultum recenter ad fidem christianam e gentilismo conversis occasio daretur, rursus in assuetum idololatricum cultum incidendi, sive ad eum revertendi. Hanc in rem observatu dignum est, quod narrat D. Fleury lib. 7. suæ Historiæ num. 54. quod Russii primo conversi a gentilismo ad christianismum, per Monachos Corbienses in Saxonia rursus in Idololatriam & gentilismum relapsi fuerint occasione Cultus S. Viti, ejusque imaginis, eamque vertisse in suum Idolum, quod vocarunt Suantovis. Occasione hujus eventus monet Vir clarissimus. Ita periculosum est idololatris recenter conversis proponere cultum sanctorum eorumque imaginum, priusquam plene fuerint in notitia veri Dei. Vix dubium, quin ad eam primis seculis pene necessariam disciplinam & cautionem reflexerit synodus Eliberitana statuens Canone 36. picturas in Ecclesiis esse non debere, nec quod colitur, aut adoratur in parietibus depingi. Verum postquam sub Constantino Magno; ac sequentibus Christianis Imperatoribus Gentilismus suas amittere cæpit vires; ipsique Christiani adversus idololatriam sat instructi, & roborati viderentur; sensim quoque sacrarum imaginum usus, earumque cultus apud Christianos admitti & recipi cæpit: nec tamen ubique eodem tempore, nec pari ritu hic usus & cultus admissus, vel probatus fuisse scitur. Et quidem scitur, apud Græcos saltem seculo VI. aut VII. usum & cultum sacrarum imaginum receptum fuisse; atque seculo VIII. ita fuisse probatum & stabilitum; ut & illarum partium sanctissimi Episcopi, eum adversus Iconoclastas, sive confractores imaginum, etiam cum profusione sanguinis asserere, & propugnare non dubitaverint. Sed & illud constat, quod isti acerrimi sacrarum imaginum propugnatores, omnem etiam studuerint adhibere cautionem, ne occasione usus aut cultus imaginum populus in cultum idololatricum incideret. Hac de causa noluerunt admittere usum aut cultum statuarum, uti habetur ex Epistola sancti Germani Patriarchæ Constantinopolitani ad Thomam Episcopum Claudiopolitanum: eo, quod statuæ nimiam cum idolorum simulacris similitudinem habere viderentur; & quasi ideam simulacrorum oculis intuentium objicerent: asseritque Molanus in historia sacrarum imaginum etiamnum hodie statuarum usum vel cultum apud Græcos non admitti. Hoc exemplo docemur, subinde certarum imaginum*, aut statuarum usum e templis esse amovendum, tametsi earum usus aut cultus in se non esset illicitus; si prævideatur ex earum usu & cultu periculum superstitiosi & idololatrici cultus populo imminere. Quo vero tempore usus sacrarum imaginum in Ecclesia Romana cæterisque Latinæ communionis Ecclesiis fuerit receptus, non satis constat. Hoc scitur, eum fuisse admissum ætate S. Gregorii, uti patet ex binis ejus Epistolis ad Serenum Episcopum Massiliensem: e quibus quoque intelligitur, quæ fuerit eo tempore earum Ecclesiarum circa hunc usum disciplina. — Hanc a sanctissimo Pontifice circa imaginum usum & cul-*

cultum expressam, & probatam disciplinam, summo cum applausu amplexæ fuere Gallicana, aliæque occidentales Ecclesiæ; atque per duo ut minus secula tenacissime retinuerunt, ut nimirum usum sacrarum imaginum ad instructionem fidelium retinendum censuerint; sed ab earum adoratu, sive cultu omnino abstinendum existimarint. Et quidem huic disciplinæ circa usum sacrarum imaginum, circa exteriorem adoratum, sive cultum, adeo constanter inhærendum existimarunt Galli, aliique Latinæ Communionis Episcopi, ut nec auctoritate synodi apud Nicæam an. 787. celebratæ, nec auctoritate Romanæ Ecclesiæ, quæ conformiter ad decretum hujus synodi exteriorem cultum, & adorationem sacrarum imaginum admiserat, adduci potuerint, ut a sua disciplina recederent, & cultum, seu adorationem sacrarum imaginum probarent vel admitterent — ceteroquin *certum est, quod tametsi Gallicani aliique Latinæ Communionis Episcopi honorariam adorationem, exterioremque cultum sanctis imaginibus impendendum non judicarent, nequaquam tamen omnem eam adorationem, aut cultum per se esse superstitiosum, aut idololatricum crederent; sed scandalum pusillorum, & imperiti vulgi duntaxat præcavere intenderent. — Sed tamen varietas circa usum & cultum sanctarum imaginum, quæ eo tempore inter Ecclesias intercedebat, Ecclesiarum illarum Communionem scidisse non legitur. Neque enim ignorabant Romani Pontifices & Episcopi circa usum & cultum imaginum variam posse esse, salva fide, Ecclesiarum disciplinam: Nam uti recte notavit Dionysius Petavius lib. 15. Theolog. Dogmat. cap. 13. imagines ex earum rerum genere sunt, quæ indifferentes nominantur, hoc est, quæ ad salutem omnino necessariæ non sunt, nec ad substantiam ipsam Religionis attinent; sed in potestate sunt Ecclesiæ, ut eas vel adhibeat, vel ablegat, pro eo atque satius esse decreverit. Quo vero tempore Gallicana cæteræque occidentales Ecclesiæ honorariam Adorationem, & exteriorem cultum sanctarum imaginum, conformiter ad Decretum VII. synodi, nec non praxim Ecclesiæ Romanæ receperint, non æque certum est.*

* Cœpit Iconoclastarum secta initio seculi 8vi sub Leone Isauro, quem & in Imaginum & eas colentium persecutione Constantinus Copronymus & Leo IV. sunt imitati. Conf. Van-Espen Differt. in Synod. Nicæn. II. ubi etiam ea, quæ Iconoclastæ ex Scriptura, monumentis S. S. Patrum, & traditione quærebant patrocinia, refutata legi poterunt.

(*l*) Conf. Van-Espen P. II. S. II. Tit. I. cap. 2. ubi adducuntur sanctiones Ecclesiasticæ, quibus prohibentur imagines 1. seculariter comtæ 2. venustate procaci pictæ 3. quidquam exprimentes veritati scripturarum, traditionum aut Ecclesiasticæ historiæ adversum 4. habentes subscriptam, aut saltem ipsa pictura indicatam promissionem sub conditione certi cultus etiam certæ liberationis animæ cujusdam e purgatorio; aut propriæ æternæ salutis; aut mortis non subitaneæ; & migrationis ex hac vita non sine sacramentis futuræ; aut cujuscumque demum rei certo obtinendæ &c. &c.

* Enimvero Deus 1. actionibus internis externisque 2. supra omnes, ergo etiam 3. externo cultu, qui nullius creaturæ cultum sibi æqualem habeat, sed omnem longissime superet, est colendus. Subnecto his denuo verba Muratorii l. c. cap. 23. *Sæpius videmus hunc magnum Deum publicæ adorationi, paucis accensis candelis, expositum, & super idem altare Imaginem alicujus Sancti, nonnullasve Reliquias majore luminum pompa circumdatas. An decet, ut Dominus Dominantium servi sui famulus videatur? Hujusmodi abusus directe repugnant Romanæ Ecclesiæ Agendis, multisque aliis Sum. Pontificum ordinationibus: omnis vigilans Episcopus has vetat & alias hujusmodi transgressiones, in quas facile cadunt qui tantummodo ad eorum Sanctum extollendum intenti, in domo Dei absurdas novitates comparant; & nihilominus tam clara mandata sacra publice posthabita videmus. Præcipuum est Mandatum seduli Pontificis* Clementis XI. *die* 20. *Jan.* 1705. *Romæ editum, sic jubentis*: " *Quum Hostia Eucharistica publicæ adorationi exponitur, omnes illius altaris imagines obtegantur, nullæ reliquiæ, effigies statuæve super illo ponantur, multo minus quæ Purgatorii animas effingunt, ut nullo pacto aliquid ex iis cerni possit* ". *Utinam hujusmodi salutaria jussa ubique gentium cognita fiant, illaque omnes & singuli pie ac solicite exequantur!*

** In laudata dissertatione Camilli Blasii Auximatis de festo Cordis Jesu Romæ impressa, & adprobata cap. 49. & 59. demonstrantur causæ, ob quas *proscribi meretur etiam imago, quæ cor Christi intestinum per scissi pectoris hiatum visendum satis immodeste & contra rei ipsius veritatem exhibet, nec non imago repræsentans solum cor cruci affixum. Imagini Cordis Jesu præferenda cum Apostolo imago crucifixi.*

*** Non vereor, ne incuses, quod tot longioribus Van-Espen & Muratorii locis de verbo ad verbum exscriptis paginas hujus operis multiplicaverim. Fateor ipse, hæc quæ dicenda erant, sæpe paucioribus verbis propriis a me dici potuisse; verum 1. potius alienis tantorum virorum verbis in paginarum exilitatem, quam verbis meis in quidcumque offendere volebam

lebam, 2. loca a me exscripta adeo judicavi considératione digna, ut non cujusvis arbitrio relinquere voluerim ea in ipso Fonte aperienda; cumque ea ipsa semper oretenus adposuissem, commodum non osse non potest 3. ut hisce etiam Typis statim inserta habeantur, denique 4. ubi summo Augustissimorum nostrorum Principum beneficio ipsa collegia Juris nulli faciunt sumptus, quomodo in considerationem venire poterunt ea, quæ in aliquot plures paginas sunt impendenda? Minime omnium vero mihi dicatur, ejusmodi ad aliam potius quam ad nostram scientiam pertinere. Etenim dum ea non nisi sub ratione Canonum exponimus, dum canones de iis quam plurimi extant, dum eadem cum hisce canonibus etiam a Van-Espen in Jure Ecclesiastico tractantur, neque etiam in ulla alia jurisprudentiæ parte hæc tractari solent, jam hac ex parte salvi sumus, verissimumque est ex parte altera: ad formandos viros Ecclesiæ & reipublicæ utiles in quibusvis moralium disciplinarum scriptis atque cathedris hæc nunquam satis inculcari posse.

§. 389. Æstimationem sacrorum Ecclesiæ nostræ rituum ut & cordi sumamus & promoveamus apud alios, eo ipso opus est, quod circa illam nostrorum canonum tenore XI. notari volumus; nempe, 1. inculcandum esse populo, absque læsione unitatis fieri posse mutari ritus, quantumvis antiquitate venerandos, ubi id convenire visum fuerit (§. 272.) (*a*) 2. judicium hac in parte esse quidem penes Episcopos (§. 273.) (*b*) ita tamen, ut jura summorum Principum divina lege & veteris Ecclesiæ praxi stabilita salva maneat (§. 101. n. k.) 3. veluti varietas rituum non officit unitati fidei, ita obligationem esse uniuscujusque, ut ritus suæ Ecclesiæ servet (*c*) præcipue etiam circa quasdam observantias populi (*d*) Processiones (*e*) peregrinationes (*f*) & confraternitates (*g*) (§. 105. n. e.) omni studio adlaborari debere, ne interveniat abusus, aut qui intervenere, ut sensim sine sensu & potissimum sedula & sincera instructione minuantur (*h*).

(*a*) Conf. Van-Espen P. II. Sect. I. Tit. II. cap. 1. §. 30.

(*b*) I. ad Cor. XI. 34. S. Augustinus Ep. 54. §. 8.

(*c*) *Ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam Tibi.* S. Aug. Ep. 54. num. 3. vid. Cel. Ep. 36.

(*d*) *Præcipue* ait Van-Espen P. III. Tit. IV. cap. 5. *attendere debent pastores, & allaborandum erit circa observantias, e quibus non tantum populus sperat conservationem aut recuperationem rerum temporalium, aut vitæ humanæ, sed insuper emolumentum aliquod in Ecclesiasticos aut eorum Ecclesias vel communitates ex iis redundat. Incredibile enim est, quam facile similes observantiæ etiam evidenter superstitiosæ invalescant: & cum invaluerint, quam difficulter aboleri queant. Dum similium observationum abolitio tentatur, imo vel in quæstionem deducitur, mox clamores in populo excitantur, quasi ipse religiosus Sanctorum vel imaginum aut reliquiarum cultus, aut probatus ab Ecclesia ritus abolendi essent: nihilque nisi zelus avitæ religionis retinendæ auditur, & auribus popularibus inclamatur; quibus excitatus populus clamat non secus atque clamabat Asiæ populus: Magna Diana Ephesiorum, excitatus a Demetrio & sociis ejus, specie venerationis in Dianam ejusve templum: sed re ipsa, quia Demetrius argentarius faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum: quos convocans (ait sacer Textus) & eos, qui hujusmodi erant opifices, dixit: viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio. Act. c. 19. v. 24. 25. si attendas genuina motiva eorum, qui maxime solent populum contra abolitionem harum observationum, & adversus Episcopos & pastores earum abolitionem meditantes excitare, indubie patebit, eos non absimili motivo duci, quo Demetrius ejusque socii pro conservatione venerationis Dianæ ejusque templi, contra Paulum & Apostolos seditionem excitabant: Quia de hoc artificio est nobis acquisitio. Act. c. 19. v. 25.*

(*e*) Propter commissos abusus statuit a. 1536 Synodus Coloniensis, ut Processiones ante hac extra Ecclesiam *per agros & campos habitæ de cætero intra septa Ecclesiarum religiose fierent, ac ut in templo, loco precationibus peculiariter dedicato, oretur Deus, habeaturque tum pius rei ac tempori conveniens commonitorius sermo*. Van-Espen P. I. Tit. XVI. cap. 12. §. 21.

(*f*) Conf. Fleury Disc. in Hist. Eccles. III. §. 5. & VI. §. 1. 2. 3. 4. ubi post plura de expeditionibus & peregrinationibus in terram sanctam relata porro ita scribit: *Quantacumque demum sanctis hisce locis veneratio debeatur, Religio Christi Domini iisdem non est alligata, prout ipsemet nobis declaravit dicens: quia venit hora, quando neque in mon-*

monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem, sed ubivis in spiritu & veritate: Atque ad corrigendum illum erga certum locum ac templum materiale Judæorum affectum voluit, ut Hierosolyma destrueretur, nec permisit unquam, ut templum reædificatum fuerit. Æquivoce loquitur, quisquis Palæstinam vocat hæreditatem Domini, ac terram populo suo promissam: expressiones ejusmodi in sensu proprio & literali non nisi veteri testamento conveniebant, ac novo in figurato solum sensu applicari possunt. Hæreditas, quam Salvator noster sanguine suo acquisivit, est Ecclesia ejus ex omnibus nationibus congregata, & terra, quam eidem promisit, est patria cælestis; parati esse debemus ad vitam pro isto ponendam, hoc vero exequimur, dum omnis generis persecutiones, tormenta ac mortem potius sustinemus, quam eum abnegemus, & gratiam ejus amittamus: nullibi nobis præcepit infideles armis invadendo nostram exponere vitam, & si permissum est Martyres appellare eos, qui contra infideles decertando occubuere, id bello pro religione unice suscepto convenit. Quingenti & ultra anni, ex quo saraceni Palæstinam acquisiverant, usque ad primam expeditionem S. effluxerunt, & non video, quod religio christiana in genere magnam exinde defectionem passa fuerit, nec quod postea magis floruerit, deprehendo. Denique exprobrationes, quæ in Principes expeditionem sacram comitari detractantes vibrabantur, in eorum quoque prædecessores aliosque Principes maximo erga Religionem zelo animatos cadebant.

(*e*) Dividunt confraternitates in *laicales & ecclesiasticas*; de istis tantummodo, non de illis, nisi quatenus potissimum sibi propria sacella & officia divina in Ecclesiis habent, atque eatenus ceu ecclesiasticæ tum spectari queunt, nobis sermo est. Et quidem si sub confraternitatibus quæcumque collegia religionis ergo instituta intelligantur, ejusmodi jam fuere tempore gentilium, uti patet ex l. 1. ff. de collegiis & corporibus, vid. Gethofredus ad hanc legem not. 8. 1. In Ecclesia autem christiana jam etiam seculo 9no de iis Concilium Nannetense can. 15. conquerebatur. Varii confraternitatum institutarum fuere fines, eo generatim reducendi, ut *plures in unum confœderati & arctiori vinculo colligati mutuo exemplo ad pietatis opera excitentur, & mutuis precibus, & bonis operibus juventur*. Uti Van-Espen P. III. S. IV. Tit. VI. cap. 6. refert. *Ægidius Carlerius Decanus Cameracensis coram Patribus Concilii Basileensis refutans errores Bohemorum, qui ipsum confraternitatum institutum reprobabant, rectum finem earum his verbis exposuit. Non sunt de se illicitæ confraternitates ipsæ, imo honestatis titulum habent, & parere possunt fructum. Nam frater, qui juvatur a fratre, est quasi civitas firma; Proverbiorum 18. Licet enim suffragia Ecclesiæ prosint omnibus in unitate ejus existentibus ex parte caritatis, quæ non quærit quæ sua sunt, sed omnia communia, ut dicit Apostolus 1. Cor. c. 13. v. 5. tamen ex parte intentionis, his quibus applicantur, prosunt magis quam aliis. Et per hoc institutæ, concessæ vel permissæ sunt confraternitates ipsæ*. Recensentur apud eundem Authorem constitutiones Ecclesiasticæ, per quas injungitur, ut 1. nulla confraternitas sub prætextu cujuscumque privilegii sine licentia Episcopi erigatur, veluti est Bulla Clementis VIII. quæ incipit *Quicumque*. 2. ut statuta confraternitatum & approbationi & correctioni ordinariorum subjaceant. 3. ejusmodi tempori & loco conveniant, veræ ac solidæ pietatis opera præscribant, ne quidquam contineant, quod officiis publicis & necessariis Religionis officiat, vel ipsis forsan confratribus periculum aliquod peccati ingerere posset. 4. Juramenta super observatione hujusmodi statutorum nec præstentur nec exigantur. 5. Exercitia confraternitatum publicis Ecclesiarum parochialium officiis non obsint. 6. Episcopi confraternitates visitent, etiamsi sint in Ecclesiis Regularium, prætereaque 7. aliquis designetur, qui invigilet confraternitatibus; in iisdem nec 8. comessationes tolerentur, nec 9. quæstus illiciti; 10. eliminentur etiam, quæ in quibusdam libellis confraternitatum occurrunt abominandam superstitionem; vanam fiduciam aut quasvis vulgares traditiones (§. 24. 378.) foventia; promittentia sub certo numero Missarum vel precum certam e purgatorio liberationem, exorbitantesve indulgentias continentia.

(*b*) Per sedulam nempe, sinceramque instructionem adlaborari debent duo. 1. ut ritus, quos Ecclesia adhibet, populo rite exponantur & commendentur. 2. ut in eos invehatur abusus, qui ex ignorantia & superstitione intervenere. Conf. meus ordo Princip. Pars II. §. 244. ubi & indicantur loca, demonstrantia antiquitatem *benedictionum*, quæ in nostra Ecclesia apud certas personas, certas res simpliciter humano usui destinatas, & res cultui divino consecrandas adhibentur.

* Ritus Purificationis post partum, de quo in Lib. III. Decret. Titulus XLVII. habet, nequaquam hodie lege injungitur, ceu olim in in veteri testamento præceptus erat. Levit. XII. sed feminarum devotioni relinquitur. Conf. Dist. V. can. 2. cap. un. cit. Tit. capitular. Caroli. M. L. VI. cap. 207. Gonzalez ad cit. cap. un.

§. 390.

§. 390. Ad intelligenda XII. ea, quæ de observatione jejuniorum in constitutionibus Ecclesiæ nostræ habentur, sciendum est 1. dum Ecclesia nostra requirit *jejunium naturale* veluti in sumtione Eucharistiæ (§. 380. n. I.) sub eo intelligi abstinentiam ab omni prorsus cibo (*a*) 2. dum vero simpliciter *jejunium Ecclesiasticum* injungitur, abstinentiam a pluribus refectionibus & certo ciborum genere præcipi (*b*) 3. jejunium prout hodie in Ecclesia nostra observatur, initio spontanea fidelium pietate, dein consuetudine hujus illiusve Ecclesiæ particulari, posthac consuetudine universali, & demum expressis etiam legibus, ob fervorem tepescentem perlatis; introductum & firmatum fuisse (*c*) 4. ipsum tamen modum jejunandi, ut etiam modum abstinendi a carnibus non ubique eundem, atque adeo in quavis provincia ejus consuetudinem servandam esse (*d*). 5. ad abstinentiam a carnibus teneri omnes christianos septimum ætatis annum egressos, si non dispensationem sint consecuti (*e*) 6. ad jejunium autem obligari omnes, qui annum vigesimnm complevere (*f*) si non ob impotentiam (*g*) aut laborem (*h*) aut pietatem (*i*) aut aliam justam causam per Ecclesiæ Antistites probatam ipsis dispensatio concessa (*k*).

(*a*) Cl. de Riegger P. III. §. 837. & sequ.

(*b*) Vid. Dist. IV. can. 4. & Dist. III. de consecr. can. 10. Jejunium igitur Ecclesiasticum continet tria, 1. abstinentiem a carnibus, 2. unicam refectionem, 3. tempus pro hac refectione præscriptum, quod olim fuit vespertinum, seu post occasum solis, subinde autem ita mutatum, ut hodie hora circa meridiem ordinaria soleat cibus sumi, & vesperi collatiuncula permittatur. Cl. de Riegger l. c. Nequaquam vero existimes hisce legibus satisfieri, siquidem abstinentiam a carnibus observetur & statuto tempore unica refectio materialiter sumatur, scilicet per modum unius refectionis sese tamdiu cibis relinquendo, ut etiam piscium esus *non infirmitatis solatium, sed luxuriæ pariat incendium — abstinentiam a carnibus sumptuosioribus marinarum belluarum conviviis præparatis studiose supplendo — vinum quoque usque ad ebrietatem bibendo*; videatur de hisce omnibus cit. Dist. IV. can. 6.

* Diu jejunium quadragesimale fuit protractum ad *vesperum*; jejunium vero feriæ quartæ & sextæ finiebatur *Nona* seu tertia nostra pomeridiana, & quidem jejunia, quæ *Nona* cessabant, dicebantur *dimidiata*, *quæ* autem pertracta *ad vesperam*, *plena* nuncupabantur.

(*c*) 1. Certum sane non habetur, quando cœperit jejunium quadragesimæ (§. 24. n. 2.) uti hodie observatur, atque num ab horis, num a diebus, num ex alia ratione quadragesimale dicatur.

2. Neque scitur etiam certo, quando cœperint jejunia quatuor temporum, quamvis intelligamus ex canonibus ea pridem in hunc finem invaluisse, ut pia corporis castigatione & pœnitentiæ operibus a Deo digni Ecclesiæ Ministri impetrentur, atque ideo etiam extra hoc jejuniorum tempora ordinationes non facile admissas fuisse (§. 294.)

3. De jejuniis quoque hebdomadalibus non certum initium novimus; solum certi de hoc, quod illa initio die mercurii & veneris fuerint, subinde autem in Ecclesiis occidentalibus jejunium feriæ quartæ in sabathum translatum, & denique hæc hebdomadalia jejunia ad solam abstinentiam a cibis restricta sint.

4. Denique circa reliquorum jejuniorum originem scimus, ea ideo introducta fuisse; ut animi fidelium adimminens aliquod festum præparentur & nomen *vigiliarum* hisce jejuniis remansisse, quamvis abolitæ sint nocturnæ illæ vigiliæ, quæ iis quondam adjungebantur. (§. 387. n. c.).

* Vid. can. 11. Dist. XII. cap. fin. de observ jejun. Tertullianus de jejun. cap. 2. Origenes. Hom. X. in Levit. Clemens Alexand. Strom. Lib. VII. cap. 7. Socrat. Hist. Eccles. L. VII. cap. 22. Euseb. Hist. Eccles. Lib. V. cap. 24. Cassian. Collat. XXI. cap. 24. 25. 30. Sermones S. Leonis de jejun. quatuor temp. Gelasii Ep. 6. ad Episc. Lucan. Cap. Reg. Franc. Lib. VI. cap. 168. Benedictus XIV. de synod. Diœc. Lib. VII. cap. 54. Hospinian. de orig. fest. cap. 7. Van-Espen P. II. Tit. IX. cap. 4. & in can. 69. Apost. P. Zech. de jur. rer. sect. II. Tit. XXI. §. 448.

** Qui adversus antiquitates jejuniorum afferri solent canones, tantummodo probant, illos antiquitus condemnatos fuisse, qui abstinebant a carnibus tanquam ab immundis, aut jejunium diebus dominicis & festis ex mera contumacia & quodam pharisaico singularitatis spiritu aliis jejuniis Ecclesiasticis substituebant. Conf. Van-Espen in can. 19. Grangrens. in can. 53. Apost. can. 13. Ancyr.

(*d*) Præcipitur quidem in Dist. IV. can. 6. *ut quibus diebus a carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, jejunemus: a lacte videlicet caseo & ovis*. Verum id in Germania non obtinet. Imo Hispani die Sabathi intestinis animalium utuntur, & in Gallia quæ-

dam provinciæ a die Nativitatis Domini usque ad festum Purificationis nec a carnibus die sabbathi abstinent.

* Si festum Nativitatis occurrit sexta feria: licitum est omnibus carnes comedere, exceptis Professis & voventibus; cap. 3. de obs. jejun.

(*e*) Cl. de Riegger l. c. c. §. 843.

(*f*) Cl. de Riegger l. c.

(*g*) Hac ratione excusantur a jejunio infirmi, convalescentes, prægnantes &c. Cl. de Riegger l. c.

(*h*) Intelliguntur operæ 1. omnino laboriosæ, 2. ex necessitate susceptæ, & quibus durantibus 3. absque incommodo jejunari non posset. Cl. de Riegger l. c.

(*i*) Si generatim labores ea ratione, quam exposuimus, a jejunio excusant, etiam opera pietatis, religionis ac misericordiæ eadem ratione non excusare non possunt. Cl. de Riegger l. c.

(*k*) Vid. de hisce omnibus cap. 2. de obs. jejun.

* Quod ad dispensationes adtinet, non e mente dimittas ea, quæ retuli supra (§. 245. not. e.)

** Si dispensatum est quoad comestionem carnium, per id unum nequaquam simul quoad secundam refectionem dispensatum esse dici potest. vid. Constit. Benedict. XIV. de 30. May. & 22. Augusti 1741. & 10. Junii. 1744. Tom I. Bull.

§. 391. Si vota (§. 105. n. h.) eorumque finem examinemus, totum cujusque voventis negotium in eo consistere debet, ut is sponte ac deliberate supremo Numini promittat ejusmodi quoddam speciale opus, quo singularem suum ardorem illud seu immediate seu mediate colendi explere atque commonstrare valeat. Et hoc quidem considerato nobis XIII. fere omnia, quæ ad doctrinam votorum pertinent, confestim ceu mera corollaria patefiunt. (*a*).

(*a*) Hinc loco tritæ definitionis (§. 105. not. h.) concinnius dici posset votum esse *spontaneam & deliberatam promissionem Deo factam de opere ejusmodi, quod confert ad singularem ardorem in genuino ejus cultu commonstrandum.*

§. 392. Enimvero ex hoc sequitur 1. omnes & solos illos vovere posse, qui nec sufficienti rationis usu, nec facultate morali quidquam promittendi destituuntur (*a*) 2. præter divisionem votorum in *solennia* & *minus solennia*, quæ ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa (§. 360. n. e.) (*b*) partim ratione ipsius objecti partim ratione modi vota porro in *realia*, *personalia* & *mixta*; in *pura* & *conditionata*; in *expressa* & *tacita* distingui (*c*) 3. cum res *physice* vel *moraliter impossibiles* ad genuinum Dei cultum referri nequeant (*d*) nec etiam res *indifferentes* ad singularem in divino cultu fervorem commonstrandum idoneæ sint, (*e*) de hujusmodi haudquaquam vota emitti posse. 4. votum generatim obligare ad sui implementum (*f*) atque nec id 5. ultra necessitatem differri (*g*) nec 6. elusorium esse debere (*h*) 7. non adesse autem obligationem ex voto *irritato* (*i*) atque ceterum 8. obligationem cujuscumque voti 9. laxari dispensatione (*k*) aut 10. commutari in aliam (*l*) aut 11. defectu materiæ (*m*) vel sublata primaria finali causa (*n*) prorsus cessare posse.

(*a*) L. 50. ff. de pollicit. S. Thomas, 2. 2. q. 88. art. 8. in resp.

(*b*) Cap. un. de vot. in 6.

(*c*) Naturale enim est, ut prouti votum, vel de *re* in gratiam tertii præstanda, vel de *facto* solum vovente concernente, vel de hoc utroque, vel sub conditione, vel absque ea, vel expresse vel tacite, id est, agendo quid, cui votum annexum est, emittitur, ita vel in *reale* vel *in mixtum*, porro vel *purum*, vel *conditionatum*, denique vel in *expressum* vel *tacitum* abeat.

(*d*) Hujusmodi etiam sunt, quæ quidem videntur aliquid licitum intendere, sed posita prava hypothesi; porro quæ sine aliorum læsione & præjudicio adimpleri nequeunt. Tum igitur prævalere debet illud Isidori Hispalensis: *in malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod in Corde vovisti, ne facias. Impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur*, can. 5. XXII. Q. 4.

(*e*) Sed & in cassum *meliora in abstracto*, si non simul *meliora in concreto* sint, voventa obtruduntur. Enimvero potest quidquam huic esse melius, non item illi. Atque igitur nec hæsitandum est, num votum de assumendo con-

conjugali statu a quibusdam emitti queat. Qui id negant, pensitent tantummodo singula illa verba, quæ pro vero ac *prudentissimo* suo zelo Paulus Apostolus, I. ad Cor. VII. v. 7. & seq. scripsit: *Volo enim omnes vos esse sicut me ipsum* SED UNUSQUISQUE PROPRIUM DONUM HABET EX DEO: ALIUS QUIDEM SIC, ALIUS VERO SIC. *Dico autem non nuptis & viduis* BONUM *est illis, si sic permaneant, sicut & ego, Quod si se non continent*, NUBANT; MELIUS *enim est* NUBERE *quam uri.* His itaque si nubere MELIUS est, quomodo illa voti definitio, quod sit *promissio spontanea ac deliberata Deo facta* DE MELIORI BONO, non etiam subinde apud quosdam in matrimonii votum quadrabit? quomodo non supremo Numini, quod per Paulum loquebatur, gratissimum foret, si ejusmodi, qui se non continent, ad istud incontinentiæ suæ remedium sese voto obstriogerent.

(*f*) Cap. 6. de voto, Deut. XXIII. 22. & 23. Psalm. LXXV. 12.

* Nempe in hoc differt votum a *proposito*, quod istud hactenus non obligat, cum aliud sit; *sibi quid proponere*, *mente decernere*, aliud *Deo quid polliceri cum intentione se Deo obligandi*, cap. 3. de vot. Cl. de Riegger l.c. §. 617.

** Obligatio *voti realis* ita est firmata, ut is, in cujus gratiam res voto promissa est, jure perfecto gaudeat eandem exigendi a vovente ejusve heredibus, id quod secus est in *personali voto*, utpote quod personam solius voventis non egreditur. Inde autem simul de votis mixtis, ne in iis adimplendis aut alius anxietate torqueatur, aut alius ruminando, num *reale* fuerit *personalis* accessorium vel principale, levissima quærat effugia, tutissime concludendum: etsi id, quod in voto *personale* est, per ipsum voventem impleri nequeat; illud tamen, quod in eodem est *reale*, a vovente per alium impleri debere. Ajebam: *a vovente per alium.* Enimvero tantum vovens ejusque hæredes tenentur, atque alteri cuidam ex re sua satisfaciendi voto alterius sane necessitas imponi nequit. Hinc etiam ex voto a communitate integra facto posteris nulla nascitur obligatio, nisi aliquam vel ultronea posterorum ratihabitio, vel statutum, vel legitima consuetudo inducat. Vid. cap. 6. de vot. cap. 6. de his, quæ vi met. cap. 6. de testam. cap. 18. de cens. Suarez Tom. II. de relig. Tract. IV. de vot. L. IV. cap. 9. & 11.

*** Differentia inter votum simplex & solemne jam supra (§. 360. not. e.) intelleximus eam esse, ut hoc actum oppositum invalidum, illud tantummodo illicitum faciat, cap. 3. 4. qui cler. vel vov.

**** Patet ad expletionem voti conditionati neminem teneri, nisi conditione existente, neque eum, a quo executio in certum diem conjecta & simul dies finiendæ obligationis causa adiectus est, elapso die ad hujusmodi votum adimplendum obligari. Cl. de Riegger loc. cit. §. 621.

(*g*) *Non tardabis Domino tuo reddere votum, quod vovisti, quia requiret illud Dominus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*; Deuter. cap. XXIII. 21. tergiversatio sane & mora ardori & promptitudini, atque igitur intimo voti pretio opponuntur.

(*h*) Si votum quoad quantitatem aut qualitatem indeterminate fuit conceptum, aut si obscurum est, quid & quantum voto fuerit comprehensum; ego quidem judico: ante alia de deponendo dubio esse laborandum, ut nimirum illud, quod voto nostro comprehensum fuisse fortiora argumenta indicant, relictis illis, quæ minus probabilia sunt, tuto amplectamur. Quod si deponi dubium nequit, tum per me licet sume regulam jur. 30. in 6. ubi dicitur: *minimum esse sequendum.* Qua in dubio operatione propterea nos peccandi, atque votum, quod fortasse in majus aliquid fuerat conceptum, violandi periculo non exponemus, quia non ex nostro judicio, sed allata decisione Ecclesiæ, quæ ejusmodi actiones dirigendas habet, *minimum sequimur.* Quod si votum quoad quantitatem ac qualitatem non determinatum erat, patet quantitatem & qualitatem vel ideo, quia ad certam se nondum obligaverat vovens, ab ejusdem arbitrio pendere, ita tamen, ut is in conscientia qualitatem præstare teneatur, qua non supremo Numini illudere, non aliquid promptitudini in officiis erga Deum potius contrarium velle videri posset. Atque semper ad finem omnis voti, simulque ad id est reflectendum, quod regula cit. cap. 30. desumta ex l. 9. ff. de reg. Jur. per L. 200. eod. ita explicetur: *Quoties nihil sine captione investigari potest, eligendum est, quod minimum habet iniquitatis.* An non autem tutius erit minusque iniquitatis habebit, saltem tale aliquid eligere, quod fini cujusque voti responder, & pro viribus potius ardorem officia erga Deum explendi, quam tædium & effugium in iis manifestat. Enimvero etiam Jus Canonicum in cap. 45. de reg. Jur. subnectit: *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.* Verisimilius autem est, ut is, qui ad vovendum movetur & vovet, tum profecto non illorum, quæ potest, prorsus minimum, sed saltem quidquam majori fervori commonstrando aptum intendat.

(*i*) Scilicet cum actus subditorum non sint in plena eorum potestate, sed quatenus subditi sunt, a superioribus dependeant (§. 101. n. h. 360. n. d.) atque etiam *in Jurejur. intelligi debeat*

beat jus superioris exceptum, cap. 19. de jurejur. facile intelligitur, quomodo patres familias, domini & mariti vota suorum subditorum irritare valeant. Vid. Numer. cap. XXX. 14. caus. XXXII. q. II. c. 14. cap. 4. & 10. de renunciat.

* Quod in cap. 9. de vot. dicitur, nempe; *viros præter uxorum assensum peregrinationis in subsidium terræ sanctæ propositum libere vovere, & quod voverint, adimplere posse*: illorum temporum philosophiæ condonandum esse, ait Cl. de Riegger l. c. §. 623.

(*k*) Idem supremum Numen, cui in voto promittimus, superiores illos, quos constituit ad nos regendos, veluti alia ita etiam hac ad regendum necessaria potestate instruxit, ut perpensis omnibus circumstantiis & deprehensa justa gravique causa, quæ scilicet salutem animæ ipsius voventis & neglectum graviorum, ad quæ tenetur, officiorum vel generatim bonum Ecclesiæ aut reipublicæ tangit, in ejusmodi promissionibus, etsi Deo factæ sint, aliqua relaxare mutavere queant: c. 1. 2. 5. 7. 8. 9. de vot. cap. 14. de maj. & obed. Absit autem, ut hisce nostris superioribus nefanda adulatione eam quoque vindicemus facultatem in votis dispensandi, *ut pro mera sua authoritate & arbitrio* inferiorem liberare possint ab obligatione præstandi id, quod is libere & sponte Deo se præstiturum promisit, (§. 245. n. c.). Cl. de Riegger l. c. §. 627.

* Quantumvis facultas ex justa causa in votis dispensandi non tantum Pontifici, sed & Episcopis & ex horum concessione etiam aliis competit; quædam tamen recentior praxis soli reservavit Pontifici ceu 1. votum perpetuæ castitatis. 2. ingrediendi religionem. 3. visitandi limina Apostolorum. 4. peregrinandi ad S. Jacobum Compostellam. 5. peregrinandi Hierosolymam, c. 5. Extrav. comm. de pœnit. & remiss. c. 8. & 9. de vot. Wiestner ad Tit. de vot. num. 69. sed posse etiam ab Episcopis in quibusdam casibus Pontifici reservatis dispensari, docet Barbosa, de potest. Episc. P. II. Allegat. 37. per tot. (§. 182. n. d. 196. n. c.) Quidam nec quidem Pontifici vinculum ex votis solemnibus ortum dissolvendi facultatem concedunt. Sufficiunt ipsis in c. 6. de statu Monach. Innocentii III. verba hæc: *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere*. Profecto neque Pontifex quocumque indultu efficiet, ut res sine sua essentia, seu *Religiosus* sine essentialibus, quæ sunt paupertatis, castitatis, & obedientiæ vota, *talis* persistat. Hoc unum igitur dum recte enuntiant *Innocentii* verba, iisdem frustra respondent leguleji ad quæstionem illam diversissimam, num remissis iisdem, quæ statum religiosum essentialiter constituunt, fieri possit, ut quis religiosus esse cesset. Atque id quidem, cum *naturale sit, ut quidquam eodem modo, quo colligatum est, dissolvatur*, nobis profecto non supra rationem positum esse videtur.

(*l*) Commutari quidem votum in id, quod aperte melius est, posse a quolibet, ex ipsa voti essentia patescit. Quando quidem autem singulari opus est cognitione, dum de voto in æquale opus commutando agitur, num scilicet commutandi necessitas, num bonum æquale adsit; eaque cognitio non ad subditos, sed ad actionum nostrarum Rectores pertinet; hinc legitimi Superioris auctoritatem hoc casu desiderari quis dubitabit? Vid. c. 1. & 4. de vot. S. Thomas 2. 2. q. 88. A. 12.

(*m*) Videlicet si promissum physice vel moraliter evadat impossibile, aut ceteroquin prorsus cesset ejusdem aptitudo ad officium erga Deum fervoremque in eo exhibendum. Non obstat *cap.* 8. ubi dicitur etiam in casu impedimenti perpetui votum non cessare, quandoquidem id de voto mixto intelligi debere ipse casus canone contentus manifestat (§. 392. n. c. & d.). Cl. de Riegger l. c. §. 623.

(*n*) Cap. 60. de Adpellat. non obstat cap. 7. de voto, in quo capitulo non causa totalis & principalis, sed secundaria & partialis cessasse refertur. Conf. Gonzalez ad hoc cap. n. 5. in fine.

§. *393*. Inter præcipuos Religionis actus juramentum pertinere (*a*) atque igitur nunc etiam hoc argumentum XIV. merito a nobis tractari nemo negaverit, præsertim cum ad evitandam omnem doctrinam præposteram hoc loco tantum naturam & efficaciam *juramenti in genere* exponamus; differentes omnia ad jus Consistoriale, quæ de effectibus juramenti *probatorii* & *decisorii* in nostro jure continentur.

(*a*) Est scilicet juramentum contestatio, qua ad Deum ut vindicem falsiloquii moralis provocamus, atque igitur actio determinata per motiva ex divinis perfectionibus desumta & quidem veteris novique testamenti legibus probata. vid. Deut. VI. 13. Psalm. 14. II. ad Cor. I. v. 23. ad Rom. I. 9. IX. 1. ad Galat. I. 20. I. ad Timoth. V. 21. Caus. XXII. Q. 1 can. 2. & 4.

* Dividitur juramentum

1. In solemne & minus solemne, prouti in locis publicis & cum solemnitate, vel per nudam invocationem divini Nominis emittitur, Caus. XXXV. q. 6. can. 4. & seq.

2. In

2. In verbale & reale, prout fit per verba Dei contestationem seu expresse sive tacite denotantia; vel per solam ejusmodi actionem, qua intentio Jurantis & vis juramenti exprimitur, cujusmodi est elevatio manus, tactus crucis, libri Evangeliorum, pectoris &c.

3. In promissorium & assertorium, prouti de veritate promissorum & iisdem adimplendis; vel de veritate assertorum præstatur.

** Incassum adversus omnem jurandi facultatem asseritur,

1. Obstare locum Matth. V. *sit sermo vester est, est, non, non, quod autem his abundantius est, a malo est*. Etenim hic & in pluribus aliis sacræ scripturæ locis tantum *temeraria, incauta* & *sine ulla necessitate* emissa juramenta prohibentur contra eos, qui semper & ubique licite & laudabiliter jurari posse existimarunt, vid. Caus. Q. 1. Can. 4. S. August. sermone 180. n. 5.

2. Juramentum propterea dici non posse actum religionis, quia jurans non intendit cultum quendam Deo exhibere, sed tantum alteri fidem facere. Enimvero is ipse finis per hoc obtinetur, quia juramento ponitur actio, quæ per motiva ex divinis perfectionibus desumta determinatur, seu quod idem est, actus religionis.

3. Adversari cap. 1. de feriis, quod non prohibuisse, ne die Dominica cultui divino destinata præstentur juramenta, si ea actus religionis essent. Id enim capitulum non respicit ad juramentum simpliciter, sed ad illud, quod judiciale est, & cum strepitu forensi conjunctum inducias feriarum sine necessitate turbat. Conf. Vallens. Paratit. L. C. de fer. n. 10.

4. Clericis usque ad sec. VIII. juramentorum præstationem interdictam fuisse; cum Canones, qui hanc in rem adferri solent, nil aliud probent, quam ab Ecclesia Clericis præcipue ob malum exemplum prohiberi temerarium jusjurandum, & juramenta in causa levi aut citra necessitatem emissa; vid. Caus. II. Q. 5. c. 4. cap. 4. de elect. c. 8. de offic. jud. ordin.

§. 394. Et quidem etiam ex natura & fine juramenti jam discitur 1. requiri, ut juretur per Deum (*a*), 2. verbis, signis, factisve ejusmodi, quæ animo jurandi proferuntur. (*b*) 3. juramenti tres debere esse, ut ajunt, comites scilicet veritatem (*c*), judicium (*d*) & justitiam (*e*). 4. ex juramento novam oriri obligationem, seu novum vinculum (nempe religionis) intuitu subjecti jurantis, etsi unica maneat obligatio objective, seu illi, cui juratur, non plus quam ante hac debeatur (*f*) & 5. juramentum universe sequi naturam promissionis, cui adjicitur (*g*), nec non 6. legitimorum superiorum authoritate juramenta irritari (*h*) aut 7. quoad effectus ad forum ipsorum pertinentes relaxari posse (*i*).

(*a*) Videlicet roboratur quoque per canones illud principium naturale: *juramentum adtemperandum esse religioni jurantis*; adeoque licere etiam fidelis acceptare vel exigere juramentum ab infideli cum formula religioni infidelis consentanea, siquidem ut ait defunctus Antecessor Pragensis Cl. Schrodt. L. II. Decret. Tit. 24. §. 402. *Infidelis falsos Deos pro vero habens, iis vi juramenti tribuit adtributa veri Dei, & consequenter respectu ipsius perinde est ac si per verum Deum jurasset, nec deferens juramentum intendit actum idololatriæ, sed suam securitatem, idque comprobatur exemplo sacræ scripturæ* Gen. XXXI. v. 53. ad quod exemplum quoque provocatur in caus. XXII. Q. 1. c. 16.

* Patet cur canonibus improbentur juramenta per creaturas veluti *per Caput, oculos, genium Principis*, si non ad Majestatem & sanctitatem divinam referantur, caus. XXII. q. 1. c. 8. 10. 20. ob hanc vero relationem admittatur modus jurandi *per sancta Evangelia, Altare, Reliquias, Crucem, Deiparam, Sanctos*. Caus. XXII. Q. 1. can. 11. 20. & Q. 5. c. 2.

** Etiam formulæ *sub fide Nobilitatis, sub fide sacerdotali, per salutem suam*, quamvis a quibusdam dicantur *juratoriæ promissiones*, & in nonnullis casibus juramento æquipollere censeantur; nec veram indolem & essentialem characterem juramenti habent, nec ideo sufficiunt pro illis casibus, in quibus verum juramentum requiritur. Eoque sensu explicabis c. 3. de his, quæ vi metuve, & c. 2. de fidejuss. Cl. Schrodt. l. c. §. 403.

(*b*) Hinc nec juramentum constituitur formulis mere nuntiativis, veluti: *Deus me scit verum dicere, Deus videt ita esse, coram Deo dico*; nec *obtestationibus, imprecationibus, & execrationibus*, quibus aliquis se aliosve diris *devovet*.

(*c*) Caus. XXII. Q. 2. cap. 26. de jurejur. sanctitati igitur sacramenti ex hoc capite repugnant, 1. *pejeratio* seu mendacium juratum, 2. *perjurium* seu violatio dolosa obligationis ex jurejurando descendentis, 3. cavillationes & reservationes mentales, quandoquidem verba in sensu illius, cui juratur, & qui per id securus reddi cupit, sunt accipienda; vid. caus. XXII. q. 5. can. 9. & propos. damn. ab Innocentio XI. 25. 26. 27. & 28.

(*d*) Ex defectu hujus requisiti a jurejurando repelluntur,

1. Qui

1. Qui vim juramenti cognitam non habent, ceu furiosi, mente capti, ebrii, infantes & infantiæ proximi; imo nec pubertati proximi coguntur jurare; Cauf. XXII. Q. 5. Can. 14. 15. & 16.

2. Qui vim juramenti non reverentur, ceu Athei, aut qui de perjurio convicti sunt. Cauf. XXII. Q. 5. can. 14. cap. 1. de purg. can.

* Hinc etiam jjuraturo antea fit interpretatio emittendi jurisjurandi, & commonitio de vitando perjurio.

(e) Inde porro hæc axiomata 1. Jusjurandum servari quidem debet, sed quantum potest sine dispendio animæ, 2. Juramentum nequit esse vinculum iniquitatis; Atque hinc nequit concipi juramentum obligans ad ejusmodi, quod non nisi contra bonos mores, cum impedimento majoris boni, cum dispendio animæ, cum violatione prioris liciti juramenti aut generatim cum violatione legum impleri posset. Cauf. XXII. q. 4. c. 1. 8. 22. cap. 11. 28. 33. de jurejur. cap. 1. eod. in 6. cap. 58. de Reg. Jur. in 6. Verum etsi juxta hæc principia per juramentum nec convalidentur actus lege humana *absolute probibiti* (non obstante authent. Sacramenta puberum c. si adversus venditionem, utpote quæ non pertinet ad contractus ipso jure nullos) convalidantur tamen per id actus illi, quos lex tantummodo irritos & non obligatorios vult in privatum favorem jurantis, cui hic renunciare poterit. Cauf. XXII. Q. 4. can. 6. 8. cap. 18. 27. 28. 33. de jurejurando, cap. 58. de Reg. jur. cap. 2. de pact. in VI.

* Obligatio igitur ex juramento, cum præjudicare tertio iniquum esset, non transit ad hæredes, nisi quatenus in potestate jurantis erat jus quoddam heredibus relinquere vel auferre, cap. 2. de pact. in 6.

** Juramentum tamen *metu injusto* extortum, non solum declaratione, ut dicunt *ad cautelam*, sed *relaxatione proprie tali* indiget, cap. 2. 8. 15. de jurej. Et quidem additur: *ut agatur consultius, & auferatur materia pejerandi, non eis ita expresse dicatur, ut juramenta non servent, sed si non adtenderint ea, non ob hoc sunt tanquam pro mortali crimine puniendi*, ac in cap. 4. de his, quæ vi metuve, de tali, qui juramento coactus Ecclesiam resignavit, dicitur, eum non obstante hoc juramento, quo solummodo ad resignandum tenebatur, beneficium repetere posse, & id restitui debere.

(f) Intervenit nempe novum motivum desumtum ex omni scientia, omnipotentia, veracitate & justitia Dei, quo posito nova & distincta obligatio ponitur. Conf. Cl. de Martini de leg. Nat. Posit. 560.

(g) Recte hoc pariter abit in axioma, ex quo hæc sequuntur corollaria; 1. quæ consensui officiunt, ceu *dolus malus* aut *error substantialis*, eadem officere obligationi jurisjurandi, 2. juramento tacite inesse conditiones easdem omnes, quæ insunt promissioni, cui adjicitur, atque id, 3. universe ultra limites factæ promissionis aut *ad ignorata* vel *incognita* proferri non posse, porro, 4. sublata obligatione ex pacto, eidem adjecti juramenti obligationem cessare, vid. cap. 3. 20. 25. 29. de jurej. cap. 3. de condit. cap. 7. de pign.

(b) Nimirum ipsa idea subjectionis, quam potestatibus sublimioribus debemus, manifestat, cuivis juramento inesse conditionem salvo jure & auctoritate illius, qui jus habet actiones nostras permissivas dirigendi (§. 105. n. h.) atque hinc a Prælatis religiosorum Patribus, Maritis, heris juramenta religiosoru , liberorum, uxorum, & servorum, multoque magis a Rectoribus Ecclesiæ in objecto spirituali & ab Imperantibus civilibus in objecto salutem & bonum civitatis tangente juramenta subditorum irritari, seu eos facultate jurandi privari, & jus ex juramentis hujusmodi adquirendum impediri posse, cap. 19. de Rescript. cap. 19. de jurej. l. 56. §. 1. ff. de fidejussor. l. 6. §. ult. ff. de Jur. Patronat.

(i) Pro cognoscendis juramentorum causis istas tene regulas:

1. Potestas cognoscendi, declarandi, absolvendi, aut pœnis spiritualibus coercendi in causa juramenti, quod ad vinculum religionis adtinet, atque adeo pro foro conscientiæ pertinet ad Ecclesiæ Rectores, qui vero ante alia adtendendum habent, an illud vere vinculum religionis genuinæ esse possit, vid. cap. 13. de judic. cap. 18. 21. & 31. de jurej. Cauf. XXII. Q. 4. can. 17.

2. Frustranea esset relaxatio jurisjurandi etiam in linea religionis, si relaxaretur in præjudicium tertii, cui ipsa religio naturalis & revelata id, quod juramento firmatum est, præstari jubet, veluti si relaxaretur jusjurandum fidelitatis & subjectionis Imperanti præstitum (§. 100. n. 2. 101. 116. n. a.) quemadmodum enim in votis (§. 391. n. k.) ita & in juramentis facultas relaxandi non est mere arbitraria.

3. Cum ad summos Principes omnino spectet tueri jura ex Majestate fluentia, & judicare de iis, quæ civitatem concernunt; & cum simul certum sit, sanctissimam nostram religionem bono civitatis non adversari, & omne saluti civili repugnans vel ideo religiosum non esse; (§. 101. n. k.) patet ad summos Principes etiam spectare jus cognoscendi & judicandi de observatione juramenti, quatenus ad negotia civilia sese exerit, & ex juramento, quod sententia Principis ejusve Tribunalium ceu saluti civili nocivum declaratum vel ex motivo boni publici relaxatum est, ad id observandum nec vinculum religionis remanere

nere posse; porro patet pœnam perjurii cum effectu civili non ab alio, quam a Principe, jure proprio statui posse, conf. Van-Espen J. E. U. P. III. Tit. IV. cap. 7. §. 21.

§. 395. Quantumvis singuli veræ Religionis consortes pro se, donec contrarium probetur, præsumtionem habent, quod ei in omnibus firmiter inhæreant, eidemque adversum nihil sint seu dictis sive factis professuri, (*a*) facile tamen perspicimus XV. justitiam præcepti, quo sanctissima nostra Ecclesia non tantum ab ipsis baptizandis, si adulti sint, (*b*) & ab hæreticis Ecclesiæ catholicæ dogmata amplexuris (*c*), sed etiam ab iis, quorum munera & negotia propius in religionem influunt, (*d*) ad omnia credendis agendisque opposita præcavenda, Professionem fidei sibi publice edendam (*e*) sub certis etiam pœnis exigit (*f*) atque ita, quantum fieri potest, de eorumdem fide se reddidit certissimam.

(*a*) Circa confessionem fidei *externam* certum est, nec licere veram Religionem *negare* aut *falsam profiteri*, nec etiam *simulare* ejusmodi signis vel factis, quæ seu natura seu lege seu consuetudine sunt signa *religionis distinctiva*, & ad professionem religionis falsæ instituta. Matth. X. v. 33. Non autem *ad externam fidei professionem* cuicumque & quandocumque edendam semper obligamur, & hinc quandoque etiam crimine vacat fidem *tacere* & *dissimulare*, videlicet, si hæc dissimulatio cum obscuratione gloriæ divinæ aut læsione Ecclesiæ aut detrimento salutis propriæ vel proximi non conjuncta sit, ad Rom. X. 10. Luc. IX. 16. quæ omnia facile penetrat is, qui officia erga Deum *negativa* ab officiis erga Deum *affirmativis* recte discernere novit. Conf. Cl. de Martini de lege nat. Pos. 324. & Cl. Barthel in Tract. de libert. Exerc. Relig. ex leg. div. cap. 6. nec non Cl. Schrodt. L. I. Decret. Tit. 1. §. 31. & seq.

(*b*) Can. 58. 59. Dist. IV. de consecr.

(*c*) Cap. 9. de hæret.

(*d*) Ejusmodi sunt,

1. Initiandi sacris ordinibus, c. 6. Dist. 23.

2. Promovendi in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos & Episcopos (olim in prima, cui interfuerint, provinciali synodo Professionem fidei edere jubebantur. Hodie post electionem coram Nuncio Apostolico vel quodam Episcopo editur, & Romam mittitur scripto exarata una cum instrumento de facta inquisitione super qualitatibus electi. Concil. Trident. Sess. 25. c. 2. de Reform.)

3. Provisi de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus, & quidem a die adquisitæ possessionis ad minus intra duos menses coram Episcopo, vel eo impedito, coram Vicario generali. Sess. 24. c. 12. de reform.

4. Provisi de canonicatu vel dignitate in *Ecclesia Cathedrali* non solum coram Episcopo vel ejus officiali, sed etiam in capitulo. Sess. cit.

5. Prælati ordinum regularium, etiam militarium ex constitutione Pii IV. *Injunctum nobis*. 1564. Quam quidem constitutionem non in omnibus religionibus usu receptam esse testantur plures apud Reiffenstuel. I. C. U. L. I. T. 1. n. 161.

6. Promovendi in Academiis ad gradus literarios, vel ad licentiam docendi, imo omnes futuri Rectores Scholarum, Doctores & Magistri cujuscumque disciplinæ juxta Sess. 25. c. 2. de Reform. & Constit. Pii IV. *Injunctum nobis*. Pii V. *In sacrosancta*.

7. Ipse Pontifex coram suis Electoribus, antequam electio publicetur, id quod in veteri Ecclesia constanter observatum & a Concilio Constantiensi confirmatum est, Conf. Concilii Constant. sess. XXXIX. apud Harduin. Tom. VIII. col. 389. Nec non antiquiores fidei professiones a Pontificibus editas, quas *indicula* adpellabant, in *libro diurno Romanorum Pontificum* cap. II. Tit. 9. qui a Joan. Garnerio editus & illustratus, nec non a Cl. de Riegger a. 1762. apud nos recusus est.

(*e*) Scilicet juxta symbolum, quod ad calcem Concilii Tridentini habetur (§. 12., n. 2.) & etiam in lib. VII. Decret. cap. 4. de sum. Trinit. refertur.

* Etsi obligatio Professionis fidei ita emittendæ sit *personalis*, quatenus ex ea habilitas promoti spectatur, non obstant tamen canones, quo minus eam promovendus per procuratorem speciali ad id mandato instructum deponat; vid. Dist. C. 1. & 2.

(*f*) Speciatim respectu eorum, qui sunt provisi de dignitate vel canonicatu in Ecclesiis Cathedralibus; aut de beneficio curato, de quibus ait Concil. Trid. *ut, si a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses publicam fidei professionem facere neglegant, fructus non faciant suos, nec illis suffragetur possessio*, hæc sequuntur Corollaria, 1. ejusmodi ultro debere ad faciendam fidei professionem sese offerre, quia tempus ipsum a jure definitum interpellat. 2. Quandoquidem Concilium non vult, ut faciant fructus suos, nisi sub conditione editæ intra duos menses professionis fidei, hac conditione non impleta absque omni ulteriore judicis declaratione omne jus cessare ad fructus post bimestre percipiendos, quod secus esset, si tantum per modum pœnæ privatio fructuum esset statuta. 3. Cessare tum etiam

iam jus omne ad distributiones quotidianas, *improprie tales*; non tamen jus ad *proprie tales* (§. 326. n. 8.) cum Tridentinum non beneficia, sed beneficiorum fructus ademerit. (Benedictus XIV. Instit. Ecc. instit. 60. Barbosa Jur. Eeclef. L. I. cap. 21. §. 74.) 4. vel ideo quod Concilium tantummodo ad *provisos de dignitate vel canonicatu in Ecclesiis cathedralibus aut de beneficio curato* suam dirigit sanctionem; eandem nec ad provisos de canonicatu & dignitate in *Ecclesiis collegiatis* (Benedict. XIV. Instit. Jur. Eccl. cap. 70. §. 1.) nec ad *coadjutores* dignitatum & canonicatuum etiam cathedralium, qui nimirum de ipsa dignitate aut canonicatu nondum provisi sunt, extendi posse, nisi aliud introductum consuetudine. Conf. Cl. de Riegger & Cl. Schrodt L. I. Decret. Tit. I.

CAPUT XV.

De Rebus Ecclesiasticis in genere.

§. 396. Ipsius divini cultus, & Religionis ac ejus Ministrorum causa Ecclesiasticis rebus (*a*) bonisque (*b*) opus esse jam supra (§. 117. 123.) percepimus. Ex ipsa etiam ratione, qua res Ecclesiæ sensim sine sensu per fidelium, eosque inter quam maxime Principum liberalitatem collectæ cumulatæque sunt (§. 119.) ultro concludere licet, primum bona *mobilia* (*c*) & subinde demum *immobilia* (*d*) Ecclesiis advenisse. Distincta quoque a nobis jam sunt bona personarum Ecclesiasticarum *civilia* a *clericalibus*, simulque inter eadem a *clericalibus in specie*, *beneficialia* (§. 121. n. a.). Nihil itaque quam canones, qui de ejusmodi rebus & bonis adquirendis, administrandis, alienandisque generatim disponentes huc pertinent, hoc loco accipiemus.

(*a*) In sensu generali id omne Ecclesiasticum audit, quod ad Ecclesiam pertinet, & hinc facile intelligitur, quid *res Ecclesiastica* in eodem sensu sit, & qua ratione ea vel *spiritualis* seu proxime respiciens salutem animæ; vel *temporalis* seu ad Ecclesiæ usus solum destinata esse queat. In sensu tamen, quem hoc loco adhibemus, *res Ecclesiasticæ* sunt, in quas certæ Ecclesiæ vel corpori Ecclesiastico, vel uni etiam personæ Ecclesiasticæ qua tali jus competit.

* Etsi tam res *sacræ*, quam reliquæ temporales *Ecclesiasticæ* hoc ipso, quod temporales sunt, propriæ spirituales dici non possint, in Jure Decretalium sæpius tamen *spirituales* vocantur, cap. 2. de Major. & Obed. Conf. Gerson in Lect. 2. ad S. Marcum, & in libro de vita spirituali animæ cap. 3. Francisc. de Roye Instit. Jur. Can. L. II. Tit. I.

** Rectius quidem ejusmodi res appellantur *spiritualibus annexæ*, tantummodo illud *annexum* de iisdem ita intelligatur, uti id de juribus mixtis intelligebamus (§. 116.)

*** *Res Religiosæ* in jure canonico sunt omnes illæ, quæ inserviunt *causæ piæ* seu fini & modo cuidam præstituto cultum divinum promovendi indigentiamque proximi sublevandi.

(*b*) Ipsæ res certæ Ecclesiæ, universim sumptæ, *bona Ecclesiæ* ejusque *patrimonium* constituunt. Conf. Georg. Ludov. Boehmeri Princip. Jur. can. L. III. S. IV. Tit. I.

(*c*) Videlicet sub persecutionibus quam maxime præstabat habere res, quæ facile transferri & distribui possent. Hæc potissimum etiam causa erat, cur primi fideles sua prædia venderent, & pro sumtibus in divinum cultum, ministros Ecclesiæ, & pauperes impendendis obtulerint. Fuere tamen quæcumque oblationes *voluntariæ*; atque vel per hebdomadas vel per menses vel aliter factæ. vid. I. ad Cor. XVI. 2. II. ad Cor. IX. 1. Tertul. Apol. c. 39. Et porro novimus *Decimas* serius fuisse consuetudine ac lege stabilitas (§. 126.)

(*d*) *Placuit*, ait Petrus Damianus, *ipsa prædia tradi Ecclesiæ, ut non transitorie, sed perpetuo ex eorum fructibus subveniri posset pauperibus*. L. I. Ep. 13. L. IV. Ep. 14. Et sane jam ante *Constantinum* Ecclesia adquisivit immobilia. Conf. Euseb. X. c. 5. Lactantius de mortib. persecut. n. 45. l. 19. ff. de donat. Nec obstat l. 1. cod. de sacr. Eccles. quæ non donationes inter vivos, sed solum ultimas respexit voluntates, per quas nempe ante hac cætibus christianorum tanquam incertis & illicitis corporibus hæreditates, & legata relinqui non poterant. vid. Sozomenus L. 7. Hist. Eccles. c. 27. & Sirmondus ad Epist. 39. Aviti Episc. Viennensis, qui adnotant Ecclesiam huic constitutioni omnia fere sua bona debere, *cum morientes vulgo sint liberaliores quam viventes*. Conf. de Roye l. c. ubi recte additur observatio: Constantinum per hoc, quod concesserat facultatem libere in favorem Ecclesiæ testandi, minime hanc libertatem ita intellexisse, ut ejusmodi testamenta valeant, etsi nec ceterum juxta leges civiles essent condita.

* Quas

* Quas dein secuta fidelium sæpe profusa liberalitas leges amortizationis exigebat, de iis eorumque justitia jam supra (§. 128.) diximus.

§. 397. Canones huc pertinentes decrevi considerandos. Atque hinc non minus ad jus consistoriale differo canones plurimos, qui de rebus Ecclesiæ non tam quoad forum conscientiæ, quatenus ea in adquirendis, administrandis, alienandisque rebus Ecclesiæ purissima esse debet, quam quoad forum externum, normasque potius a civili Imperio suam firmitatem & effectum habentes agunt (*a*).

(*a*) Agetur itaque ibi de illis, quæ singularia sunt in contractibus Ecclesiasticis, scilicet in *mutuo*, *commodato*, *deposito*, *Precariis*, *emtione venditione*, *locatione conductione*, *feudis*, *Emphytheusi*, *Permutatione*, *Pignoribus*, *fidejussoribus* aliisque *cautionibus*; porro in *solutionibus*, *donationibus*, *præscriptionibus* bonorum Ecclesiasticorum & denique in *testamentis*, *legatis*, & *successionibus ab intestato* &c. de quibus omnibus iterum iterumque ista bene tibi imprime axiomata.

1. Omnia illa, quæ quoad mere civiles & temporales causas, atque pro foro contentioso externo in Canonibus aliter ac in civili jure statuta reperiuntur, etsi canones ejusmodi recepti sint, non tamen vigore ipsorum canonum, sed vi a Principibus tributa, ad quos solos civilis potestas pertinet, obligare; atque hinc

2. Nullam legem mere civilem per Canones a potestate Ecclesiastica correctam esse dici posse. Novi quidem minus rectum illorum loquendi modum, qui civilem legem, quæ in præscriptione tantummodo bonam fidem ab initio requirit, ceu correctam Canonico jure, quod usque ad completum præscriptionis tempus bonæ fidei desiderat continuationem, pro exemplo adferunt, atque hac in materia correctionem scilicet propter malæ fidei supervenientis peccatum ab Ecclesia & potuisse & debuisse fieri defendunt. Sed quam malam corrigendi methodum isti affingant Ecclesiæ, & quomodo totum nunquam rite a se intellectum præscriptionis systema subvertant, facile est comprehendere. Quid enim? anne hæc malæ fidei correctio est, ut nullo quidem momento ante decem aut viginti annos, sed postea tamen in mala fide esse, indeque commodum percipere liceat? Post completum enim præscriptionis tempus neque secundum Canones mala fides nocet: cum in eo, ut, etsi quis me suum Dominium doceat, eidem tamen præscriptam rem reddere non tenear, vis præscriptionis consistat. Aut num mala fides hac sola de causa, quod certum post tempus adsit, extra peccati collocatur sphæram, num solo tempore æqualem cum bona fide virtutem sortitur? Nulla profecto, taceo ejusmodi, correctione civilis illa præscriptionis lex indiget, quæ unice eminenti Principis dominio nititur. Salutis nimirum publicæ causa, ut tam litibus ponatur modus, quam incurii puniantur, Principi de civium suorum bonis ita disponendi facultas est. Atque istud eminens Principis dominium; non vero aliqua per certum duntaxat tempus bonæ fidei præsentia cives pro foro interno non minus ac externo de suis possessionibus securos, earumque restitutione immunes reddit. Corruit itaque simul omnis, quod ita peccatum foveatur, objectatio. Enimvero quis propterea foveri crimina hactenus somniavit, quod de quibusdam post quinquennium, de plurimis post viginti annorum spatium contra delinquentes criminaliter amplius agi non potest. Quis furti peccatum a Domino, qui ipsam rem furto ablatam in furem transfert donando, eumque restitutione liberat, adprobatum esse asseret. Collige jam inde responsum pro translatione bonorum a Domino eminente in malæ fidei possessores, quin eorumdem antecedens mala fides foveatur, atque probetur, ob salutem totius Reipublicæ facta.

* Qui pridem demonstravi tam *causas beneficiales*, quatenus consistunt in jure certos perpetuosque *temporales* reditus officio sacro publica authoritate annexos percipiendi (§. 116.) quam *causas decimales* (§. 126.) non ad forum Ecclesiæ proprium, sed tantummodo a civili potestate delegatum pertinere, profecto nec hoc utrumque argumentum huic Tomo inseruissem, si non hæc *spiritualibus adeo annexa* in assueto etiam doctrinæ nexu relinquere mihi summa causarum continentia suaderet.

§. 398. Quod ad jus Bona adquirendi adtinet, id Ecclesiæ aut cuivis Ecclesiastico corpori (§. 118.) adjudicari debet (*a*) nisi quoad lege speciali (§. 128.) est circumscriptum (*b*). Et quidem universe Ecclesia circa adquisitionem Bonorum, ubi ei non *singulare* jus expresse datum est, *jure communi* utitur. (*c*) Ad quod observandum tanto magis tenetur, quanto certius est Ecclesiam & quodvis corpus Ecclesiasticum, & quamcumque Ecclesiasticam personam præ aliis abstinere debere ab omni

modo adquirendi, qui aut constituto juri adversaretur (§. 128.) aut quavis ratione in præjudicium tertii vergeret (§. 198. n. a.) aut saltem plura habendi desiderium ac lucri cupidinem manifestaret (§. 280. 284. n. c.) (*d*).

(*a*) Bona Ecclesiastica ratione adquisitionis vel sunt *dotalia*, vel *noviter adquisita*; illa per fundationem, hæc *alio titulo* Ecclesiæ obvenisse intelliguntur, c. 8. de reb. Eccles. alienand. Conf. Muratorius in Tom. V. Antiquit. Italiæ med. æv. Diss. 67. de modis, quibus Ecclesiæ Episcopi, Canonici, monasteria terrenis opibus & commodis auctæ sunt.

* Arnaldus de Brixia ejusque sectatores, qui asseruere, nec Clericos proprietatem, nec Episcopos regalia, nec Monachos possessiones habentes salvari posse, repressi sunt a Conc. Lat. II.

(*b*) Conf. Clarif. L. B. a Kreitmayer Observationes ad cod. Maximilianum Tom. 11. n. p. 411.

(*c*) L. 1. & ultim. c. de Sacrosanctis Ecclesiis. Conf. Balduinus de legibus Constantini Magni in T. I. Jurispr. Rom. Atticæ p. 581.

* Videlicet jura Ecclesiæ circa adquisitionem in republica definire nullatenus est pars potestatis proprie Ecclesiasticæ; neque etiam per Canones eo extensa fuit, præterquam in adquisitione *per ultimam voluntatem*; id quod repeti debet a cura & executione piarum dispositionum, quas Justinianus Episcopis demandavit, l. 46. §. 6. 28. 49. c. de Episc. & Cleric. Nov. 131. c. 11. & inde etiam profluxere ea, quæ in jure consistoriali audiemus circa testamenta & legata ad pias causas earumque executionem tanquam partem jurisdictionis Ecclesiasticæ per Decretales constituta esse.

(*d*) I. S. Petri II. Conf. Fleury Inst. Jur. Eccles. P. II. cap. X. §. 2. nec non in Hist. Eccles. Disc. III. §. 11.

§. 399. Ratione finis, ad quem bona Ecclesiastica destinata sunt, ea dividi queunt in *communia* vel in *particularia*. Illa enim indefinite *in usus Ecclesiæ*, hæc in *usus Ecclesiæ certos & determinatos* impendenda extant; atque igitur etiam hæc illave ita administrari debent, ut præstitutus finis observetur (§. 198.) (*a*).

(*a*) In prioribus Ecclesiæ seculis distributioni rerum temporalium præsidebant ipsi Episcopi, qui ex communi massa oblationum & possessionum cuivis ministro religionis portionem congruam suo arbitrio porrexere. Devolutum subinde id munus est in œconomos, diaconos, & archidiaconos; ipso tamen Episcopo constituente hujusmodi œconomos; iis normam administrationis præscribente, nec non ab iisdem exigente rationes. Vid. Concil. Gangrens. can. 7. & 4. Antioch. Can. 24. Chalced. can. 26. constit. Apost. l. 8. cap. 30. Thomassin. P. III. L. II. cap. 1. sequ. Et quidem ea in dispensandis rebus Ecclesiasticis normam observabatur, ut cum Clericis pauperes ad partes legitimas vocarentur; vid. can. Apost. 40. constitut. Apost. L. VIII. cap. 30. 31. S. Cyprian. Lib. III. Ep. 24. Justinus M. Apolog. II. Thomassin. l. c. cap. 12. Verum uti post Cl. Fleury Cl. de Riegger P. III. §. 97. ait, invalescente avaritia, cupiditate, & pauperum incuria nihil amplius dispensatorum arbitrio relictum fuit, sed sec. V. auctoribus Simplicio & Gelasio S. S. P. P. stabilita *redituum divisio in quatuor partes*, ut videlicet posthac bona Ecclesiastica in Episcopum, in Clerum, in sarta tecta Ecclesiæ, & in pauperes æqualibus portionibus distribuerentur; relicta ideo soli Episcopo quarta, quod *peregrinos & captivos* (nobiliores) excipere deberet. Cauf. XII. q. II. Can. 23. sequ. Gelas. Epist. X. ceteroquin autem nulla per hoc facta derogatione eorum Canonum, vi quorum Clerici, quæcumque ex assignatis reditibus sibi manent *residua*, in pauperes erogare tenentur (§. 121. a.) Conf. Thomassin. P. III. L. III. c. 26. sequ. & Launojus de cura Ecclesiæ, pro miseris & pauper. Cl. de Riegger l. c. §. 98. Atque hæc bonorum Ecclesiasticorum divisio, seculo VI. & duobus consequentibus fere ubique recepta, diu firma stetit authoritate Episcoporum eidem invigilantium, scilicet usque ad seculum IX. Hoc ipso autem seculo iterum mutata facies. Antehac enim Episcopi prædia Ecclesiæ jure ususfructus clericis, aut etiam laicis quibusdam ea lege concessere, ut semper horum bonorum dominam agnoscerent Ecclesiam, ad quam ea non tantum mortuo possessore cum omnibus accessionibus & statu meliore reverterentur, sed etiam illo vivo ex gravibus causis revocari possent, atque adeo non nisi precario tenerentur, veluti inde, & ex eo, quia vitæ necessaria præstabant: nomina *precatoriarum*, *precariarum* & *præstariarum* consecuti sunt, vid. caus. XVI. Q. I. Can. 61. Concil. Agathens. Can. 7. 22. 36. 40. 59. Aurel. I. Can. 23. Aurel. III. Can. 17. Cauf. X. Q. II. Can. 1. seqn. Cauf. XII. Q. II. Can. 32. & 35. Cauf. XVI. q. III. can. 11. & Conf. Thomass. P. III. L. II. cap. 14. sequ. seculo autem IX. prædia ejusmodi non attenta Episcoporum authoritate in Clericos, Xenodochia & templa transferri cæpere; & tandem cum Clericis, qui in demortuorum locum venere, molestum videretur novis precibus Episcopos suos adire, iisdemque neglectis jus intra suos limites fructus percipiendi more An-

Antecessorum continuarent, sensim sine sensu stabilitum hoc axioma juris: *parochi habent fundatam intentionem ad percipiendos proventus intra fines suarum parochiarum provenientes*, & ita, quod nuper personale fuit, in *Jus tituli* abiit maxime id promoventibus capitulis canonicorum, qui abjecta regularis vitæ communitate agros communes inter se partiri, eosque in titulum beneficii sibi vindicare ausi sunt. Conf. Thomassin. l. c. cap. 19. sequ. Van-Espen P. II. S. III. T. 1. Trithem. Chron. Hirsaug. ad an. 977. Ivo Carnot. Ep. 60. Cl. de Riegger l. c. §. 101. & sequ. ubi recte advertitur, sicut *feuda* armorum successu, quamdiu hæres vasalli mortui adest, perpetua facta sunt, eodem modo *beneficia Ecclesiastica* officio sacro annexa, & quibusvis in eo successoribus adjudicata esse, neque jam facere posse Episcopum, ut qui muneris incommoda suscepit, ne commoda ejus percipiat.

§.400. Geritur autem administratio bonorum Ecclesiasticorum, vel 1. ex lege (§. 198. 214. seq.), vel 2. jure beneficii (§. 399. n. a.) (*a*), vel 3. vi specialis functionis (*b*) quæ jure tutelæ & curæ censetur (*c*) atque universe bonorum Ecclesiasticorum administratio jus quidem involvit pro Ecclesiæ utilitate ac secundum demandati officii limites contractus tales ineundi, qui conservationem, legitimum usum, & perceptionem redituum Ecclesiasticorum concernunt, (*d*) minime tamen agendi quiddam, quo bonis Ecclesiasticis vel periculum, taceo deminutio aut prorsus alienatio, extra casum necessitatis ac sine solemnitatibus ad alienationem ejusmodi bonorum requisitis induceretur (*e*).

(*a*) Cap. 17. de præb. in VI. cap. 21. de Elect. c. 2. de donat.

(*b*) Clem. 2. de dom. relig. ubi cavetur, ut administratores bonorum Ecclesf. instar tutorum & curatorum juramentum præstent, de bonis inventaria conficiant, & singulis annis de administratione sua rationes reddant.

(*c*) Cap. 3. de restit. in int. conf. Just. Henning. Boehmeri Jus Paroch. S. IV. cap. 3. Georg. Lud. Boehmeri Princip. jur. Can. L. III. sect. V. Tit. VIII. §. 629.

(*d*) Nov. 120. c. 6. §. 3. Authen. *hoc jus porrectum* in f. c. de SS. Eccles. cap. 1. & 4. de fidej. c. 1. de depos. cap. 4. Ne Prælati vices suas sub an. cens. Conc. cap. 2. de donat. c. un. Extrav. com. de reb. Eccles. non alien. cap. 3. de restit. in integr.

(*e*) Vid. interim c. 2. de donationibus, ubi dicitur, *quod Episcopus & quilibet Prælatus Ecclesiasticarum rerum sit procurator & non Dominus*, c. 1. 2. de permut. c. 1. de pignor. L. 14. §. 5. C. de S. S. Eccles. Nov. 7. pr. & 100. c. 5. 6. Caus. X. q. II. c. 4. cap. 5. de reb. Eccles. alien. c. un. Extrav. com. eod. cap. 2. de feud. cap. ult. de locato. Quæ omnia in jure consistoriali dilucidabuntur.

§.401. Enimvero ad omnia ab Ecclesiis eorumque bonis avertenda detrimenta; alienationi, quæ antehac Episcoporum arbitrio relinquebatur, (*a*) propter abusus in ea commissos (*b*) jam sec. IV. Concilia atque Pontifices (*c*) interim pro conscientiæ foro (§. 101.) posuere limites, usque dum Principes, Christiani facti, normam & effectus alienationum pro foro civili stabilivere (§. 124. n. a.) (*d*) adeo, ut hodie non tantum alienatio (*e*) sed etiam repudiatio juris delati (*f*) in rebus Ecclesiasticis (*g*) fieri nequeat, si non I. causa pietatis, necessitatis, vel utilitatis subversetur. (*h*) II. Solennitates adhibeantur, quæ speciatim per leges & canones ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requiruntur, & in tractatu solenni ac diligenti causæ cognitione (*i*) nec non in requisito obtentoque consensu eorum, ad quos inspectio & cura hujusmodi bonorum pertinet, (*k*) consistunt. Quorum itaque neglectus alienationem pro utroque foro reddit nullam (*l*) salvaque manent jura Ecclesiæ adversus illam sese tuendi (*m*).

(*a*) Caus. XII. Q. II. c. 66. 73.

(*b*) *Experientia docuit* (ait Van-Espen P. II. S. III. Tit. XII. cap. IV. §. 2.) *nonnullos Episcopos non satis solicitos pro successoribus bona illa in propriam utilitatem distrahere*. Isid. Pelusiot. L. V. Ep. 21.

(*c*) Concil. Antioch. de anno 341. can. 24. Carthagin. IV. an. 398. can. 32. Carthagin. V. an. 400. Can. 4. in cod. can. African. can. 26.

* Incertæ originis est, quem Gratianus ex Epistola Leonis P. in causa XII. Q. II. can. 52. non integrum tamen refert. vid. in eadem causa eademque quæstione, c. 18. 19. 20. 21. 25.

(*d*) Vid. caus. X. Q. II. can. 2. & cap. 5. de reb. Eccles. alien. nec non apud Baluz. Capitular. L. I. §. 29. T. 1. col. 746. adde L. VI. c. 136.

* Il-

* Illud mirum, quod ad illam legem, quæ circa annum 483. sub Odoacre Rege pro restringenda rerum Ecclesiasticarum alienatione prodiit, cum in synodo Romana sub Symmacho anno 502. recitaretur, a *Maximo* Episcopo Bledeno quæsitum sit: *licuit laico homini legem dare?* & responsum: *non licuit*; repudiatæque justissimæ Odoacris legi ideo nova surrogata, vid. synod. Rom. III. a. 502. can. 4. sequ. apud Harduin. Tom. II. col. 979. cujus vestigia extant in Caus. XII. q. II. can. 20. caus. XVII. q. IV. can. 1. Conf. Cl. de Riegger, qui l. c. §. 301. ad quæstionem Episcopi Bledenæ Ecclesiæ merito exclamat: *egregium dubium!* excusat quidem Cl. Schott. L. 3. Decret. Tit. XIII. §. 301. synodum, quod non tam adversus legem, quam adversus censuram regia authoritate additam, quantum ea civilis potestatis limites egrediebatur, dubium moverit, & authoritate sua fuerit usa.

(*e*) Per alienationem omnes illi actus seu ultimæ voluntatis seu inter vivos intelliguntur, per quos Ecclesiæ aliave *loca pia & venerabilia authoritate Episcopi constituta* circa res suas temporales gravamen patiuntur, & dominium sive directum sive utile, vel aliud jus in re vel ad rem ab Ecclesia in alium transfertur. Nov. VII. princ. cap. 1. 2. l. 14. cod. cum auth. *hoc jus porrectum* & l. 19. de S. S. Eccless. alienand. Extrav. *ambitiosæ* eod. inter com. Quo non obstante tamen, si modo Ecclesia rite contraxit debitum, minime in leges alienationem prohibentes offenditur, si hypotheca generalis adjiciatur. Enimvero Ecclesia alioqui ad debitum, quod rite contractum est, exsolvendum obstringitur Can. 2. caus. X. q. II. authent. *præterea* cod. de S. S. Eccles. adeoque absque suo præjudicio per hypothecam generalem tantum de certo hujus obligationis implemento creditorem securum reddit, quin se obnoxiam faciat alienationi cujusdam rei determinatæ, qua sibi damnum conciliaret. Et hinc etiam in cap. 5. de reb. Eccles. alien. vel non, sola hypotheca specialis inter species prohibitæ alienationis refertur; praetereaque in Nov. VII. cap. 6. §. 1. clare dicitur: *licebit Præpositis* Ecclesiarum *usque ad generalem hypothecam stare, nullum tamen speciale pignus creditoribus præbere*.

* In cap. 4. *de reb. Eccles. alien.* hæc verba *alienationis verbum continet quoque conditionem*, excitavere varias opiniones. Inter eas verior adparet sententia Antonii Augustini, qui vocem illam *conditionem* rejiciendam credit, cum & in authographis & in Nov. VII. unde textus desumtus est, atque apud Ivonem Carnotensem P. IV. cap. 185. refertur, nulla mentio *conditionis* fiat. Absque dubio hæc vox mero errore per librarios commisso inserta fuit collectioni Burchardi Wormatiensis, ubi scilicet L. III. cap. 164. textus cum hac voce *conditionem* sed omissa altera *venditionem* legitur, & hinc colligi potest pro *venditionem* mendose *conditionem* scriptum fuisse. Sat male quod hunc errorem dein retinuerit Bernardus Papiensis in Collect. Decret. I. & multo pejus, quod Raymundus, qui Bernardum exscripsit, eandem vocem *conditionem* reliquerit, dum vocem alteram *venditionem* in textum restituit.

(*f*) Accipitur enim hic alienatio in sensu lato, quo igitur venit omnis imminutio aut dimissio juris, quod Ecclesiæ v. g. in adeunda hæreditate aut acceptanda re legata jam quæsitum est, l. 23. ff. de adquir. vel omitt. hæred. Neque obstat l. 1. & l. 6. §. 1. ff. quæ in fraud. cred. ubi nomine alienationis sola *diminutio patrimonii* intelligitur; neque l. 28. ff. de V. S. ubi dicitur: *qui occasione adquirendi non utitur, non intelligitur alienare*. Hæc enim omnia pertinent ad alienationem acceptam in sensu stricto, qui sensus minime ubivis, & veluti non in repudiatione legati pupillo relicti, l. 5. §. 8. ff. de reb. eor. qui sub Tut. ita nec in repudiatione juris Ecclesiæ jam quæsiti juxta cit. l. 23. ff. de adquir. vel omitt. hæred. valere potest; quamvis ceterum major sit rectoris Ecclesiæ authoritas, quam tutoris, nec Ecclesia omnibus pupillorum & minorennium privilegiis gaudeat. Conf. P. Boekn. L. 3. Decretal. ad Tit. XIII. n. 7. Scharz eod. Tit. §. 3. num. 31. Schmier Jurisprud. practico-consiliaria, conf. 33. n. 33. Et sufficit apud omnes certum esse, quod Ecclesia vel agere possit adversus ipsum Prælatum, qui jus delatum repudiavit, vel petere restitutionem in integrum, Caus. XII. Q. IV. can. 2. l. 7. §. 6. ff. de minor. cap. 1. de in integr. restit. Conf. Clar. de Riegger loc. cit. §. 306. & Cl. Schrodt l. c. §. 312.

(*g*) Patet tamen hic sermonem esse de rebus Ecclesiæ immobilibus magni momenti aut mobilibus pretiosis, quæ adservari possunt; non vero de rebus seu immobilibus sive mobilibus, quæ non pretiosæ sunt, sed exigui valoris, aut inutiles vel prorsus noxiæ, vel saltem servando non servabiles, quarum scilicet alienatio evidenter prodest Ecclesiæ, vid. Caus. XII. Q. II. can. 20. 53. Attamen I. observandum est; idem hoc loco pretiosum, loco alio minus pretiosum esse posse. II. Cavendum, ne quid ad eludendas leges nimia facilitate æstimetur. Conf. Wiestner ad L. III. Decret. Tit. XIII. artic. II. & III. Boekn. eod. n. 26.

* Incorporalia jure immobilium censentur. Cl. de Riegger l. c. §. 313. Cl. Schrodt loc. cit. §. 306.

** Inanem *intuitu alienationis* arbitror disputationem, an pecunia, ad rem immobilem comparandam destinata, jure rei immobilis, & proinde legibus alienationum subjecta æstimari debeat. Enimvero si non exigua pecuniæ summa

ma sit, mea quidem opinione referenda erit inter res Ecclesiæ pretiosas, quæ seu immobiles sive mobiles sint, libere alienari nequeunt; si autem exigua sit, quid peritiæ legum in alienationibus observandarum accrescet eam vindicando inter immobilia, quæ si exigui valoris sunt, libere queunt alienari, sed si tamen certantes de hoc intueri lubet, ex parte illorum, qui ejusmodi pecuniam immobilibus accensent, P. wiestner l. cit. art. 1. num. 33. seq. ex parte adversa P. Boekn. digladiantur.

(*b*) Hinc in legibus & canonibus alienationem restringentibus additur, *nisi forte aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat*. Cauf. XII. Qu. II. can. 52. *excepta causa captivitatis, quoniam non absurdum est animas hominum quibuscumque vasis vel instrumentis præferri*. L. 21. cod. de SS. Eccl. Vid. in ead. Cauf. & Quæst. Can. 14. 15. 70. nec non in Cauf. X. qu. II. can. 2. cap. 1. de reb. Eccles. alien. in 6. Clement. 1. eod. porro §. 8. Institut. de rer. div. Novel. 120. cap. 10. ubi a prohibita alienatione rerum sacrarum excipitur causa captivorum redimendorum, alendorum pauperum & æris alieni Ecclesiarum solvendi. Reflecte etiam mentem ad ea, quæ diximus supra (§. 117. n. 2. 125. n. a. & b. 127. n. 2. & b.) neque hisce plura necesse est opponere iis, *qui*, ut ait Cl. de Riegger, *cum audiunt res Ecclesiasticas nonnisi in bonum Ecclesiæ esse alienandas, multiplicem Ecclesiæ significationem confundentes ex clericorum & templorum splendore, abundantia, & divitiis illius metiuntur*, l. c. §. 308. vide Epistolam, quam idem author prædicat lectu dignissimam S. Hieronym. ad Nepot. apud Grat. Cauf. XII. Q. II. c. 71.

(*i*) Cauf. XII. Q. II. can. 52. Cap. 1. de Reb. Eccles. alien. in 6. Clem. 1. eod. unde patet distinguendum esse I. an Ecclesia sit exemta, an non exemta, II. circa non exemtam porro indagandum, an non habeat capitulum aut conventum, vel habeat. III. circa eam, quæ habet capitulum vel conventum, an agatur de bonis capituli, an vero de bonis mensæ Episcopalis vel Ecclesiæ Cathedralis aut collegiatæ. Etenim

Si Ecclesia sit exemta,

Consensus Pontificis specialis & expressus requiritur (salvis juribus Principum)

Si Ecclesia non exemta, quæ capitulum non habet,

Veluti parochialis; sufficit si tractatus & examen super causa alienationis ab Episcopo fiat (salvis demum Juribus summorum Principum & Patronorum, de quibus mox dicemus)

Si Ecclesia non exemta, quæ capitulum habet,

Et agatur de alienandis bonis capituli,

Tunc requiritur consensus & tractatus capituli pro *eo, quod interest*.

Si vero agatur de bonis mensæ Episcopalis vel rebus Ecclesiæ cathedralis aut collegiatæ,

Tunc requiritur consensus & Tractatus capituli de solennitate.

* In Ecclesiis regularibus, quæ subsunt cuidam superiori totius ordinis, etiam hujus authoritas secundum cujuslibet ordinis statuta intervenire debet. Clem. 2. cit. Cl. de Riegger l. c. §. 309.

** Dependet ab arbitrio & judicio Imperantis civilis, num, extravagant. *ambitiosæ* inter Communes de Reb. Eccles. alienand. & juramento Episcoporum (§. 323. n. e.) quatenus hæc & illa alienationem rerum Ecclesiasticarum inconsulto Romano Pontifice fieri prohibet, vigorem permittere velit, & possit, quo Permissio etiam potius ceu lex civilis tantum per Canonem & juramentum firmata obligabit (§. 124. 397.) Conf. Zypæus in jur. nov. Tit. de Reb. Eccles. alien. num. 2. Engel cod. Tit. Num. 15. Van-Espen P. II. Tit. XXXV. cap. 4. n. 48.

*** Qui afferunt oblationem, quam Abbatissa facit *sciente & non contradicente conventu*, tanquam consensu tacito probatam valere, incassum provocant ad cap. 2. *de his, quæ fiunt a præl.* cum ibi de præsentatione ad beneficium, non autem de alienatione agatur, Conf. Gonzalez in comment. ad cit. cap.

**** Quomodo tractatus hujusmodi capitulariter institui debeat, & quando dici possit adesse consensus capituli jam, explanatum supra (§. 220.)

(*k*) Necessitas consensum summi Principis expetendi jam demonstrata est superius (§. 101. 118. 124. 397. & seq. Conf. Baluz. in not. ad capit. pr. 1205. verbo *ubicumque communitates*. Fleury Instit. Jur. Can. P. II. c. 12. Van-Espen P. II. Tit. XXXV. c. 4. §. 25. qui etiam Patroni consensum requirendum esse demonstrat ibid. Tit. XXXVII. §. 34.

(*l*) Cap. 6. & 12. de reb. Eccles. alien. cap. 2. eod. in 6. Clem. 1. eod. Extravag. un. eod. inter com. ubi ejusmodi alienationes, *non valere, non tenere, nullius omnino roboris & momenti esse, & adeo viribus carere* dicuntur, ut *nec jus aliquid recipiendi tribuant, nec præscribendi etiam causam pariant*. Et quidem parum refert, seu alienatione in laicos sive in aliam Ecclesiam facta sit cap. 1. de reb. Eccles. alien. Non obstat cap. 2. eod. in 6.

Enim-

Enimvero quod ibi Prælati bona immobilia Ecclesiarum solum laicis submittere prohibeantur, id in sensu minus completo intelligendum est; cum secus nec *justa causa* opus esset, quandoquidem absque hujus mentione tantum capituli consensus & Apostolicæ sedis licentia specialis requiritur. Neque allegari potest axioma, *quod privilegiatus non utatur suo privilegio contra æque privilegiatum*; etenim huic occurritur per regulam alteram æquitatis naturalis, quod in pari privilegio melior sit conditio ejus, qui *de damno vitando*, quam qui *de lucro* captando certat. Falsissimum denique est illud; canones alienationem prohibentes tantummodo ad indemnitatem *Ecclesiæ universalis* respicere. Conf. Cl. Schrodt l. c. §. 319. & seq.

* Nec solæ solemnitates justam alienandi causam, nec ista illas supplere potest, sed utrumque canones requirunt. Cap. 2. de pact. cap. 10. de reg. Jur. in 6. Conf. Wiestner ad Tit. de reb. Eccles. alien. num. 88. & 89.

** Si tamen de solemnitatibus rite adhibitis constat, oritur præsumtio alienationem esse validam, cum finis solemnitatum sit, ut de cognita causæ justitia nos certos reddant. Imo demonstrata rei Ecclesiasticæ antiquissima possessione, etiam ipsæ solemnitates præsumuntur, cum vetustas litium minuendarum causa pro lege habeatur, & tueatur possessores, etsi jus non probaretur l. 2. pr. & fin. ff. de ag. pluv. arcend. Conf. Cl. de Riegger l. c. §. 312. ubi carpit eos, quibus hæc præsumtio non arridet propterea, quod ea magis juri civili quam canonico conformis est, cum tamen jus canonicum rectam rationem, ex qua præsumtiones fluunt, ejurare nec possit nec velit.

*** Præcipue in illas alienationes, quæ in familiares & cognatos ipsius Prælati factæ sunt, etiam post lapsum notabilis temporis inquiri debere, num in utilitatem Ecclesiæ factæ sint, patet ex iis, quæ habentur in Nov. 120. cap. 6. & auth. *Quibuscumque*, Cod. de S. S. Eccles. nec non apud Van-Espen l. c. §. 44. seq. Boekn ad Tit. de rebus Eccles. alien. num. 9. Boehmer eod. Tit. §. 33. 34.

**** Cum in jure canonico cap. 4. 6. 8. de præscript. & Cap. 1. eod. in 6. etiam rerum Ecclesiasticarum præscriptio sit adoptata, & præscriptio sit species alienationis necessariæ, patet cap. 1. de reb. Eccles. alien. in 6., quo omnis rei illegitime alienatæ præscriptio excludi videtur, restringendum esse ad malæ fidei possessorem, atque adeo a tertio bonæ fidei possessore ejusmodi rem Ecclesiasticam non legitime alienatam adquiri posse titulo præscriptionis, si cætera requisita adsint, neque jura provinciarum particularia obstent. Conf. Boekn l. c. nu. 25. seq. Cl. de Riegger l. cit. §. 316.

***** Neque impedit Jus Canonicum, quo minus solemnitates in alienatione bonorum Ecclesiasticorum omissæ suppleantur, atque adeo Ecclesia vel a contractu resilire vel alienationem indebitam subsequente capituli consensu & authoritate superioris (invito etiam emtore) ratihabere possit. Caus. XII. Q. II. Can. 42. Cap. 10. de Reg. Jur. in 6. suffragatur etiam Jus civile arg. Princ. Inst. de Auth. Tut.

(*m*) Adversus alienationes non legitime factas canones prospiciunt Ecclesiis partim pœnis in ejusmodi alienationum reos statutis, partim ipsi Ecclesiæ varia remedia juris concedendo.

Pœnæ in male alienantes statutæ

Sunt, ut

1. Si male alienans sit Episcopus vel Abbas, subeat interdictum ingressus in Ecclesiam, & si per sex menses non resipuerit, ipso facto ab administratione & regimine suæ Ecclesiæ seu Monasterii suspendatur. Extravag. *Ambitiosæ* de rebus Eccles. alien.

2. Si vero sit clericus inferioris ordinis aut dignitatis, in excommunicationem ipso facto incidat, & simul beneficiis, quorum bona alienarit, ita privetur, ut vacare censeantur, atque adeo alteri conferri possint, cit. Extravag.

3. Qui mala fide receperunt, præter excommunicationem etiam pretii expensi jacturam faciunt, quod Ecclesia sibi vendicat, lib. 14. §. 1. cod. de S. S. Eccles. cap. 5. de reb. Eccles. alien.

* Universe pragmatici has pœnas non tantum ad solam alienationem consummatam & malæ fidei restringunt, sed etiam per exceptionem non factæ receptionis & contrariæ consuetudinis elevari sinunt. Conf. Wiestner Jur. Can. Tit. de rebus Eccles. alien. n. 147. Barthel. in annotat. ad Engel eod. Tit. in fin. Arnold. Corvin. de Person. & benefic. L. VII. Tit. IV. §. 32. Schrodt. l. c. §. 323.

Remedia juris contra alienationem non legitime factam Ecclesiæ competunt

sequentia

1. Rei vindicatio, aut publiciana contra quemcumque possessorem, adeo, ut is etiam pretii jacturam ferat, si sit possessor malæ fidei.

2. Actio in factum personalis adversus male alienantem ejusque hæredes ad damnum illatum ex ejusdem patrimonio reparandum, Cap. 3. de pign. Caus. XII. Q. II. can. 18.

3. Quia Ecclesia possessionem civilem retinere dicitur, interdictum *uti possidetis* & remedium ex can. *redintegrandæ*. 3. Caus. III. Q. I. ad bona male alienata restituto pretio recuperanda.

4. Re-

4. Remedium possessorium recuperandæ *unde vi*, si evidens sit nullitas.

* Restitutio rei fieri debet inductis expensis necessariis cum omni a die contractus causa, accessione, & fructibus secundum qualitatem possessionis, adeo, ut malæ fidei possessor etiam pretii jacturam ferat. c. 4. & 6. de rebus Eccles. alien.

** Agere potest vel ipse alienans, si non suo sed Ecclesiæ nomine agat, vel ejus successor, Patronus, capitulum, summus Princeps, imo quilibet ex Clero. Conf. Wiestner ad Tit. de reb. Eccles. alien. Art. VII. Cl. de Riegger loc. cit. §. 317. Cl. Schrodt. loc. cit. §. 322.

C A P U T XVI.

De rebus sacris, sanctis & religiosis.

§. 402. In Ecclesiastico Jure non tam stricto semper sensu & tam accurate quam in jure Civili res sacræ (*a*) sanctæ, (*b*) & religiosæ (*c*) distinguuntur (§. 120. 369.)

(*a*) Res sacræ in l. 21. Cod. de sacrosf. Eccles. dicuntur illæ, quæ Deo rite per Pontifices consecratæ sunt, veluti ædes sacræ, sacra vasa & ornamenta &c.

(*b*) Sanctum generatim est omne illud, quodcumque impune violari nequit; speciatim vero denotat ejusmodi, quod profanum esse desiit, & propterea hominum commercio exemtum est; Isidorus scribit Lib. orig. cap. 4. sancta veteribus fuisse exteriora Ecclesiæ, veluti cinctum, ambitum, septum Ecclesiæ; vid. lib. 4. Cod. Theodos. de iis, qui ad Ecclesiam confugiunt. & conf. de Roye Instit. Jur. Can. L. II. Tit. 11.

(*c*) Religiosus locus olim nesciebatur alius, quam is in quem mortuus est illatus; ita dictus, vel quod *relictus* est extra res humanas, vel quod eum afficiebat religio, quatenus hujus interest sepeliri mortuos l. 6. §. 4. ff. de div. rer. Quapropter apud Romanos res religiosæ non minus ac sacræ juris Pontificii fuerant; vid. Fragm. Ciceron. apud Non. Marcell. II. 805. p. 582. Gell. Noct. Act. IV. 9. & conf. Heineccii Antiq. Rom. Syntagma L. II. T. 1. n. 3.

§. 403. Inter ipsas ejusmodi res, quæ, quia mediante consecratione, benedictione, aut speciali ad pium usum dedicatione commercio hominum exemptæ sunt, *sacræ*, *sanctæ* & *religiosæ* promiscue a doctoribus adpellantur, sufficit I. Ecclesias, II. Altaria, III. Sacra vestimenta, vasa, quæque reliqua sunt sacri adparatus, IV. Hospitalia aliaque loca religiosa, V. Capellas, VI. loca sepulturæ præcipuam adtentionem mereri. Ideoque summaria legum Ecclesiasticarum, quæ de hisce singulis perlatæ sunt, hoc capite speciatim duximus proponenda.

§. 404. I. Circa Ecclesias, quæ hoc loco pro ædibus sacris publico pietatis exercitio destinatis accipiuntur (§. 1. n. a.) (*a*) 1. de earum origine, 2. divisionibus, 3. requisitis ad easdem erigendas, 4. earumdem consecratione & benedictione, nec non 5. execratione, pollutione, & reconciliatione, ac demum 6. de reparatione canones perquiremus.

(*a*) Ecclesiæ apud christianos etiam Basilicæ, memoriæ, tituli, oratoria, capellæ &c. dicebantur. Conf. Bingham op. vol. III. L. VIII. c. 1. de div. nom. Eccles. inter Christ. §. 1. & sequ.

§. 405. A primis inde temporibus, quantum fieri poterat, christiani dictante ratione (§. 117.) quædam loca divino cultui speciatim destinarunt (*a*) quamquam non statim initio, sed demum postea christianorum Imperatorum liberalitate tam splendidæ ac opulentæ Ecclesiæ conspicerentur (*b*) (§. 119.).

(*a*) Vid. de hoc testimonia apud Van-Espen J. E. U. P. II. S. II. Tit. I. cap. 1. §. 4. Bingham l. c. §. 13. seq. & conf. meus ordo Princip. P. II. §. 250. n. a. Quæ in contrarium captantur sacræ scripturæ aut Patrum textus, nil aliud probant quam primos christianos abhorruisse a *templis*, sub quibus tum ædes ad cultum falsis Diis exhibendum destinatæ intelligebantur; porro divinitatem, velut ethnici credebant, non in templis manufactis conclusam, sed in spiritu & veritate sine locorum differentia adorandam esse. Conf. Bellarmin. Lib. III. de cult. sanct. Cap. IV.

(*b*) Bingham l. c. cap. II. de antiqua templorum structura. Conf. Guil. Bevereg. in Can. 11. Concil. Nicæn. Bingham l. c. cap. III. & sequ.

sequ. Euseb. Hist. Eccles. Lib. X. cap. 4. Paul. Silentiar. descriptio Eccles. S. Sophiæ cum Comment. Carol. du Fresne, P. Zech. de jure rer. sect. I. Tit. I. §. 8. sequ.

§. 406. Ecclesias 1. auctus in urbibus & ruri numerus fidelium, eorumque diversi cœtus in *Cathedrales*, *Parochiales* & *Capellas* seu *Sacella* & *Oratoria publica* (§. 119. n. a.), 2. propagatio ipsarum parochialium, & subsecuta cum his minorum Ecclesiarum unio in *matrices* & *filiales*, 3. Clericatus cum religiosorum institutis conjunctio in *seculares*, easque simpliciter tales vel *Collegiatas* (§. 212. n. a.) & in *regulares*, easque *Conventuales* vel *Abbatiales* vel solas *Capellas Monachorum*, 4. depressa Episcoporum authoritas in *exemptas & non exemptas* nobis distinctas fecere (*a*).

(*a*) Cl. de Riegger l. c. §. 752.

§. 407. Requisita ad Ecclesias erigendas præ aliis canonibus sunt 1. consensus summi Principis & Domini territorialis (*a*), 2. Episcopi, quem universe, num justa causa adsit; speciatim vero, an non quæstus causa vel in præjudicium Ecclesiæ parochialis extructio fiat, adtendere & examinare canones jubent, (*b*) 3. ut etiam Ecclesiæ veteris rector, patronus, aliique, quorum interest, audiantur, quibus quidem consentire renuentibus, si ceterum necessaria est erectio, ad eam nihilominus progredi licebit, si modo 4. de competenti simul dote prospiciatur (*c*).

(*a*) Jam primi Imperantes Christiani Ecclesiarum extructioni modum ponebant. Capitul. Reg. Franc. L. V. cap. 382. Novell. 67. cap. 1. Et reflecte ad ea, quæ diximus supra §. 117. n. a. 125. n. a. b. c. 127. n. a.

(*b*) Vid. Caus. XVIII. Q. II. can. 10. Dist. I. de consecr. Can. 10. cap. 3. de Eccles. ædif. Trident. sess. 21. cap. 4. de ref. & Conf. Card. de Luca Discurs. 16. necnon Fagnanus ad c. 3. cit. Enimvero hic

1. generatim observandum, extructionem Ecclesiæ haudquaquam esse actionem ejusmodi, quæ non certis in circumstantiis vitiosa fieri posset; & probe recogitanda verba Salvatoris: *dico autem vobis, quia templo major est hic*, Matth. XII. 6. porro verba S. Bernardi: *O Vanitas vanitatum, sed non vanior quam insanior. Fulget Ecclesia in parietibus & in pauperibus eget. Suos lapides induit auro, & suos Filios nudos deserit. De sumtibus egenorum servitur oculis divitum. Inveniunt curiosi, quo delectentur, & non inveniunt miseri, quo sustententur*, c. 11. Apolog. S. Bernardi ad Guillelmum Abbatem, ubi simul hic sanctus advertit templorum vanum & superbum ornatum non raro ex ipsa avaritia procedere, verba ejus ulteriora sunt hæc: *Si queris quo modo; miro, inquam, modo: Tali quadam arte spargitur æs, ut multiplicetur; expenditur ut augeatur, & effusio copiam parit. Ipso quippe visu sumptuosarum, sed mirandarum vanitatum accenduntur homines magis ad offerendum, quam ad orandum. Sic opes opibus hauriuntur, sic pecunia pecuniam trahit; quia nescio quo pacto ubi amplius divitiarum cernitur, ibi offertur libentius. Auro tectis reliquiis saginantur oculi, & loculi aperiuntur. Ostenditur pulcherrima forma sancti vel sanctæ alicujus, & eo creditur sanctior, quo coloratior. Currunt homines ad osculandum, invitantur ad donandum, & magis mirantur pulchra, quam venerantur sacra. Ponuntur dehinc in Ecclesia gemmatæ non coronæ, sed rotæ circumseptæ lampadibus, sed non minus fulgentes insertis Lapidibus. Cernimus & pro candelabris arbores quasdam erectas, multo æris pondere, miro artificis opere fabricatas, nec magis corruscantes superpositis lucernis, quam suis gemmis. Quid, putas, in his omnibus quæritur? Pœnitentium compunctio, an intuentium admiratio?* quibus subjungit Van-Espen P. II. Sect. IV. Tit. V. C. IV. §. 5. 6. 7. 8. *Utinam hæc tantum ætate Bernardi vera fuissent!* & eandem veritatem confirmat verbis S. Chrysostomi, qui non improbans quidem templorum extructionem & ornatum, sed misericordiæ opera præferens ita scribit: *Non prohibeo magnifica templa condere, sed hæc cum illis, imo vero hæc ante illa facere moneo. Nemo enim quia templa magnifica non condiderit, unquam accusatus est; at vero gehenna, ignis inextinguibilis, supplicia dæmonum imminent, nisi quis diligenter ista peragere velit*. Hom. 51. in Matth.

2. Speciatim videndum, ne populus per extructionem Ecclesiæ novæ ab Ecclesia parochiali abstrahatur. (§. 228. 231.) si non ipsam parochiam dividere, atque, ita parochialem aliam Ecclesiam addere sit necesse (§. 227. n. b.)

(*c*) Can. 9. Dist. II. de Consecr. cap. 3. de Eccles. ædif. Conf. Van-Espen l. c. Tit. I. c. 3.

408.

408. Destinatio Ecclesiarum ad cultum divinum, seu *dedicatio*, quæ jam inde ab antiquissimis temporibus aut per ipsum Episcopum singulari, si fieri poterat, *consecrationis* solemnitate (*a*), aut saltem peculiari *benedictione* (*b*) quamvis non semper ac ubique eodem ritu fiebat (*c*). Hodie, etsi tempus jure præstitutum non sit, diebus dominicis ac festivis, atque ita peragi solet, ut ritus recentiores cum antiquis mixti adhibeantur (*d*).

(*a*) Ex veterum documentis, quæ retuli in meo ordine Princip. P. II. §. 252. n. b. patet, ad majorem dedicationis solemnitatem vicinos Episcopos evocari solitos fuisse. Patrum veterum sermones in templorum dedicatione habitos vide apud Euseb. hist. Eccles. L. X. c. 4. & apud S. August. edit. nov. Tom. V. serm. 336. sequ.

(*b*) Confunditur nonnunquam consecratio cum benedictione, attamen multum hæc ab illa differt. Enimvero *Benedictio* tantum est præparatio Ecclesiæ ad consecrationem, saltem interim adhibenda, ut illa scilicet sacris functionibus inservire queat, usque dum commodo tempore consecretur; atque *a simplicibus sacerdotibus* ab Episcopo ad hoc deputatis peragi; consecratio autem veluti ad solum Episcopum pertinet, ita etiam nec alteri quam Episcopo delegari potest. Conf. Gibert corp. Jur. can. Tom. II. Tract. post. de Eccles. Tit. XV. Wiestner ad Lib. III. Tit. 40. num. 10.

(*c*) Ritus signandi ipsos Ecclesiæ parietes duodecim crucibus, eosque oleo S. liniendi, ad similitudinem rituum baptismalium ideo temporis successu adhibiti sunt, quia dedicatio templi materialis ceu figura templi spiritualis a Patribus habebatur. Conf. Van-Espen P. II. S. II. Tit. I. cap. 4.

(*d*) Trident. sess. VI. cap. 5. de Ref. cap. 2. de consec. Barbosa de off. Episcop. alleg. 27.

* F. F. Minores ab Honorio IV. Carmelitæ a Joanne XXII. & Patres nunc extincti Ordinis S. Ignatii a Paulo III. privilegia obtinuerunt, vi quorum Episcopo Diœcesano consecrationem humiliter postulatam ultra IV. menses differente, pro ea ad quemcumque Episcopum recurrere possint. Cl. de Riegger l. c. §. 760.

** Cessante primorum fidelium persecutione res & actiones profanæ *citra necessitatem* in Ecclesias vel ideo, quod genuino Dei cultui destinatæ essent, non porro admittebantur. Prohibebatur hac de causa in iis mercatus etiam eorum, quæ in sacrificium aut usum Ecclesiasticum cedere possent (§. 95. n. e.) vid. c. 1. 5. & 9. de immunit. Eccles.

*** Ut in sacris locis omnia fierent cum reverentia, præter vigilantiam eorum, qui ad hoc constituti erant (§. 165. n. e. seq.) id quam maxime conferebat, quod non tantum locus clericorum (*sacrarium* aut *sancta sanctorum* adpellatus, & velo obductus) a loco laicorum, sed etiam loca virorum & mulierum distinguerentur. Vid. S. August. L. 2. de Civit. Dei cap. 28. Christian. Lupus Tom. 2. schol. in can. p. 991. Van-Espen P. II. S. II. T. 1. cap. 1.

§. 409. Ecclesia rite consecrata, etsi crimine quocumque profanaretur, *reconsecrari* non potest (*a*) nisi orto de consecratione dubio (*b*), aut facta Ecclesiæ *execratione*, quæ contingit, si Ecclesiæ ædificium vel totum vel majorem partem ita corruat, ut nova indigeat extructione, aut ita exuratur, ut parietum etiam non corruentium interior crusta majori ex parte sit sublata (*c*).

(*a*) Quemadmodum spirituale templum semel Baptismo consecratum, etsi postea peccato fuerit violatum; iterato baptismo reconsecrari nequit. Vid. Dist. LVIII. can. 3. Dist. 1. Can. 20. de Consecr. cap. 6. de consecr. Eccles.

(*b*) Sicuti baptismus reiterari potest, si dubitetur, an valide collatus fuerit. Dist. I. Can. 18. de Consecr.

(*c*) Non sufficit igitur Ecclesiam in aliquibus partibus destructam esse, si parietes illæsi maneant, earumque salva sit interior incrustatio, cum parietes præcipuam partem Ecclesiæ constituant, iis salvis eadem Ecclesia manere censeatur; & consecratio crustæ parietum inhæreat. Imo eadem censetur manere Ecclesia, si Ecclesia tantum per partes subinde reparetur, etsi reparatio tam frequenter & in tam multis partibus successu facta sit, ut re vera totum tandem ædificium per partes renovatum constet. Videantur hactenus citati canones & conf. Cl. de Riegger l. c. §. 762. & seq.

* Olim quidem principali altari everso totam Ecclesiam consecrandam esse statuebant; Verum consecratio altaris subinde prorsus separata ab Ecclesiæ consecratione contrariæ disciplinæ occasionem dedit. Vid. Can. 19. 24. Dist. 1. de consecr. cap. 1. de consecr. Eccles. Barbosa l. c. alleg. 37. Wiestner l. c. n. 23. seq.

§. 410. Enimvero si *polluatur* Ecclesia (*a*) quod contingit 1. sepultura infidelis nondum baptizati, 2. sepultura excommunicati vitandi, 3. injuriosa & voluntaria humani sanguinis effusione vel homicidio, 4. effusione voluntaria & illicita humani seminis (*b*) tum ad hoc, ut denuo celebrari possint divina officia, solummodo necessaria est *reconciliatio*, quæ mediante aqua *Gregoriana* a solo Episcopo peragitur (*c*).

(*a*) Dum Ecclesia *pollui* dicitur, significatur materiali ejus forma integra manente, ac proinde consecratione non sublata, aliquid in eadem accidisse; quod & a loci sanctitate alienum est, & in fidelium animis generat horrorem, atque in cujus detestationem divina ibidem celebrari canones vetant, donec sacris ritibus facta fuerit reconciliatio. Cap. fin. de consecr. Eccles. cap. 11. de Privileg. & cap. 18. de sent. Excom. in 6.

* Imo sæpius etiam ob crimina extra Ecclesiam commissa & delicta populi jam apud veteres *a divinis cessatum* fuisse antiquissima monumenta produnt. Conf. meus Ordo Princip. P. II. §. 253. n. a.

(*b*) Can. 27. 28. Dist. I. de consecr. c. 12. de sepult. cap. 4. 7. & fin. de cons. Eccles. cap. un. ibid. in 6. Barbosa loc. cit. Alleg. 28. Wiestner L. III. Tit. 40. Artic. II. Aliis igitur criminibus, etiamsi gravioribus, Ecclesiæ non polluuntur. Clariss. de Riegger loc. cit. §. 767.

* Ad quæstionem: num polluta Ecclesia etiam cæmeterium censeatur pollutum esse, id affirmatur, si cæmeterium sit contiguum; secus si ab Ecclesia remotum fuerit; quamvis polluto cæmeterio Ecclesia, etiam *contigua*, non polluta habeatur. Cap. un. de consecr. in 6.

(*c*) Ipsa etiam aqua Gregoriana a solo Episcopo consecratur. Vid. cap. 4. 9. de consecr. Eccles. Van-Espen l. c. cap. 5.

* Introductus reconciliationis ritus etiam ideo, ut homines videntes *inanimatum templum nullo peccato obnoxium lavari & purificari, horrore delicti concutiantur & recogitent, quantum pro expiatione delictorum & vivo Dei templo sit elaborandum*. Cl. de Riegger l. c. §. 768.

§. 411. Reparatio Ecclesiarum 1. ex iis, quæ pro fabrica specialiter deputata extant (§. 399. 407.) (*a*), 2. ex illis, quæ Rectori Ecclesiæ ejusve aliis *beneficiatis* ultra congruam sustentationem supersunt (§. 121.), & hisce demum deficientibus (*b*), 3. a patronis & aliis, qui fructus aliquos ab Ecclesia reparanda percipiunt (*c*) atque adeo etiam 4. a decimatoribus, & demum 5. a Parochianis fieri debet (*d*).

(*a*) Caus. XII. Q. II. Can. 39.

(*b*) Cl. de Riegger l. c. §. 770.

(*c*) Cap. 1. & 4. de Eccles. ædif. Trid. sess. XXI. Cap. 7. de reform.

(*d*) *Sed nunquam credo*, ait Cl. de Riegger, *adeo indigebit ærarium Ecclesiæ, ut populi subsidiis extraordinariis opus sit. Quid si opus esset? nulla nisi Principum auctoritate ad hanc pietatem redigentur*, loc. cit. §. 771. Confer. etiam Van-Espen loc. cit. cap. 6.

* Quod de reparatione Ecclesiæ dictum, etiam ad reparandam Parochi vel Beneficiati habitationem pertinet.

§. 412. A primis quoque temporibus II. inter sacrum, qui haberi poterat, adparatum leguntur fuisse *mensæ speciatim ad consecrationem, oblationem & communionem Corporis & Sanguinis Christi destinatæ* (*a*) quamvis initio fideles uti a templorum ita etiam ab Altarium adpellatione abstinuerint (§. 405. n. a.) (*b*) neque Altaribus ante seculum quintum specialis consecratio fuerit impensa (*c*). Hæc nobis sane de Altaribus historia ecclesiastica; jus eadem 1. aut *fixa*, seu *immobilia* aut *portatilia* seu *viatica* esse (*d*), 2. consecrari debere ad normam in Pontificali Romano expressam, 3. non minus ac Ecclesias consecrationem perdere, pollui & reconciliari edocet (*e*).

(*a*) Conf. meus ordo Princip. P. II. §. 254. n. b.

* *Altare contra Episcopum erigere* olim separationem ab Episcopo significabat. Conf. Van-Espen in Schol. ad can. 5. Antiochen.

(*b*) Consentit Just. Hening. Boehmerus in jur. Eccles. L. III. T. XL. §. 51.

* SS. Patres idem intellexere nomine mensæ mysticæ, tremendæ, spiritualis, divinæ, aræ tremendæ, quod nos nomine altarium intel-

intelligimus. Conf. Binghamus loc. cit. Cap. 6. Cap. 14.

(*c*) Chryfoft. Hom. 20. in Ep. 2. ad Corinth.

(*d*) Seculo VIII. cæpit ufus altarium portatilium feu viaticorum, quæ ipfa cum præcipue extra loca Deo dicata adhiberentur, neceffariam faciebant confecrationem altarium a confecratione Ecclefiarum diftinctam. Conf. Jo. Bapt. Thiers Difs. de principal. Ecclef. altar. cap. 2.

(*e*) Polluta Ecclefia, etiam altaria polluuntur. Non tamen etiam execrantur altaria femper cum Ecclefia. Cl. de Riegger l. c. §. 767.

§. 413. Nec non III. facra veftimenta & vafa jam antiquiffimis temporibus adhibita (*a*) ac curæ Diaconorum commiffa deprehenduntur (§. 165. n. e.) quemadmodum & hodie obfervatur, ut quædam a laicis nec quidem extra neceffitatem tangantur (*b*). Præcipue autem jus noftrum injungit, 1. ut in Ecclefiis parochialibus (§. 230.) Euchariftia, Chrifma & alia ad facramentorum ufum neceffaria femper parata habeantur & cuftodiantur, (*c*) atque 2. ad id ipfum conftituatur quoddam tabernaculum feu facrarium decenter ornatum, ante quod diu noctuque lampas ardeat, & in quod extra cafum neceffitatis res profanæ non reponantur; univerfe autem 3. oraria (§. 166. n. a.) vafa, corporalia, purificatoria & reliqua Ecclefiæ *munda nitida* ferventur (*d*).

(*a*) Statim poft pacem Ecclefiæ redditam vafa facra vel aurea vel argentea extitiffe docet Millevitanus L. I. contra Parmenianum. Contendit Baronius fuiffe fub Apoftolis etiam vitreum calicem, & fubinde demum propter nimiam ejus fragilitatem pauperibus Clericis *ftanneum* permiffum effe. Can. 45. de confecr. Dift. 1. Quid quod *ligneos* quoque calices quondam fuiffe pateat ex notiffimis verbis Bonifacii Martyris & Epifcopi, quibus quofdam fui temporis facerdotes ita perftringebat: *Quondam facerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc e contrario lignei facerdotes aureis utuntur calicibus*. Conf. de Roye Inftit. Jur. can. Lib. II. Tit. XI. & meus ordo Princip. P. II. §. 255. not. a & b.

* Tempore Concilii Nicæni II. vafa facra nondum benedicebantur. Conf. Van-Efpen Difs. in hanc fynod. §. 6.

(*b*) Quæ a *folis Presbyteris tractari poffunt, funt*, EUCHARISTIA, *&* SACRUM OLEUM, *five id fit chrifmatis, five infirmorum, five catechumenorum; quod oleum die viridium inter facrum ab Epifcopo confecratur, & præftituto die ac loco a paftoribus accipitur, qui veteris reliquias luminaribus Ecclefiæ affundunt, & recens vafis minimum ftanneis affervant*, c. 4. dift. 95. c. 1. de cuft. Euch. *vafa facra ut calices & fcutellæ debent effe argenteæ, vel faltem ftanneæ facro oleo ab Epifcopo confecratæ; nec non lintea altaris ab Epifcopo vel mandatario Presbytero benedicta*. Pontif. Rom. Part. II. *Quæ cuncta non nifi clericis, minimum fubdiaconis quadam facramentorum reverentia tangenda funt. Benedicuntur etiam mappæ ac omne altaris inftrumentum, amictus, humeralia, cinctura, manipulus, ftola, cafula, tunica, veftis dalmatica, cruces quoque & imagines B. Virginis & fanctorum, quæ publicæ adorationi exponuntur — — Omnium autem rerum, quæ in Ecclefia funt, nulla folemnius benedicitur, quam Campanæ*. Pontif. Rom. de camp. Bened. *Cantantur plures Pfalmi, quibus partim auxilium divinum imploratur, partim Deus celebratur. Epifcopus vel Presbyter eas aqua benedicta lavat, iterumque ac iterum oleo infirmorum & chrifmatis inungit, fuffitque thure & myrrha. Precibus explicatur campanarum ufus in excitanda fidelium devotione, in repellendis dæmonum infidiis, & in tempeftatibus diffipandis — in Ecclefiis porro funt veftes facerdotales pluvialia, altarium tegumenta varii coloris pro diverfitate miniftrorum & altarium &c.* Fleury Inft. Jur. Ecclef. P. II. cap. 8. §. 2. 3. 5. 6.

* Vid. Synod. Laod. can. 22. & 23. & Conf. Andreas du Sauffay de panoplia facerdotali feu de venerando facerdotum habitu, du Gange in Glofs. verbo *orarium* & *dalmatica*. Cardinalis Bona L. I. Rer. Lit. cap. 24.

(*c*) Videlicet ob neceffitatem inopinatis fæpe cafibus aut infantibus baptifmum aut aliis fidelibus infirmis facrum viaticum & extremam unctionem miniftrandi.

(*d*) Vid. fynod. Trid. fefs. XIII. cap. 6. de ref. cap. 1. & 2. de cuftodia Euchariftiæ, chrifmatis & aliorum facramentorum.

* Canones, qui prohibent vafa & ornamenta facra profanis ufibus adhiberi, inter hofce ufus pauperum neceffitates non reputant, *cum ejufmodi tunc maxime Domino confecrantur, dum membris ejus ex charitate impenduntur*, ait Van-Efpen in fchol. ad can. 73. Apoft. quemadmodum etiam in Comment. in 3. Part. Grat. Dift. 1. refert hæc verba: ex Petri Damiani opufc. 31. cap. 6. *Sacerdotii meritum non nitor efficiat veftium, fed fpiritualium norma virtutum, & non micantia margaritha & gemmæ, fed mores aurei deceant facerdotes* (§. 407. n. b.)

§. 414.

414. Quod IV. adtinet ad loca religiosa, quo nomine veniunt *quæcumque loca* AUTHORITATE PUBLICA *ad promovendum cultum divinum, indigentiamque proximi sublevandam* (*a*) quæque vel *Ecclesiastica* vel *laicalia* sunt (*b*) (§. 396. n. a.); præter monasteria, de quibus jam supra egimus (§. 336.), eminent *hospitalia*, seu loca illa, *quæ usui pauperum, infirmorum, orphanorum, aliarumque personarum miserabilium sunt destinata* (*c*).

(*a*) Quæ authoritate mere privata in fundis privatis pio animo constituta sunt, loca saltem *pia* dici queunt; ceterum vero profanarum ac privatarum rerum jure censentur, cum privati destinatio sacrum locum non faciat; Gonzalez in cap. 4. de Relig. dom. Barbosa Jur. Eccles. Lib. II. cap. XI. n. 12. & in capitulum cit. num. 2.

(*b*) Utraque scilicet ratione finis sunt religiosa. Per excellentiam tamen sola ejusmodi loca Ecclesiastica a Canonistis *religiosa* adpellantur. Vid. Caus. XVI. Q. I. Can. 8.

(*c*) Patet itaque accipi hoc loco *hospitalia* in sensu lato. Enimvero quæ iisdem pro varia eorundem destinatione varia nomina tribuuntur, jam audivimus supra (§. 124. n. a.)

* Vocantur etiam loca *venerabilia* in Capitular. L. I. c. 29. T. 1. Col. 746. apud Baluz.

§. 415. Episcopos successores Apostolorum profecto etiam in Apostolicam pauperum curam successisse jam ipsi agnovimus (§. 201. n. f.) (*a*). Inde autem tam per decretales quam per interpretes conclusum fuit *pro Episcopo fundatam de jure communi stare intentionem super ipsa subjectione, administratione & ordinatione hospitalium ac omnium piorum locorum suæ diœcesis* (*b*) atque adeo privilegia exemtionis, si quæ ab hospitalibus opponerentur, ab iisdem probanda esse (*c*).

(*a*) Caus. XVIII. Q. II. Can. 10.

(*b*) Cap. 3. de Religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ; & Fagnan. ad h. c. n. 2.

(*c*) Ad exemplum sane Monasteriorum etiam hospitalibus præfecti, & clerici, qui ea in titulum beneficii possidebant, tanta exemtionis privilegia sibi compararunt, ut enatis inde gravissimis abusibus, de restituenda Episcoporum auctoritate a pluribus Conciliis sit laboratum. Vid. Concil. Vien. in Clem. 2. de relig. Dom. Trid. sess. VII. cap. 15. sess. XXII. cap. 8. 9. sess. XXV. cap. 8.

* Etiam circa illa hospitalia, quæ absque *auctoritate Episcopi* erecta sunt, atque ideo a Canonistis non *religiosa* & *ecclesiastica* sed *profana* ac bonorum ecclesiasticorum privilegiis destituta censentur, mens Concilii Tridentini ea est, ut Episcopi ab eorundem administratoribus saltem rationes exigendi jus atque obligationem habeant. Conf. Van-Espen P. 2. Tit. 14. cap. 2.

** Cum Episcopi exemplo Apostolorum diaconis commiserint curam personarum miserabilium, & ædium pro iis constitutarum, eædem domus *Diaconiæ* dictæ fuere; conf. du Cange in suo glossario verbo *diaconia*, unde & diaconi *cardinales* ortum suosque titulos habent (§. 203. n. d.).

§. 416. Certum est, neque ipsis sanctionibus Ecclesiasticis, neque interpretum sententiis quæcumque hospitalia supremis in ea Imperantium civilium juribus (§. 101.) subduci potuisse (*a*).

(*a*) *Omnem videlicet*, ait Cl. de Riegger l. c. §. 643. *hac in re potestatem Episcopi a fideli populo acceperunt, cujus voluntas Imperanti non potest non semper esse subdita. Dein sunt quædam ejusmodi pia loca sub immediata protectione Principum constituta, qualia etiam imposterum ea omnia erunt, quorum cura Episcopo & Clero non fuerit expresse commissa & permissa: licet contrarium ex Trid. Concil. colligi posse videatur, sess. XXII. cap.* 8. 9.

* Ipsi sane Apostoli universe obligationem pauperes aliosque miseros sublevandi, præcipuaque in eo exempla dandi ad se pertinere existimabant. Verum administrationem & dispensationem Bonorum, quæ fidelium liberalitate in usus personarum miserabilium conferebantur, sibi nequaquam propria subjiciebant potestate, sed tantum ab ipso populo sponte concreditam suscipiebant. Act. Apost. Cap. IV. 34. seqq. Imo cum metuerent, ne ministrando mensis a verbo Dei posthac detinerentur, & hinc de eligendis Ministris cogitarent, quibus simul cura mensarum & viduarum committeretur (§. 165.) *convocantes* MULTITUDINEM DISCIPULORUM *dixerunt: non est æquum nos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis, considerate ergo fratres* VIROS EX VOBIS *boni testimonii septem plenos spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus:* ibid.

ibid. cap. VI. Quod exemplum si jura multitudinis offerentium, & eorum, quorum interest, observanda esse docet, quomodo non docebit præ aliis observandum esse supremum multitudinis civilis Principem, qui ad publicam civitatis salutem, & hinc etiam ad rectam civium miserabilium curam, subditos eorumque bona dirigendi ordinandique potestatem ex naturali civitatum jure, & positiva divina lege sibi propriam atque nulli alteri humanæ potestati subjectam habet.

§. 417. Ipsum Concilium Viennense propter abusus commissos (*a*) statuit, *ne qua hospitalia clericis secularibus titulo beneficii dentur, sed ut eorum administratio viris laicis, providis, bonis & idoneis, qui sciant, velint, & valeant loca ipsa, bona ipsorum, ac jura utiliter regere, & eorum proventus, & reditus in personarum usum miserabilium dispensare, committeretur* (*b*). Quam constitutionem synodus Tridentina *innovandum duxit, & innovavit cum derogationibus in ea contentis* (*c*).

(*a*) Ex Presbyteris scilicet & Diaconis, qui olim hospitalium administratores ab Episcopis constitui solebant, multi bona usui pauperum destinata in usus proprios convertere cœperunt. Vid. Concil. Arelat. Can. 13. a. 1260.

(*b*) Clem. II. de relig. Dom.

(*c*) Trid. sess. VII. cap. ult.

* Multa hospitalia ex mente fundatorum subsunt religiosorum gubernationi; conf. Van-Espen l. c. cap. III.

§. 418. Ceterum administratoribus hospitalium hæc in jure nostro sancita sunt, 1. ut ad instar tutorum & curatorum juramentum præstent; & priusquam se administrationi immisceant, 2. de bonis ipsorum locorum inventaria conficiant; nec non 3. quot annis rationes reddant (*a*) & non tantum bona non alienent aliter, quam ex justa causa, adhibitis solemnitatibus, & eorum, quibus cura suprema incumbit, consensu impetrato (§. 401.), sed etiam 5. quantum fieri potest, ad eundem omnino usum, quem ipse fundator determinavit, impendant (*b*).

(*a*) Cit. Clem. 2. l. 5. §. 5. Cod. de curat. furios. juxta authent. ibid. Novell. 123. cap. 23. l. 28. eod. de Episc. & Cler. Nov. 131. cap. 15.

(*b*) Trid. sess. XXV. cap. 8. de ref. Enimvero ex hactenus demonstratis patet abunde, commutationes fundationum piarum, ut validæ sint, auctoritate summi Imperantis fieri debere. Conf. Van-Espen. l. c. cap. 4.

§. 419. Speciatim autem præterea circa receptionem in hospitalia statutum 1. ut observentur qualitates a fundatoribus præscriptæ (*a*), 2. non tantum egestatis, sed & vitæ probitatis ratio habeatur (*b*), 3. non ex affectu aut commodo minus egeni vere egentibus præferantur (*c*), 4. cumprimis mendici validi excludantur, ne reditibus hospitalium foveri videatur illorum inertia (*d*). Id quod canones etiam universe in distributione Eleemosynarum observari jubent (*e*).

(*a*) Van-Espen P. II. S. IV. Tit. VI. cap. 5. §. 1.

(*b*) S. Carolus in Concil. Mediol. V. part. 3. Tit. *quæ ad pia loca pertinent*.

(*c*) *In quibus locis fit*, ait Synod. Colon. a. 1536. part. II. cap. 6. *ut neglectis miseris ac inopibus, quibus hospitalia dedicata sunt, ex privato affectu Magistrorum aut magistratuum, qui hospitalibus hisce præsunt, non modo validi, sed & quibus victus & vestitus suppetit, recipiantur, tantum, quod illic commodius & in otio vivatur: qui certe aliter censeri non possunt, quam pauperum deprædatores, raptoresque, de alieno viventes ac velut ex sanguine pauperum saginati*.

(*d*) Eadem laudata synodus Coloniensis l. c. cap. 5. edicit: *Sint autem mendicantibus validis non solum hospitalia clausa, sed & publice ac ostiatim mendicare penitus interdictum —*. Addit synodus Burdigalensis an. 1583. Tit. 28. *compellantur a Magistratibus se potius in aliqua arte exercere, vel manuum labore honestum vitæ subsidium comparent, quam ignaviæ ac desidiæ dediti ostiatim in triviis & in templis miserrime mendicent. Si id recusaverint, curent Episcopi, ut ejiciantur*. Neque aliis, dicit Concilium Bituricense ann. 1584. Tit. 43. can. 4. *hospitalia pateant, quam iis, qui præ ægritudine, senio, aut corporis imbecillitate victum sibi parare non possunt*.

* Vid. l. un. cod. de mendic. valid. Novel. 80. cap. 5. Lib. I. Capitul. Reg. Franc. cap. 118.

** Con-

** Conferantur, quæ de cura Pauperum habet Cl. noster de Sonnenfels Cæf. Reg. Gub. Inf. Austr. act. Consil. & Prof. Publ. Ord. scientiarum Œconomic. in Politices Fundamentis, §. 121.

(e) Conf. Clarif. de Sonnenfels l. cit. nec non §. 122.

* Cum jam ex canonibus demonstratum sit 1. a supremo Numine in concursu officiorum, erga ipsum affirmativorum, & necessitatis erga proximum desiderari *misericordiam*, non sacrificium, *miserosque* templo majores æstimari (§. 127. n. a. 401. n. h.), 2. bona Ecclesiastica ultra necessariam sustentationem ministrorum Religionis a Conciliis, Patribus & ab omni antiquitate dici atque haberi *patrimonium pauperum* (§. 121.), 3. quemvis Religionis Antistitem non tantum non invitum esse posse, sed & propensum esse debere, ut ea in levamen pauperum ac miserabilium personarum adhibeantur. (§. 201. n. f.) 4. speciatim thesauros Ecclesiæ tunc optime custodiri, quando levandis miseriis vivorum Dei templorum impenduntur (§. 330. n. e.) patet a jure canonico suppeditari media facillima & efficacissima auxilium quibusve miseris, & egentibus procurandi, atque ita etiam numerum mendicorum diminuendi.

** In quibusdam, cum primis Galliæ locis eleemosynæ ad parochum deferuntur ab eodem distribuendæ, cum is præ aliis in sua parochia facile inquirere & cognoscere possit indigentes, & parochi etiam id munus pro sua vocatione (§. 235. n. a.) lubentissime peragent gratis, quo ipso sumtibus in alios officiales impendendis parcitur. Constitutio sane plurium parochiarum, præcipue in magnis urbibus, etiam quam maxime ad pauperes sublevandos confert.

*** Patet porro ex dictis, prohibere licentiam mendicandi aut quidquam mendicis tribuendi nequaquam Juri canonico esse adversum; Enimvero si ex illis fontibus, quos monstravimus (§. 330. n. c.) summi Imperantes pro suo jure (§. 125. n. a.) in miseros aut labores aut viribus destitutos necessaria derivent; 1. cessabit mendicandi necessitas, per quam sublatam utique cura pauperum a Christo inculcata quam maxime observatur, verissimaque erunt hæc verba Cl. de Sonnenfels *in prima Parte Tractatus de Politica, & Repetundis* §. 122. *Sic nulla est caussa cur unus tantum mendicus in Republica sit*, 2. salvum semper manebit jus cuique ad sustentationem & incrementa ejusmodi ædium & fundationum publicarum, quæ pro sublevandis proximis erectæ sunt, contribuendi misericordia liberali; imo ad hanc fortasse multi conspectu hujusmodi ædium, & dum in iis simul egentes simulque pecuniam in eos recte impensam oculis cernent, non minus ac verbali misericordiæ prædicatione movebuntur.

§. 420. Sed denique etiam id in hospitalibus curandum est, ut sicuti subsidia temporalia per homines peritos fideles & humannos (a) ita spiritualia per parochos, aut si necesse est, per alios ad id constitutos idoneos Presbyteros (b) omni cum charitate, sollicitudine & adcuratione ibidem ministrentur.

(a) Vid. constit. S. Caroli in Concil. Mediol. V. part. 3. Tit. *quæ ad loca pia pertinent*, ne scilicet aut incuria aut lucri cupiditate, aut grassitie eorum, qui nomen adjutorum habent, magis premantur miseri quam subleventur Conf. Van-Espen l. c. cap. 4.

* Decimo sexto seculo ad pauperes, præsertim infirmos, curandos institutus est Ordo *Charitatis* a Joanne de Deo, natione Lusitano, probante Pio V. *dummodo sub Regula S. Augustini vivant*, & concedente, ut unum sacerdotem habeant in singulis hospitalibus, qui & fratribus & infirmis sacramenta administret, & cum aliis confratribus sub loci ordinarii jurisdictione, correctione, visitatione & obedientia perpetuo constitutus sit. Dicitur quidem præterea in Bulla Pontificis *licet ex debito*, ut Ordinario, non vero alteri rationes administrationis reddere debeant; verum nos præ hac Pontificis constitutione quoad temporalium administrationem jus Principis divina lege fundatum adtendimus, vi cujus sane Princeps poterit examinare, num quantitati redituum fundationis ac eleemosynæ, quæ in majoribus etiam urbibus facile computari potest, numerus curatorum aut curandorum infirmorum respondeat; aut vero disponere, ut a civibus ejusmodi eleemosynæ in manus officialium Principis vel Parochorum ferantur, & denique generatim invigilare, ne illa, quæ pro *infirmorum* necessitatibus oblata sunt, *infirmarii* in sua commoda ac voluptuaria convertant. Vid. Concil. Arelat. de a. 1260. c. 13.

** Jam pridem quoque teste Cardinali Jacobo de Vitriaco in historia occidentis cap. 29. fuere congregationes fœminarum, quæ curæ infirmorum se dicabant, & quidem initio cum fratribus idem institutum sequentibus sub eodem etiam tecto contubernium habebant. Verum ob pericula & excessus, de quibus testatur Concil. Rothom. Tit. de Episc. num. 31. hujusmodi fratrum & sororum separatio decernebatur, atque inde sanctimoniales hospitalariæ, quæ hodie emissis tribus votis & anne-

xa

xa speciali obligatione infirmis serviendi pene ubique secundum Regulam S. Augustini vitam religiosam agunt. Conf. Van-Espen l. cit. cap. 3. §. 23.

(*b*) Vid. Concil. Burdigal. a. 1585. Tit. 28. *Sane*, ait Van-Espen loc. cit. §. 43. *in magnis nosocomiis, in quibus frequens solet esse infirmorum numerus, convenit, ut speciales sint Presbyteri, qui infirmis assistant eosque rite instruant, & ad Christiane moriendum vel vivendum disponant. Qui autem adtenderit, quam crassa sepe ignorantia laborent, & quam multis criminibus frequenter sint onusti, & implicati pauperes ad Nosocomia divertentes, facile intelliget, quod plures, quam hodie consueverint, sacerdotes Nosocomiis pro cura spirituali infirmorum merito praeficerentur; ne alias appareat, revera plus curari corporum, quam animarum curationem*.

§. 421. Quae V. de capellis dicenda intendi (§. 403.) sunt illa tantum; quae 1. de origine oratoriorum in genere, 2. de oratoriis Palatinis in specie, 3. de origine nominis *capella*, 4. de juribus & privilegiis capellarum regiarum, 5. de capellis & Grangiis Monachorum, 6. de variis capellarum significationibus nobis sunt scitu necessaria.

§. 422. Origo oratoriorum; quae superiori aetate *capellae* vel *sacella* nominari caepere, repetenda quidem est a primis temporibus Christianorum; qui ob persecutiones coacti erant ad sacra sua domi celebranda. (*a*) Verum etiam cessantibus persecutionibus Oratoriorum usus per Orientem (*b*) & Occidentem (*c*) adeo invaluit, ut ob neglectum inde cultum publicum Ecclesiasque parochiales minus frequentatas variis Episcoporum (*d*) & summorum Principum constitutionibus (*e*) ad *devotionem domesticam* (§. 113. n. a.) constringi debuerit.

(*a*) Thomassin. de vet. & nov. Eccles. disc. T. 1. P. 1. L. II. c. 29. seq. Pignatelli consult. can. Tit. VI. consult. 98.

(*b*) Vid. Can. 34. Dist. 1. de consecr. Leonis Novel. IV. & XV.

* Thomassinus loc. cit. 96. oratoriorum apud Graecos frequentiam inde repetit, quod apud eos non nisi unum altare, & in eodem una tantum de die missa celebrabatur.

(*c*) Concil. Aurel. IV. a. 541. Can. 16. apud Harduin. Concil. Tom. II. Col. 1436. Gregor. M. L. VI. Ep. 93.

* In Germania eo deventum, ut Nobiles fere omnes sua oratoria haberent, & quemquam e servis eum saepe in finem solummodo manumitterent, ut is obtento Presbyteratu in oratorio domestico sacra ministrare posset. Vid. cap. 4. de serv. non ordin.

(*d*) Vid. Constitutio Alexii Patriarchae, quae extat in jure orientali, nec non can. 33. 34. 35. Dist. 1. de consecr.

(*e*) Vid. Novell. Justiniani 58. Capitular. L. V. cap. 383. & Lib. VI. c. 102. apud Baluz. T. 1.

§. 423. Initium oratorii Palatini a Constantino M. deducendum (*a*); & quidem hujusmodi Palatina oratoria ad instar Ecclesiae composita fere totidem ac palatia imperialia fuere (*b*).

(*a*) Conf. Euseb. in vit. Constantin. L. IV. c. 17. Sozomenus hist. Eccles. L. 1. c. 8. ubi etiam mentio fit altaris portatilis, quod Constantinus secum ferebat, cum contra hostes praelio contenderet.

(*b*) Conf. du Cange in Constantinopoli Christiana L. IV.

* De multiplicatis Capellis sub Regibus Francorum conf. Eginhardus in vita Caroli M. & Continuator Reginonis ad an. 830.

§. 424. Ipsum Nomen *Capella* oratoriis obtigisse ajunt ab Oratorio in aula Regum Francorum primae stirpis, in quo *cappa S. Martini Turonensis*, quae ab iisdem Regibus in castra accipiebatur, adservata fuerat. (*a*)

(*a*) Walafridus Strabo de reb. Eccles. c. 31. Durandus in Ration. div. L. II. c. 10. du Cange in Glossar. voc. *Cappa*, Matthaeus Paris. ad an. 1242. p. 525. inde repetit, quod Magnates peregrinantes reliquias sanctorum secum tulerant asservatas in repositorio seu conditorio, quod *cappas* & *capellas* dixere, illasque domum reversi reposuerant in extructa oratoria iisdemque nomen *capellarum* tribuerant. Vid. Just. Hening. Boehmer. in not. ad Claud. Fleu-

ry Institut. Jur. Eccles. P. II. cap. 7. §. 2. Rejicienda autem omnino sententia Glossographi, qui in C. 30. Dist. 3. de consecrat. dictam putat *capellam*, quod *caprarum pellibus tabernacula tegerentur*. Nec audiendi illi, qui hanc dictionem a verbo *Capio* arcessunt.

§. 425. Crescente autem splendore ac dignitate capellarum Regiarum etiam dignitas jura & privilegia *Capellanorum* seu *Clericorum* Palatinorum (*a*) & quam maxime *summorum* ibidem capellanorum (*b*) crevere.

(*a*) Concil. Mogunt. a. 813. can. 22. Clericos universe distinxit in tres Classes, scilicet aliam sub *Episcopi* cura, aliam *Abatibus* subjectam, aliam denique *in servitio Regis* constitutam. Et sane exemtiones, quas Principes suis capellanis dabant, cum a Nutritiis & defensoribus Ecclesiæ venirent, a S. S. Pontificibus & Conciliis probatas fuisse novimus. Agnitum nempe Episcopos ejusmodi, qui officio a Regibus admovebantur, excusari a residentia in suis diæcesibus, earumque utilitati in aula Principis prospicere posse. Concil. Francoford. a. 794. can. 55. apud Harduin. Tom. IV. Col. 909. statutum ideo quoque in Concil. Trident. sess. XXII. c. 8. ut *Ecclesiæ & locapia, quæ sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia ab Episcopis non visitentur*, & sess. XXIV. c. 2. confirmata decretalis Innocentii III. quæ refertur in cap. *cum capella de privilegiis*, ubi quidem capellani Principum, si ab Episcopo præfecti sint, Ecclesiis parochialibus, quoad hanc curam animarum eidem subjiciuntur, ceterum vero in exemtionum privilegiis per Principes datis firmantur.

(*b*) Scilicet *Archicapellani*, quos etiam *Apocrisarios* & *Responsales* nominabant, non tantum in Ministerio Palatino primum locum tenebant, & Clerum Palatinum regebant, sed in judicandis quoque Ecclesiasticis potestatem & quidem eandem exercebant, qua comites Palatini in decidendis causis civilibus utebantur. Vide hæc apud Andr. du Chesne in Scriptor. hist. Franc. T. II. f. 491. & 92. cap. XVI. cap. XIX. & c. XL.

* Hodiedum *Capellani Majores* Regum variis privilegiis, titulis, imo aliqui charactere Episcopali sunt insigniti. Vid. Benedictus XIV. Synod. Diœces. L. c. 8. §. 11. & 12.

§. 426. Capellæ Monachorum dum in canonibus nominantur, non tantum intelliguntur Monachorum oratoria privatæ devotioni destinata (*a*) sed etiam nonnunquam *prioratus*, *præpositura*, *parochia*, aliæque *Ecclesia* & *beneficia curata vel non curata*, quæ a Monasteriis vel aliis locis religiosis tanquam accessorium a suo Principali dependent. (*b*) Nomine *Grangia* vero venit locus, in quo parvus conventus a monasterio dependens degit, aut domus aliqua voluptuaria ruri extructa, ad quam regulares animi causa non nunquam recurrunt. In cujusmodi Grangiis an etiam missas dicere liceat, ex tenore privilegii est desumendum (*c*).

(*a*) Monachi initio non minus ac laici ad frequentandas Ecclesias parochiales obligati. (§. 332. n. a.) subinde seculo VI. oratoria privata & paulo post, ubi cœnobitæ ad clericatum admissi sunt, Ecclesias amplissimas consequebantur.

(*b*) Acerbæ collisiones ortæ sunt inter Episcopos & Monasteria, dum ab istis parochiæ aliaque beneficia curata & non curata occupabantur, atque illæ in Concilio Claromontano saltem ita compositæ, ut Ecclesiæ beneficia vel altaria (quæ vocabula tunc temporis idem significabant) a monasteriis a 30. annis possessa iis quidem maneant, eademque a pensionibus propterea Episcopo præstandis seu redemtionibus altarium libera essent, *Institutio* tamen vicariorum a monasteriis constitutorum ad Episcopum etiam imposterum inconcussa pertineat. Conf. de Marca in not. ad Can. VII. Concil. Claromont. & Gonzalez in comment. ad c. 1. de Capel. Monach.

* Attendendum præcipue, quo modo Capella vel Ecclesia parochialis Monasterio unita sit. Enimvero potest unita esse,

1. *Quoad temporalia tantum*; quo casu *Sacerdos secularis* ad præsentationem vel aliquando etiam sine præsentatione Monasterii ab Episcopo instituitur, atque monasterium potius jure dismembrationis redituum quam incorporationis temporalia percipit. Van-Espen Diss. de pristin. altar. & Eccles. incorporat. c. 2. T. 2.

2. *Pleno jure*, ubi Monasterium in Capella vel Ecclesia parochiali præter jus recipiendi *reditus*, etiam *administrationem spiritualium* & curam animarum habet. Hæc sane *incorporatio*, quæ *mensa Prælati* dicitur, efficit, ut Abbas censeatur Rector Ecclesiæ & gaudeat jure constituendi vicarium sive secularem sive regularem, nisi literæ unionis constituendum præcise determinent. Manet tamen populus subditus Episcopo, ejusdemque adprobationi, visitationi, & correctioni vicarius quoad illa sub-

subjacet, quæ ad curam animarum pertinent. Vid. Can. 6. XVI. q. 2. Clem. un. de excess. Prael. Concil. Trid. sess. VII. cap. 7. & sess. XXV. cap. 12. de regul. Van-Espen cit. Diss. c. 3. §. 8. & in comment. ad cit. Caus. XVI. q. 2.

3. *Plenissimo Jure*, quando Prælatus Monasterii in Ecclesia unita Jurisdictionem quasi Episcopalem exercet, adeoque ad eum adprobatio, Institutio, visitatio Cleri &c. pertinet, ita tamen ut tenorem fundationis aut receptam consuetudinem observet. Vid. Bulla Benedicti XIV. *firmandis* §. 12.

** Extra casus relatos Monachi in suis Ecclesiis actus parochiales in alios exercere nequeunt, quam in suos religiosos. Enimvero solum monasterium exemptum est, quo minus Parochus, intra cujus limites existit, in illud actus parochiales exercere valeat. Clem. 1. de privil. cap. 2. de Capel. Monach. Cl. de Riegger l. c. §. 677.

(*c*) Conf. Fagnan. in opusc. de Grangiis n. 2. seq. Vincent. Petra in comment. ad Constit. Apost. T. II. pag. 478. n. 5.

§. 427. Sed & ceterum capellæ vocabulo veniunt nonnunquam 1. ipsa altaria in ædibus sacris extructa & peculiariter circumsepta, 2. sacella vel a templo sejuncta vel ei contigua vel in crypta ejusdem ædificata, 3. ipsa Ecclesia parochialis aut ejus filialis, præsertim si ædicula sacra exigui sit ambitus, 4. sacra suppellex, 5. cætus Clericorum & ministrorum, qui Regi sunt a sacris domesticis, eumque sequuntur, imo 6. etiam cancellaria Principis, inde nimirum, quo in oratorio Palatino Archivum, diplomata & monumenta Regni intra cancellos adservata fuerant sub custodia summi capellani, cui *cancellarii* & *Notarii* subjiciebantur. (*a*)

(*a*) Conf. Cl. de Riegger l. cit. §. 660. & 668. nec non Wiestner Instit. Can. ad Tit. de capel. Monach. num. 2. Thesaurum chartarum regiarum adhucdum in sacra Capella Parisiensi adservari testatur du Cange in Gloss. voc. Capella.

§. 428. Denique VI. ad Canones de sepulturis intelligendos nosse oportet 1. sepulturæ originem, 2. vicissitudines quoad loca sepulturis destinata, 3. proprium hodie sepulturæ locum, 4. Jus oblationum funerariarum, 5. delicta, quorum authores sepultura ecclesiastica privantur.

§. 429. Necessitas sepulturæ primum fundamentum habet in naturalibus officiis erga se & alios; ob incommoda scilicet, quibus per corpora defunctorum non sepulta viventes exponerentur. (*a*) Addidit autem gravissimum momentum etiam positiva Religio, cui nimirum convenit sepulturam corporum, quæ animarum ante hac domicilia, & spiritus sancti templa fuere, congruis honoribus ornare, certis eos significare ritibus, qui in communione nostræ Ecclesiæ supremum diem obiere, atque eadem occasione communes pro iisdem ad Deum preces fundere (*b*)

(*a*) Et quum spirantes mittas tunc ducimus auras
Illa quoque in corpus pariter sorbere necesse est.
Lucretius Carus Lib. VI. de rer. nat.

(*b*) Gen. XXV. 9. 10. Deut. XXXIV. 6. Origen. Lib. VIII. contra Cels. S. Hieron. Lib. 1. Ep. 25. 8. S. August. L. 1. de civit. Dei Cap. 13. & Lib. de cura pro mort.

* *Ritus plurimi, quibus hodie circa mortuos eorumque sepulturam utimur, non tantum Judæis sed & gentibus fuere communes atque tam ab his quam illis ad Christianos pervenerunt*, recte ait Cl. de Riegger l. cit. §. 434. sed & statim provide subjungit ex Baron. annal. ad an. 58. hæc verba: *Si velimus accepta ab illis esse, quid absurdum, si eadem in veri Dei cultum conversa fuerint, ut alia multa*; Conf. etiam Van-Espen I. E. U. P. II. Sect. IV. Tit. VII. cap. 1.

§. 430. Romani sepulturam in urbe non admisere (*a*) atque id non tantum a Judæis (*b*); sed etiam diu a christianis observatum fuisse legimus (*c*); subinde autem Martyrum aliorumve sanctorum sepulchris intra urbes admissis (*d*) mox iisdem vicinam sepulturam habendi desiderio, ex pietate apud alios, apud alios ex ambitione orto, *cameteria* prope Ecclesias tam intra quam extra urbem invaluere (*e*), ac tandem sepulchra in ipsis Ecclesiis contra tot Ecclesiasticas & civiles prohibitiones sensim sine sensu sunt constituta (*f*).

(*a*) Vid. Christ. Hoffmanni Differt. de Cæmeteriis ex urbibus tollendis cap. 2. quæ dissertatio in mea collectione selectarum lucubrationum est Distributio XI. pag. 30.

(*b*) Numer. XXXV. v. 3. Matth. VIII. v. 28. XXVII. v. 6. Marc. XV. v. 46. Luc. VIII. v. 12. XXIII. v. 53. Joan. XIX. v. 41. Peculiaris tantummodo quibusdam, & plerumque Regibus is honor obtigit, ut in urbe sepelirentur. II. Reg. XXI. v. 18. 26. XIV. 30. Conf. Hoffmanni cit. Diss. pag. 25.

(*c*) Conf. Eufeb. Hist. Eccles. Lib. VII. cap. 11. & 13. Lib. IX. cap. 11. Anton. Bosius in Roma subterran. L. I. cap. 2. §. 9. Mabillonius de cultu sanctorum ignotorum Tom. I. Oper. posthum.

(*d*) Jam inter primos nempe Christianos sæpe quidem corpora martyrum surripere, ac in domo propria sepelire solebant. Conf. Baron. Annal. Eccles. Tom. II. ad an. 226. Sagittar. ad Natalit. Martyr. cap. 3. §. 15. & 19. Pace autem Ecclesiæ data, & Basilicis indies pluribus extructis in honorem Martyrum, unde *memoriæ martyrum* dicebantur ecclesiæ, ubi corpora martyrum vel sanctorum condita erant, Augustin. Confess. l. 6. c. 2. eorundem etiam corpora eo inferre eo liberalius concessum. Indeque invaluit mos Ecclesias & Altaria absque sanctorum reliquiis non consecrandi (§. 388. n. 1.) S. Ambros. Epist. 54. S. Paulin. Ep. 12. Concil. Nicæn. II. Can. 7. Carthag. V. c. 14.

(*e*) Confirmata sunt sepulchra urbana etiam Leonis constitutione in Nov. 53. Vid. S. Ambrosius sermone 77. & Caus. XIII. Q. II. Can. 19. §. 3.

* Vox *cæmeterium* desumta a græco verbo κοιμαω quod dormire significat, *recte enim*, ait S. Hieron. *dormientes dicimus, quos certum est resurrecturos*, advers. Vigilant.

(*f*) Vid. lib. 6. cod. Theodos. de sepulchr. viol. l. 2. cod. de S. S. Eccles. Concil. Bracar. an. 563. Can. 18. Nannetense de an. 890. quod Gratianus cum Vaurensi confudit in caus. XIII. Q. II. Can. 15. Concil. Tribur. de a. 895. Concil. Winboriens. de an. 1706. & plures aliæ civiles ac Ecclesiasticæ leges, quas vide in cit. Hoffmanni Diss. pag. 41. 42. & 43. sepulturam in Ecclesiis prohibent.

* *Mirum*, ait Van-Espen, *quanta velocitate duobus hisce, scilicet laicorum ambitione & Clericorum cupiditate, impellentibus disciplina hæc antiquitus religiose observata de non sepeliendis mortuis in Ecclesia quasi ad interitum descenderit; ipsæque Ecclesiæ factæ sint divitum quorumdam cæmeteria insepulturam pauperum duntaxat relictis cæmeteriis*. P. II. Tit. 38. n. 34.

** Quantum nociva sint societati humanæ sepulchra intra urbes, præter laudatum Hoffmannum solide ac erudite demonstravit Cl. noster Josephus Habermann Med. Doct. in dissertatione *de salubri sepultura* Viennæ 1772. Cujus rationes arte ex salubri deductæ, & experientia eorum, qui habitantes circum sepulchra eorum fætidas exhalationes, cumprimis verno tempore se sentire fatentur, si perpendantur, eo denique hæc omnia valebunt, ut cæmeteria nec in suburbiis hominum copia refertis tolerentur. Quod executioni si hisce ex rationibus judicaretur dandum, etiam dari posset ita, ut nec Religioni suum, nec suum Ecclesiæ ministris decedat. Enimvero poterit funus porro ad Ecclesiam pio comitatu deduci, poterunt ibi justa persolvi, ibi signa in salutarem memoriam sepultorum erigi, ibi denique oblationes funerariæ præstari, atque igitur simul hisce omnibus salvis, simulque autem salva viventium valetudine cadavera dein nocturnis vehiculis in cæmeteria ab urbibus & suburbiis dissita tansferri, nisi forte aliud remedium inveniatur, quo halitus illi suffocarentur, velut calx viva &c.

§. 431. Proprius sepulturæ locus est parochia (*a*) ita tamen, ut sepulturæ parochiali *sepulchra* majorum (*b*) & huic illive præferatur ea, quam defunctus sepulturam elegit (*c*) quemadmodum eligere potuit liberrime (*d*).

(*a*) *Jus enim funerandi & exequiarum est de jure parochiali, quemadmodum sacramentorum exhibitio*, nisi ex aliquo speciali titulo exceptio ostendatur, cap. 3. de sepult. cap. 2. eod. in 6. Clem. 2. eod. Etenim cum parochus vivorum spiritualem curam sustineat, & tota sepultura Ecclesiastica nitatur motivis ad eos, qui in communione Ecclesiæ vixere relatis (§. 396. n. a.) præ aliis pro parocho militabit ratio, ut is in regula officiorum defunctis persolvendorum minister ordinarius habeatur. Conf. Cl. de Riegger l. c. §. 439. & Abbas ad cap. 9. de sepult. n. 18.

* Cum religiosis Prælatus sit pro parocho, & monasterium pro parochia, poterunt ii in ambitu vel Ecclesia monasterii, si non particulari lege contrarium sit sancitum, sepeliri, iisdemque per ipsum superiorem justa persolvi, cap. fin. de sepult. in. 6.

** Canonici & Clerici Ecclesiæ Cathedralis sepeliendi sunt in Ecclesia Cathedrali, etsi in alia parochia habitent. Conf. Card. Tuscus præl. Conclus. lit. P. Conclus. 99. n. 5. Cl. de Riegger §. 440.

(*b*) Cap. 1. & 3. de sepul.

(*c*) Cap. 1. & 2. §. 1. de sepult. in 6.

* Facile conciliantur cap. 3. de sepult. quod *nova & minus religiosa loca eligi* non sinit, & cap.

& cap. 2. §. 1. eod. in 6. ubi sepultura *in loco minus religioso permittitur*. Illud enim de locis omnino profanis intelligi debet; hoc autem tantum de locis, in quibus non est religiosorum fratrum conventus, nec frequenter Missarum solennia celebrantur. Conf. Van-Espen P. II. sect. IV. Tom. VII. cap. 3.

(*d*) Libertatem hujus electionis nec turbat potestas mariti in uxorem, quæ tantum, si non elegit sepulturam, in sepulchro mariti & quidem, si plures habuit, ultimi tumulanda est. Cap. 3. §. 1. de sepult. in 6. can. 2. 3. XIII. Q. II. Nec patria potestas in filiosf. puberes cap. 7. de sepult. cap. 4. eod. in 6. Pro impuberibus electionem habet Pater cap. 7. cit. §. *utrum*.

* Quantumvis electio sepulturæ contineatur in testamento, solennitatibus tamen ultimarum voluntatum non est subjecta, sed tantummodo est species mandati post mortem exequendi. Cl. de Riegger l. c. §. 442.

* * Concessum quidem est in Clem. 2. de sepul. *hujusmodi* fratribus *Prædicatoribus & Minoribus*, ut in locis suis libere sepeliant illos, qui hoc *libere* elegerint. Verum quæ præterea intuitu sepulturæ in Ecclesiis Monachorum cauta sunt, optimum est, ut referam verbis Van-Espen, qui l. c. cap. 3. §. 38. ita scribit: *In cap. 4. de sepulturis, in prima collectione Decretalium apud Antonium Augustinum (fragmentum extat in cap. 2. ff. eod.) refertur Epistola Leonis (verisimiliter IX.) omnibus fidelibus per Dardaniam constitutis inscripta, in qua scribit, sibi esse relatum, quosdam esse perverse agentes, qui pervertere nituntur Ecclesiæ unitatem; „ videlicet Abbates, Monachos, qui non studio charitatis, sed zelo rapacitatis invigilant, atque seducere conantur seculares, quos illaqueare possunt, ut res suas, atque possessiones, sive in morte, sive in vita, Monasteriis suis tradant; & Ecclesiis, quibus subjecti esse videntur, & a quibus Baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam, nec non pabulum vitæ, cum lacte carnis acceperint vel accipiunt, nihil de bonis relinquunt ". Hanc Monachorum rapacitatem plane improbandam dicit. „ Considerantes (ait) non esse bonum, si illi, qui olim socii fuerunt passionum, secundum Apostolum, sint immunes a societate consolationum. Et quia dignus est operarius mercede sua ". Sanctus Bonaventura in Epistola 2. ad Provinciales sui ordinis scribit, quod sepulturarum & testamentorum litigiosa & avida quædam invasio Ordinem ipsum Clero toti non modicum exosum fecisset; uti supra parte 1. Tit. 32. cap. 1. num. 21. notavimus. Ex quo colligitur, quod vel eo tempore inciperent ad suas Ecclesias attrahere fidelium sepulturas; idque cum Cleri offensione. Cum autem hæc sepulturarum invasio, quæ etiam aliorum Ordinum Religiosos, imo Clericos seculares sensim invasit, magna scandala & dissensionum semina pareret, ipsisque fidelibus libertatem in eligendis sepulturis adimeret; Bonifacius VIII. animarum periculis & scandalis, quæ frequenter ex his proveniunt, obviare volens, ait: „ Universis Religiosis & secularibus Clericis, cujuscumque status vel conditionis existant, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub interminatione maledictionis æternæ, districtissime prohibemus, ne aliquos ad vovendum, jurandum, ut fide interposita, seu alias promittendum inducant, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent ". Extat hoc Bonifacii Decretum in Cap. 1. De sepult. in 6. additque: „ Nos enim (si secus factum fuerit) electionem talem decernimus nullius penitus existere firmitatis. Statuentes, ut ii, qui sic elegerint, nec apud sic electas Ecclesias ullatenus sepeliri, nec alibi (ne contra votum, juramentum aut promissum hujusmodi a se factum materiam habeant veniendi) possint eligere sepulturam: sed contradictione quacumque cessante, sepeliantur omnino apud alias Ecclesias, apud quas sepeliendi de jure fuissent, si alias sepultura non electa forsitan decessissent. Si vero iidem Religiosi, vel Clerici prædictos in suis Ecclesiis vel cæmeteriis præsumpserint sepelire, ad restitutionem tam sepultorum corporum (si petantur) quam etiam omnium, quæ occasione sepulturæ illorum pervenerint quomodolibet ad eosdem, intra decennium integraliter faciendam ipsos obligatos esse censemus. Quam nisi fecerint, Ecclesiæ ipsæ, apud quas sepulti fuerint, nec non & cæmeteria earundem ex tunc eo ipso sint, & tamdiu maneant Ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium prædictorum ". Hæc constitutio renovatur in cap. 3. de Pœnis in Clementinis; volens, „ violatores dictæ constitutionis pœnam a Bonifacio comminatam incurrere* IPSO FACTO, *ab alio, quam a sede Apostolica (præterquam in mortis articulo) nullatenus absolvendos, nullis privilegiis aut statutis, cujuscumque tenoris existant, super his valituris ".*

§. 432.

§. 432. Quod ad oblationes funerarias adtinet, certum est omnes exactiones pro sepultura antiquis synodorum (*a*), Pontificum (*b*), & summorum Principum statutis (*c*) prohibitas fuisse (*d*).

(*a*) *Nemo pro loco sepulturæ pretium de terra putredini concessa & de alieno velle facere luctu compendium tentet*, ait Concilium Meldense can. 72. videantur plura ejusmodi synodorum Decreta exactiones pro sepeliendis mortuis ut simoniacas prohibentia, & omnem contrariam consuetudinem reprobantia apud Gratianum, Cauf. XIII. Quæst. II. Can. 14. & 15. nec non in cap. 8. & 9. de Simonia.

(*b*) Vid. S. Gregorii Lib. 7. Indict. 1. Ep. 4. & Indict. 2. Ep. 56. Capit. 13. de sepult.

(*c*) Novel. 59. Nov. 12.

(*d*) Non obstat cap. 42. de Simon., quo vetatur laicis laudabiles offerendi consuetudines infringere; Enimvero non ita probantur exactiones pro sepultura, sed solum prohibetur, ne consuetæ *spontaneæ* oblationes *malitiose* impediantur.

§. 433. Subinde, ut Parochorum & Ecclesiarum Parochialium necessitatibus provideretur, pro officio & sepulturæ & exequiarum (*a*) debitum honorarium, imo etsi in alia Ecclesia fiat sepultura cum oblationibus, (*b*) de hisce saltem certa portio (*c*) proprio pastori (§. 236.) stabiliebatur (*d*).

(*a*) Sepultura seu inhumatio, & exequiæ pro defuncto persolvendæ sunt disparata, quapropter in jure sepulturæ simpliciter concesso nequaquam etiam jus exequiarum comprehenditur, cap. 9. de sepult.

(*b*) Etsi igitur quibusdam religiosis concessa sit facultas & sepulturæ & exequiarum, intelligitur semper sepultura eorum, qui eam præ parochiali *libere* elegerunt (§. 431.) atque Ecclesiæ parochiales semper manent illæ, *a quibus corpora assumi* dicuntur, & quibus propterea quarta funeraria præstari debet.

(*c*) Vocatur hæc portio, qualiscumque sit, *quarta funeralis* seu *portio canonica*. Cap. 2. de sepult. in 6.

* *Tertia* pars parochiali Ecclesiæ adjudicatur in Cap. 1. de sepult. *media* pars in cap. 2. eod. *quarta* in cap. 8. eod. *consuetudines* locorum adtendendas esse dicit Clemens III. in cap. 9. eod. Concilium Tridentinum, quod usum hujus portionis consuetudine longissimi temporis tolli posse admittit, ceterum quartam omnium obventionum in Clement. 2. de sepult. ad discordias, quas proh, dolor! cum parochis *Fratres Prædicatores & Minores* cæpere, submovendas stabilitam pro illis locis confirmavit, in quibus jam ante annos 40. Cathedrali aut parochiali Ecclesiæ ea solita esset persolvi ac postea fuerit ex quocumque privilegio aliis piis locis concessa. Vid. sess. XXV. cap. 13. de reform. Cl. de Riegger.

(*d*) Jus summorum Principum taxandi sumtus & expensas funerum ex legibus supra (§. 126. 432.) citatis jam exercitum fuisse patet.

* Etsi honoraria pro sepulturis præstanda sint stabilita, non tamen spiritui Ecclesiæ & conditioni Ecclesiasticorum convenit, ut sepulturam intermittant & cadavera societati humanæ nociva non prius tumulis condant, quam honoraria & stipendia illa sint persoluta. Enimvero adest in civitate judex, apud quem licet jus suum persequi, & propria authoritate ita factæ extorsiones non nisi exactiones essent canonibus semper prohibitæ, atque scandalum publicum honori status Clericalis adversum ac cavillationes inimicorum parturirent. Reflectatur tantummodo tunc ad illud Pauli Apostoli: *Sed non usi sumus hac potestate, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi —— bonum est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet — Quæ est ergo merces mea? ut Evangelium prædicans sine sumtu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio*. I. ad Cor. IX. Conf. Van-Espen, loc. cit. cap. 4. §. 54. & 55.

§. 434. Non quidem sepultura omni, attamen sepultura Ecclesiastica (*a*) privare potest Ecclesia (§. 101. n. a. & b.) ita tamen, ut etiam circa hanc, si quidam committerentur abusus, aut quomodocumque aliquid saluti Reipublicæ adversum interveniret, jura summorum Principum per potestatem Ecclesiasticam non potuerint limitari (§. 101. n. i. 105. n. c. 116. n. a.).

(*a*) Sepultura enim ecclesiastica pro *loco* sumpta est *locus ad sepulturam auctoritate sacra solenniter destinatus*; scilicet authoritate Episcopi, qui vel ipse vel per sacerdotem delegatum locum hujusmodi propterea benedicere debet, quia is pro parte aut verius pro atrio porticu & area ipsius Ecclesiæ habetur, cap. 4. de Relig. Dom. cap. 10. de immun.

Ec-

Eccles. c. un. ibid. in 6. cap. 7. de conf. Eccles. sepultura Ecclesiastica pro integro, quem Ecclesia tenet, sepeliendi ritu accepta consistit in eo, ut corpora 1. in benedicto loco, 2. cum lumine, 3. Psalmis & sacris orationibus, 4. oblatione, 5. thurificatione aspersione aquæ benedictæ aliisque ceremoniis in rituali contentis, 6. a clero & populo fideli tumulis condantur. Vid. Caus. XIII. Q. II. Can. 28. XXIII. Q. V. can. 12.

* De ritib. sepel. mortuos apud vet. Christ. conscripsit Onuph. Panvin. qui etiam singularum gentium circa hanc rem ceremonias in LX. antiqu. Rom. Lib. exposuit.

** Quandonam ritus benedicendi cœmeteria initium sumserint, certatur. Vid. Sanct. Gregor. Turonens. de Glor. Confessum, cap. 106. & conf. Van - Espen, loc. cit. cap. II. §. 19. sequ.

§. 435. De jure communi privantur sepultura Ecclesiastica 1. non baptizati (*a*), 2. hæretici, eorumque receptores & fautores (*b*), 3. qui non communicarunt in paschate (*c*), 4. mortui in torneamentis (*d*), 5. mortui in duello, etsi pœnitentes moriantur (*e*), 6. usurarii manifesti donec pro usuris satisfecerint (*f*), 7. Religiosi proprietarii (*g*), 8. qui decimas ad Ecclesiam pertinentes non restituunt (*h*), 9. Notorie excommunicati, nisi ante mortem vel absoluti fuerint vel saltem signa pœnitentiæ dederint & absolutionem post mortem ritu Ecclesiastico obtinuerint (*i*), 10. nominatim interdicti, nisi pœnituerint (*k*), 11. qui sibi ipsis libere mortem inferunt (*l*), 12. manifesti & publici peccatores, qui sine pœnitentia perierunt (*m*).

(*a*) Cap. 27. 28. Dist. 1. de consecr.
(*b*) Cap. 8. 13. de hæret. cap. 2. eod. in 6.
(*c*) Cap. 12. de pœnit. & remission. (§. 380. n. k.)
(*d*) Cap. 1. de Torneam.
(*e*) Trid. sess. XXV. cap. 19. de Ref.
(*f*) Cap. 3. de usur. cap. 2. eod. in 6.
(*g*) Cap. 2. 4. de stat. monach.
(*h*) Cap. 19. de decim.
(*i*) Caus. XXIV. Q. II. Can. 1. & fin. Cap. 12. de sepult. Cap. 28. de sent. Excom. unde axioma, *ut quibus non communicamus vivis, nec communicemus defunctis*.
(*k*) Clement. 1. de sepult. cap. 20. de sent. Excom. in 6.
(*l*) Caus. XXIII. Q. V. Can. 12.
(*m*) Vid. Ritual. Rom. & conf. Van-Espen, l. c. cap. VI.

CAPUT XVII.

De Beneficiis.

§. 436. Quæcumque perceptio redituum Ecclesiasticorum significatur nonnunquam latissime accepto Nomine *Præbendæ* (*a*) strictiore sensu per hoc nomen designatur id omne, quod ex bonis communibus *clerico* ad sustentationem vitæ *præbetur* (*b*). Promiscue autem accipitur pro illa ipsa præbendarum *specie*, quam *beneficium* dicimus, seu pro *jure perpetuo percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ propter spirituale officium authoritate Ecclesiastica adnexum* (*c*) (§. 121.).

(*a*) Conf. Barbosa in Collect. d. d. ad rubr. Tit. Præb. & dign. num. 3. seq. Vallens. eod. Tit. §. 1. n. 1.
(*b*) Vid. cap. 8. de Præb. & dign.
(*c*) Cap. 17. 29. de præb. & dign. cap. 10. de concess. præb. cap. 32. de verb. signif.

* Quemadmodum annona militaris militibus *præberi* dicebatur, l. 19. ff. de test. ita hæc vox *præbenda* ad sustentationem clericorum seu militum spiritualium translata fuit.

** Præbenda sæpe etiam *Canonia* adpellatur, cum canon etiam censum significet (§. 212. n. a.) Conf. Ciron. Paratitla Jur. Can. Tit. de præb. & dign. §. 5.

*** Etiam vox *beneficium*, qua originarie *feuda* nuncupabantur, subinde tantum ad officia Ecclesiastica transferebatur, vid. L. 1. feud. Tit. 15. & 20. II. Tit. 13. & 24. capit. Reg. Franc. addit. III. cap. 112. apud Baluz. Tom. I. col. 1178.

**** Quæ apud Theologos reperitur beneficii definitio, scilicet quod sit *Jus perpetuum ministrandi in Ecclesia auctoritate Episcopi constitutum, & jus percipiendi fructus annexum habens*, non minus ac nostra *jus percipiendi fructus officio spirituali annexum* exprimit. Verum dum jure canonico hæc edicitur regula, BENEFICIUM *datur propter officium* capit. 15. de Rescr. in 6., a doctoribus canonici Juris ipsa vox *beneficium* recte ad jus percipiendi fructus refertur.

§. 447.

§. 437. Essentia beneficii igitur sita est 1. in jure percipiendi fructus; 2. perpetuitate, 3. in officio sacro seu spirituali, 4. in hujus ac illius nexu authoritate Ecclesiastica constituto (*a*).

(*a*) Conf. Van-Espen. P. II. Sect. III. Tit. I.

§. 438. Quapropter facile datur ratio; cur inter beneficia proprie talia recenseri nequeant *coadjutoria* (§. 210.) *commenda* in sensu disciplinæ veteris acceptæ aut laicis ob servitium Ecclesiæ præstandum concessæ (*a*) *Vicaria* (*b*) si non sint perpetuæ seu in justum Titulum ab Episcopo erectæ (§. 326. n. g.) *Pensiones* (*c*) *Præstimonia* (*d*), *Capellania*, si non titulum perpetuum, & plebem authoritate Episcopi subjectam habeant (*e*).

(*a*) De *commendis* hæc habe summaria.

1. Ecclesiam *commendare* idem esse ac illam alicui custodiendam tradere.

2. Hoc sensu *commendas* etiam veteribus usitatas ac probatas fuisse intuitu Ecclesiarum tam cathedralium quam parochialium nec non monasteriorum, ut scilicet quis esset, qui Ecclesiis a pastore destitutis usque ad electionem novi aut monasteriis restituendis reformandisve intenderet.

3. Hujusmodi autem commendas in solam utilitatem commendatæ Ecclesiæ ad tempus factas subinde in *perpetuas* & in commodum commendatarii ita mutatas esse, ut ea clericis pro pallio beneficiorum pluralitatem tegendi inserviret, atque laici non minus ac Clerici occasionem sumserint proventus Monasteriorum titulo commendarum sibi appropriandi, Abbatum aut Abbacomitum nomen usurpandi, & constituendi decanos, qui curam spiritualium haberent.

4. Fuisse quidem ab Episcopis & synodis contra ejusmodi usurpationes edita decreta & preces apud Imperatores contra tot abusus interpositas, sed tamen adhuc seculo decimo Abbates seculares & quidem jure hæreditario hujusmodi commendas tenuisse.

5. Seculo undecimo & duodecimo cæpisse etiam Cardinales & Episcopos Monasteria partim propria partim Romani Pontificis authoritate vel sustentationis causa, dum Episcopatibus suis deturbati erant, vel sub prætextu reformationis in commendam & suum commodum accipere.

6. A Clemente V. omnes quidem etiam hujusmodi commendas, sed sine effectu improbatas subinde a quibusdam Pontificibus nec non hic & illic per concordata limitatas & speciatim Abbatias, quæ sunt ordinum capiti, ob synodi Trid. sess. XXV. cap. 21. de reform. a commendis liberatas esse, quamquam concilium Tridentinum potius videtur indistincte prohibuisse, ne Monasteria vacatura in commendam & clericis secularibus conferantur.

7. Synodum Trident. sess. VII. cap. 4. de Reform. universe prohibuisse, ne quis plura beneficia curata per viam commendæ perpetuæ retinere præsumat.

* Patet itaque hodiernas commendas a veteribus differre, quod 1. dentur in utilitatem commendatarii, 2. in perpetuum seu ad illius vitam, 3. hodierni commendatarii possint disponere de proventibus Ecclesiæ & Monasterii, tantummodo cultui divino & fabricæ Ecclesiæ aut Monasteriorum & Monachorum necessitatibus maneat prospectum; porro 4. commendas cum beneficiis permutare, atque hinc 5. censeantur veri Titulares, quapropter etiam solus Pontifex beneficium regulare clerico seculari in commendam date solet.

** Alicubi commendatarii Monasteriorum etiam jurisdictionem in Monachos exercent, si non monasteria speciali hac in parte privilegio munita sint.

*** Ad difficultates in Concilio Rothomagensi a. 1581. de prærogativis commendatariorum ortas respondit Pontifex: *commendatarios inter Abbates recipiendos, esse, ita tamen, ut Abbates benedicti, qui usum Mitræ habent, præcedant commendatarios* (§. 341. n. b.)

**** In laudata synodo Rothomagensi injungitur commendatariis, ut rationem vitæ suæ nec non etiam suum vestitum proxime ad regularem normam componant, nec commenda sua ad luxum, prodigalitatem, vel ad suam suorumque consanguineorum rem augendam utantur. Conf. Van-Espen P. I. Tit. XXXI. cap. 7. & 8. ubi Monasteriis ad excludendas commendas hoc efficax suppeditat medium: *ut in ipsis Monasteriis habeatur perfecta bonorum omnium, ac proventuum communio; rejecta distinctione seu separatione Mensæ Abbatialis a Conventuali: quæ distinctio (uti observat P. Thomassinus, de disciplina Ecclesiæ, parte 4. Lib. 2. Cap. 3.) pro magna parte occasionem* COMMENDIS *subministravit. Deinde ut juxta leges Ecclesiæ, intentionem fundatorum, nec non Regulas Professionis Monasticæ, proventibus Monasteriorum ita moderate Abbates utantur, ut in omni ipsorum supellectile, aut domo nihil appareat a professione* PAUPERTATIS *alienum, vel quod* mun-

mundi fastum redoleat; & quod reliquum fuerit in Christianam hospitalitatem & pauperum alimoniam impendant: ut hoc pacto reipsa ostendant, bona Monasteriorum esse PATRIMONIUM PAUPERUM, *quod sine sacrilegio in usus profanos impendi non potest.*

(*b*) Distinctio facta inter Ecclesias & Altaria, ita ut per illas temporalia; per hæc spiritualia intelligere ipsique etiam laici Ecclesias usurpare cæperint, nec non factæ Ecclesiarum cum monasteriis & collegiis canonicorum uniones, & denique pluralitas ex beneficiorum hujusmodi Vicariis potissimum originem dedere.

(*c*) Scilicet pensionis nomine venit *tertio ex beneficio Ecclesiastico justa de causa & authoritate superioris alicui egenti adjecta*, quæ itaque vel clerico vel laico adjecta esse potest.

(*d*) Præstimonia est quodlibet stipendium alicui ex bonis Ecclesiæ dari solitum.

(*e*) Inest capellanis onus missas certas in Ecclesia, capella aut altari celebrandi.

§. 439. Beneficia dividuntur I. in *secularia* & *regularia* (*a*), II. in *simplicia* & *duplicia* (*b*) atque hæc 1. *curata* & *non curata* (*c*), 2. in *majora* & *minora* (*d*). III. in *titularia* (*e*) & in *manualia* (*f*), IV. in *collegiata* & *non collegiata* (*g*), V. in *immediata* & *mediata* (*h*), VI. in *electiva*, *collativa* & *mixta* (*i*), VII. in *compatibilia* & *incompatibilia* (*k*).

(*a*) Sæcularia beneficia vocamus, quæ sæcularibus Clericis, Religiosa, quæ religiosis addicta sunt, aut per regulares regi debent. Enimvero axioma juris canonici *Beneficia secularia secularibus & regularia regularibus* conferenda, Cap. 5. & 37. de Præb. in VI. Trid. sess. XIV. de Ref. c. 10. Cur quodvis beneficium in dubio præsumendum sit seculare, patet ex initiis beneficiorum (§. 399. (vid. cap. 1. de capell. Mon. & conf. Rebuffus in praxi benef. P. I. Tit. *quotuplex sit beneficium* n.3. & Van-Espen J.E.U. P.II. Tit. XVIII.n.1.& 8.

* Beneficia regularia *primi ordinis* sunt illa, quæ ex primæva sua institutione adnexum habent officium ipsam disciplinam & œconomiam regularem concernens, veluti sunt: Abbatiæ, Prioratus, capellaniæ fundatæ in monasterio regulari &c. Atque ejusmodi tantum actualiter professis conferri queunt. Trid. sess. XIV. de Reform. Cap. 10.

** Sed & beneficium, quod natura sua regulare non est, tale evadit hisce titulis 1. Institutione Ordinarii seu superioris, 2. lege fundationis, 3. præscriptione, quæ quadragenaria, & in possessione non interrupta nec precaria fundata, simulque titulo munita esse debet. vid. cap. 5. de Præb. in 6. cap. 1. de Præscr. in 6. Bulla Pauli IV. 1558. *Postquam divina bonitas*. Bulla Benedicti XIV. an. 1745. *quod inscrutabili*.

*** Non vanum est argumentum eorum, qui ad præscriptionem, qua beneficium regulare in seculare mutetur, existimant, tanquam pro re ad primævum statum reducenda decennium sufficere, quidquid in contrarium dicat P. Schmier L. III. Tract. I. P. II. Cap. 3. n. 58. Præcipue si loquamur de beneficiis, quæ curam animarum annexam habent, cum juxta superius jam demonstrata (§. 234. n. b.) alioqui regulares non nisi in collisione ad illa adhibendi sint.

(*b*) *Simplicia* dicuntur, quibus solum officium commune; *duplicia*, quibus administratio vel jurisdictio vel alia Juris prærogativa cohæret.

(*c*) Prout cura animarum connexa est, vel non.

(*d*) *Majora* nuncupantur, quæ jurisdictionem ecclesiasticam propriam adnexam habent; hac destituta *minora* vocamus.

* Dignitates & personatus (§. 221. n. c.) jam in jure confundi, jam stricte secerni patet ex cap. 8. de constit. cap. 8. de Rescript. Cap. 16. de Præb. & Dignit. cap. 11. de rescript. in 6.

(*e*) Quæ adimi non possunt, nisi ex causis a Jure definitis.

(*f*) Quæ revocari possunt ad arbitrium collatoris, atque ideo tantum improprie beneficia audiunt.

(*g*) Beneficium collegiatum id est, in quo per superiorem, qui gaudet jure Collegium adprobandi, instituuntur tres vel plures, ut formantes unum corpus, ut habentes unum sigillum, unum syndicum communemque arcam, cultui divino inserviant. cap. 48. de appel. cap. 14. de Excess. Prael. Hæc si deficiant, etsi plures sint in beneficio clerici, quorum unus subest alteri, beneficium non collegiatum erit.

* Ecclesiæ collegiatæ regularium *conventuales*, secularium *capitula* vocantur. (§. 212. n. b.)

(*h*) Prouti vel Pontifici immediate subsunt, vel Ordinariis locorum.

* Immediate alii subsunt Pontifici de jure ordinario, veluti Primates & Metropolitæ Αὐτοκέφαλος (§. 192. n. f.) vel vi exemtionis, uti Episcopi non suffraganei & monasteria exempta.

(*i*) Adquiruntur beneficia vel per plurium suffragia & superioris confirmationem, & hæc *electiva*; vel per absolutum arbitrium ejus, ad

ad quem jus conferendi pertinet, & hæc *collativa*; vel ad prævìam nominationem, seu præsentationem, & hæc *mixta* vocantur.

(*k*) *Incompatibilia* sunt, quæ, cum *totum singulatim hominem omnemque ejus operam, ac studium sibi vendicent, cum alio beneficio consistere nequeunt*. Et quidem illa, *quorum tanta est dissensio, ut ad secundum accedere non possis, quin hoc ipsum primum vacare incipiat*. cap. 28. Clem. 3. & Extrav. Com. 4. de Præb. & dignit. *incompatibilia* primi generis vocantur. Vid. cap. 9. de concess. Præb. Clem. 6. de Præb. & dignit. Si autem *societas quidem non potest subsistere, attamen secundi pacifica consecutione*, priore *non continuo ipso jure possessor excidit*, ea incompatibilia secundi generis, seu incompatibilia quoad recentionem vocantur.

* Facile patet, 1. quæ *residentiam* omnino exigunt, aut eodem tempore *servitium*, ejusmodi beneficia natura sua incompatibilia esse. 2. omnia etiam ea beneficia, quorum unum quodvis jam *sufficientem sustentationem* præbet, etsi cuilibet satisfieri posset, ob canones beneficiorum pluralitatem prohibentes, Trident. sess. XXIV. cap. 17. de Reform. incompatibilia haberi debere, ut adeo incompatibilitas vel ratione *residentiæ* vel ratione *servitii* vel ratione *sufficientis sustentationis* oriatur. Conf. Cl. de Riegger P. III. §. 119. Cl. Schrodt L. III. Dec. Tit. V. §. 115. usque 125.

§. 440. Quæ præter has de beneficiis notiones præterea nobis hic noscenda sunt; ea redeunt ad canones illos, qui I. de ratione beneficia erigendi, II. de beneficiorum collatione libera, III. de institutione seu concessione beneficii ad præviam præsentationem facta, IV. de concessionibus Præbendarum & Ecclesiarum non vacantium, V. de beneficiis absque gravissima causa non diminuendis, VI. de beneficiorum permutatione & translatione beneficiatorum, VII. de eorumdem renuntiatione, VIII. de jure conferendi devoluto disponunt. Enimvero reliqua, quæ relationem ad beneficia habent, partim jam ex iis deduci possunt, quæ circa irregularitates (§. 285.) qualitates ordinandorum (§. 298.) & eligendorum (§. 312.) nec non circa rerum ecclesiasticarum alienationem (§. 401.) exponebamus, partim in doctrina de delictis, censuris ac pœnis adposite comparebunt.

§. 441. Ad beneficium erigendum, 1. legitima authoritas, quæ hodie in Episcopatibus aut dignitatibus Episcopatu superioribus penes Romanum Pontificem (§. 181.) in inferioribus penes Episcopum est (§. 195.) (*a*), 2. consensus eorum, quorum interest beneficium erigi vel non (*b*), 3. officium sacrum in Ecclesia (§. 437.), 4. locus qualitati beneficii conveniens (*c*), 5. justa causa, veluti necessitas aut utilitas populi (*d*), 6. dos congrua (*e*) requiritur.

(*a*) Can. 9. D. 1. de consecr.

(*b*) Cap. 3. de Eccles. ædif. Clem. 2. de reb. Eccles. non alien.

* Requiri etiam consensum Principis, cum hic non tantum de sacro officio, sed & de reditibus temporalibus agatur, variaque alia civiliter non indifferentia intervenire possent, satis jam est demonstratum (§. 125.) Conf. Petrum de Marca C. S. & I. L. IV. cap. 13.

(*c*) Caus. XVI. Q. 7. can. 28. c. 5. de Præb.

(*d*) Can. 10. Dist. 1. de consecr. cap. 3. de Eccles. ædif.

(*e*) Caus. XVI. Q. 3. Can. 7. 9. 26. cap. 12. de Præb.

§. 442. Collationem, quæ est concessio beneficii vacantis ab eo facta, qui potestatem habet, primario ad Episcopos pertinere, atque olim semper ab iisdem solis adhibito Cleri consilio exercitam esse (§. 195.) sed etiam subinde reservationes Pontificias, quæ & limitandæ erant, & porro limitari poterunt, (§. 197.) successisse (§. 183.) illa denique Canonicis quoque quoad quædam beneficia obtigisse (§. 214. n. d.) novimus. Imo nec laicos Juris conferendi beneficia incapaces dici posse perspectum habemus (*a*).

(*a*) Enimvero designatio & præsentatio ipsam spiritualem nullatenus tribuit potestatem, neque unquam Ecclesia fuit eritve contraria, ut laicus personæ Ecclesiasticæ debitis qualitatibus instructæ officium sacrum, ad quod per Ecclesiam ipsam idonea redditur, exercendi occasionem fructusque ideo percipiendos in suo territorio impertiatur. Monui jam supra divisionem & assignationem nonnullarum Diœcesium ab Imperantibus esse factam & ex ratio-

ne

ne adducta fieri potuisse. Sed & certissimum est, ex optimo eodem jure a Regibus Hungariæ & Bohemiæ atque Austriæ Archiducibus (taceo aliarum provinciarum Rectores) hactenus nominatos esse ejusmodi, qui Archiepiscopatus & Episcopatus nec non alias Ecclesiæ dignitates ac annexorum fructuum perceptionem sub conditione debitarum qualitatum secundum Ecclesiasticam normam obtinendarum in his territoriis adgrederentur. Conf. Cl. de Riegger L. I. Decret. Tit. VI. §. 156. & seq. 259. seq. L. III. Decret. Tit. V. §. 122.

* Differt collatio ab electione & præsentatione, quod illa jam ante captam possessionem jus in re tribuat. cap. 17. de Præb. Dignit. in 6.

§. 443. *Institutio* quidem authorizabilis, seu adprobatio nominati vel præsentati clerici, quæ in ipsa curæ animarum concessione consistit, *nec prætextu cujusvis privilegii, nec consuetudinis etiam ab immemoriali tempore præscripta* ab alio quam ab Episcopo fieri potest (*a*). Quod autem in concessione beneficii ad præviam præsentationem facienda *institutionem verbalem* seu *tituli collativam* adtinet, etsi eam canones primum Episcopo (*b*), dein ejus Vicario generali, etiam sine speciali mandato, (*c*) sed & sede vacante capitulo tribuant (*d*), nihil tamen obstat, quominus ea ex rationibus adductis (§. 442. n. a.) etiam aliis seu Ecclesiasticis sive laicis privilegio, aut consuetudine aut concordatis pactisve competat (*e*). Atque ita etiam *Investitura*, quæ *institutio corporalis* seu *realis* audit (*f*), & nihil aliud est, quam *actualis inductio in possessionem beneficii*, (*g*) ab alio, quam ab Episcopo fieri potest (*h*), imo intuitu temporalium jure proprio ad solam potestatem civilem pertinet (*i*).

(*a*) Vid. Trid. sess. VII. c. 13. de Ref. Existimant quidem Barbosa part. 3. de offic. & Pichler. Tit. de Instit. n. 12. saltem præscriptione hoc jus ab Abbatibus seu Prælatis præscribi posse ob Cap. 15. & 18. de præscript. verum obstat cap. 4. de offic. Archidiac. & distinctio illa, quod Tridentinum præcedentes non posthac subsecuturas consuetudines tollat, non ferenda est; cum consuetudo ejusmodi a jure ipso compelletur prava, Cap. 3. de Instit. atque adeo potius corruptela sit. Nulli igitur nisi Episcopo, aut jurisdictionem quasi Episcopalem ceteroquin habenti institutio authorizabilis competit. Conf. P. Boeckn. Tit. de Instit. n. 11.

* Hinc etiam nihil agit Fundator beneficii curati institutionem authorizabilem Prælato cuidam inferiori in præjudicium juris Episcopalis reservando. Vid. Cap. 15. de testam. cap. 3. de Instit. Cap. 21. de Jur. Patron. cap. 12. in fine, de hæretic. Trid. sess. XIV. cap. 12. & 13. de Reform. & conf. Wiestner ad Titul. de Instit. num. 13.

(*b*) Concil. Trid. sess. XIV. cap. 12. de Reform. cap. 3. de institut. cap. 4. de offic. Archid. Ut evitentur lites in institutione Clerici, cujus Ecclesia in duarum Diœcesium limitibus sita est, non efficacius est remedium, quam ut per civilem potestatem determinatis limitibus illa uni Episcopo adjudicetur, atque posthac in Ecclesiarum ædificatione controversiis ejusmodi avertendis prospiciatur, ceterum confer Wiestner ad Tit. de Instit. num. 6.

(*c*) Cap. 3. de Instit.

(*d*) Cap. 1. de Instit. in 6.

(*e*) Vid. c. 7. de offic. Archid. c. 6. de Instit. Concil. Trid. l. c. & sess. XXV. c. 9. Hinc etiam Abbatissæ aliæque præpositæ sacrarum virginum pro parœciis pleno jure sibi subjectis clericos instituunt. Conf. Wiestner L. III. Decr. Tit. VII. de Instit. §. 9. & seq. qui dum etiam ad laicos & sacras virgines subinde hujusmodi institutiones pertinere concedit, in salvanda quidem spiritualitate, quam scilicet ipsi quoque concessioni juris percipiendi fructus inesse putabat, mirum in modum se torquet. Vixit sane obscuro illo ævo, quo *canonistæ* res temporales temporaliaque quævis commoda, vix ac spirituali officio adnectenda permittebantur, veluti temporalium naturam exuisse, & nulla amplius ratione laicis subjacere posse, spiritualiter annexorum nomine abusi defendebant.

(*f*) Antiquis ignota erat peculiaris investitura; debet ea originem temporibus, quibus inter ordinationem & beneficii possessionem distingui cæptum est. Ab iis sane temporibus mox Episcopus Clericum in beneficiis perinde ac dominus vasallum in feudis investiebat. Imo Episcopi quidam non sola obedientiæ promissione contenti imitationem feudi adeo rigide exequebantur, ut a clericis etiam homagium exigerent, non adtendentes, quod in cap. fin. de reg. jur. dicatur: *indignum est, & a Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur*, & præferentes forsitan contrariam praxim, qua ipsi Archiepiscopi & Episcopi juramentum homagio proximum Romanæ sedi præstare tenentur (§. 323. n. e.) Nec denique deerant, qui in admissione beneficiatorum ad possessionem etiam jura aliqua sibi solvi volue-

 runt,

runt, quæ si dominus directus a vasallo exigat, *reluvia* dicuntur. Verum reprobata a tot conciliis hac consuetudine Concilium quoque Tridentinum sess. XXIV. cap. 14. de Reform. statuit: *ut quæcumque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos, qui simoniacæ labis, aut avaritiæ labe suspicionem habent, fieri non permittant, ipsique diligenter de earum constitutionibus, sive consuetudinibus super prædictis cognoscant, & illis tantum, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas ut pravas, & scandalosas rejiciant, & aboleant.* ESPEN. *Tra. de Simon. circa benef. p. I. Cap. II.* §. 3.

(*g*) Per investituram itaque Clerico omnia tam possidendi quam administrandi jura una cum exercitio adveniunt. Et sane beneficii adquisitio sine investitura non valet cap. 7. de offic. Archidiac., si non possessio legibus determinata eandem suppleat. Id quod contingit, si quis per triennium tranquillus possederit beneficium, quod sine vi sed colorato titulo fretus adquisiverit. Tum enim a nemine *in petitorio vel possessorio* etiam ex jure recens impetrato turbari potest. Vid. Reg. Cancell. XXXVI. de Trienn. possess. quæ desumta est ex quodam Decreto Concilii Basileensis, cujus quidem mentio in regula ipsa non occurrit, *quia summi Pontifices authoritate hujus concilii uti noluerant, ne sic tacite concilium Basileense adprobare* viderentur. Conf. Gomes in Præf. ad h. reg. ac præcipue Van-Espen, P. II. S. III. Tit. IX. cap. 4. sed & prætereca extat reg. XXXV. de annali Possess. in qua statuit Pontifex, *ut quicumque beneficium Ecclesiasticum tunc per annum præcedentem ab alio pacifice possessum, quod certo modo de jure vacare, & injuste ab alio possideri prætenditur, deinceps impetraverit, nomen, gradum, & nobilitatem possessoris, & quot annis in possessione fuerit, ac specificam causam, ex qua clare constet, nullum dicto possessori jus competere, exprimere, & intra 6. menses eundem ad judicium evocare, causamque ex tunc infra annum usque ad sententiam definitivam inclusive prosequi teneatur; alioquin impetrans de damnis propterea contingentibus possessori satisfaciat, & si frivole eundem molestaverit, 50. Florenos auri Cameræ Apostolicæ persolvat.* Conf. Engel ad Tit. de præb. & dign. n. 37. & Van-Espen, l. c. cap. 3.

* Non tamen investitura ita stricte accipienda, ut possessionem absque introducente capere non liceat, si accedat consensus legitimi superioris, qui possessionem corporalem tradendi jus habet. Cl. de Riegger l. c. §. 169.

** Plerumque in investitura præter formulæ cujusdam enuntiationem symbola quædam adhibentur, quibus scilicet indicatur, clericum possessionem adiisse. Atque parum refert, num quis per se, num per Procuratorem speciali mandato instructum investituram accipiat. Conf. Rebuffus prax. Benef. p. I. Tit. de miss. in poss. n. 26. 27. 34. Gonzalez in cap. 2. de Consuet. num. 17.

*** Violentus beneficii invasor, etsi possessorem malæ fidei sede dejiciat, una cum Titulo beneficii etiam reliquis juribus excidit, quæcumque antehac in beneficio ei competebant. Cap. 18. de præb. in 6. l. 7. cod. unde vi. Imo etsi absit violentia, videtur sufficere intrusio propria authoritate in vacuam stationem facta, ut jus in ea quodcumque amittatur. Vid. cap. 5. de elect. in 6. cap. 15. de præb. in 6. & Conf. Boekn. ad Tit. de instit. num. 6.

**** Neque is, qui alias jure instituendi gaudet, præsentatus ad beneficium se ipsum instituere, aut ab alio a se delegato institutionem recipere potest, *quia inter dantem & accipientem personalis distinctio intercedat oportet*, & ne delegans per delegatum sibi ipsi beneficium conferat, atque adeo per alium obtineat, quod ipsi prohibetur per se facere, cap. fin. de instit. Caus. VIII. Q. I. Can. 9. cap. 26. de Jur. Patron. Conf. Wiestner de Instit. n. 13.

(*h*) Cum ipsi Episcopi non semper adesse potuerint, pridem istud munus ad Archidiaconos venit. Cap. 7. de offic. Archidiac. Imminuta autem Archidiaconorum potestate per Archipresbyteros, Decanos rurales, aliosque Episcoporum ad id delegatos, ut dicimus, Commissarios hodie peragitur. Nec repugnat, quin Episcopus etiam laico investituram realem seu corporalem, quæ meri facti est, sub certa limitatione committat. Conf. Engel, loco cit. num. 6. & Zoesius ad Titulum de Institution. num. 5.

(*i*) Ideo plerumque duo Commissarii, unus ab Episcopo obtutu spiritualium; alter a Domino territoriali intuitu temporalium, constitui solent, ut investituram impertiantur.

§. 444. Nihil magis urgent canones, quam ut digniorum ratio (*a*), & in collatione (*b*) & in institutione (*c*) habeatur. Deprehensis autem iis omnibus, quæ requiruntur, ipsa salus animarum & Ecclesiarum postulat, ut institutio non differatur, ab iisque hac in parte præfigatur tempus, qui inferiorum negligentiam supplendam habent.

(*a*) Vid.

(*a*) Vid. Concil. Trid. seſſ. XXIV. cap. 18. de reform. ubi forma *concurſus* pro Eccleſiæ parochialis proviſione, quantum poſſibile eſt, ſervanda præſcribitur. *Subtilibus tamen renitente licet legum ratione interpretationibus factum eſt*, ſcribit Cl. de Riegger l. c. §. 126. *ut a neceſſitate concurſus eximerentur I. Eccleſiæ, in quibus cura animarum ſpectat ad Eccleſiam collegiatam, & cura exercetur per canonicos vel alios clericos. II. Si cura ſit penes capitulum, aut monaſterium vel aliquam dignitatem, quam vero Vicarius gerat, quem* AMOVIBILEM *dicimus*, (*ſecus itaque ſi cura actualis ſit penes vicarium perpetuum*) *III. Si Eccleſia parochialis adnexa eſt dignitati; Idemque dignitate auctus ipſemet curam ſuſcipiat. IV. Si quis parochialem eccleſiam reſignet coram Pontifice in* FAVOREM *certæ perſonæ, aut permutatio fiat beneficii. V. Si Eccleſia ſit juris patronatus mere laicalis: quæ omnes exceptiones, & fors aliæ, an conformes ſint menti concilii hanc formam concurſus præſcribentis, ut diligentius ac ſeverius ſaluti animarum provideretur? Alii viderint.* Conf. Van-Eſpen, P. II. S. III. Tit. V. cap. 2. *Omnia jura clamant*, ait Fagnanus, *ut meliores & ſanctiores eligantur*, ad cap. 8. de conſuet. n. 19. Ceterum ne omnis collatio & electio litibus & controverſiis exponatur, & cum difficile ſit comparatæ dignitatis gradus in quovis caſu determinare, tantummodo dignus electus ſit, electionem, collationem & inſtitutionem jura pro foro externo non impugnari ſinunt.

(*b*) Indigno ſi conferatur beneficium, nulla eſt collatio, cap. 22. de elect. cap. 7. 14. eod. in 6. cap. 1. de Inſtit. in 6. cap. 7. de Cler. excom. Num autem quis dignus ſit, attendi univerſe debet bonum commune Eccleſiæ, utilitas Diœceſis, beneficii qualitas, locus, tempus, aliæque circumſtantiæ, *ut homines dentur beneficiis & non beneficia hominibus*. Et ſpeciatim requiritur, ut is, cui beneficium conferendum, I. habeat juſtam ætatem, quandoquidem pro Epiſcopis requiritur annus trigeſimus exactus, cap. 7. de elect. pro dignitatibus cum cura animarum connexis annus 25. cæptus; pro reliquis dignitatibus vel perſonatibus annus 22dus; pro prima tonſura aut ordinibus minoribus annus 14tus. Trident. ſeſſ. XXIV. cap. 12. de Ref. II. Morum probitatem ac doctrinam, ut in clericali ordine verſatus doctrina ad ſuum munus neceſſaria, ac morum integritate commendetur. Trid. l. c. Reflecte mentem ad dicta ſuperius de requiſita doctrina pro dignitatibus & canonicatibus in Eccleſiis Cathedralibus (§. 58. n. a. 201. n. b. num. 4. & 328.) ubi etiam de receptione canonicorum tantum nobilium hic & illic uſitata loquebamur. III. habeat ordinem beneficio adnexum vel ſaltem capax ſit eundem intra annum recipiendi, Trid. ſeſſ. XXII. de reform. cap. 2. atque adeo etiam IV. nec irregularitatibus nec cenſuris ſit innodatus & V. denique alio beneficio incompatibili nondum potitus (§. 439. n. k.).

* *Si aliquis pro ſe rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipſa præſumtione redditur indignus* juxta S. Thomam, 2. 2. Q. 100. art. 5. ad 3. Enimvero ſi admiſſi ad tonſuram & minores ordines de ſtudiis ac moribus ſuis per certa temporum intervalla legitimis teſtimoniis rationes dare debeant, ſi itaque Epiſcopus eos ex hiſce teſtimoniis, ac reliquos ex teſtimoniis conſiſtoriorum, Decanorum, & Parochorum, nec non propria diſquiſitione ac Diæceſeos ſuæ frequentiori viſitatione cognitos habet, nulla profecto ratio eſt, cur Epiſcopus de clericis ſuis etiam non petentibus, ceu ſuperior religioſi ordinis de ſuis religioſis, diſponat, & quemvis iis, quibus par eſt, functionibus adhibeat.

(*c*) Neque inſtitutio ſine prævio examine (eos ſolum excipiendo, qui ab univerſitatibus ſeu collegiis generalium ſtudiorum electi, aut nominati ſunt) in quibuſvis beneficiis fieri deberet. Trid. ſeſſ. VII. cap. 13. XXIV. cap. 18. XXV. cap. 9. de Reform. verum uſus & conſuetudo hæc decreta hodie fere unice de beneficiis curatis interpretatur.

* In quibuſdam locis viget mos juxta conſtitutionem Bonifaci VIII. cap. fin. de Elect. in 6. *Edictum* quoddam Eccleſiæ valvis, aliove loco publico adfigendi, quo omnes, quorum intereſt, ſpeciatim etiam, & nominatim citantur, ut poſt certum temporis intervallum tamquam terminum, quem vocant, peremtorium, compareant; ea videlicet expoſituri, quæ fortaſſe adverſus candidati inſtitutionem, cujus præſentatio acceptata jam eſt, jure opponi poſſunt. Conf. Cl. de Riegger l. c. §. 256.

(*d*) Vid. Garzias de Benef. P. X. cap. 4. num. 5. & 9. & Bulla Pii V. *in conferendis*, in Bullario magno Tom. V. num. XXXIII. ubi ſtatuitur, ut in parochialibus, ſive ſint juris patronatus Eccleſiaſtici ſive laicalis ſive mixti, inſtitutio fiat intra bimeſtre a die præſentationis computandum.

§. 445. De jure illo præſentandi Clericum ad beneficium vacans cum aliis juribus ab obligationibus competente iis, qui Eccleſiam fundarunt, dotarunt, vel extruxerunt, ſeu de jure Patronatus (*a*) quantum ad ejus originem (*b*) atque naturam adtinet, jam ſatis ſupra inter Jura Principum diſſeruimus (§. 119. n. b.) (*c*).

Quæ

Quæ porrò de jure isto cognoscenda restant, ad hæc redeunt: 1. Jus Patronatus tam a mera *protectione* (*d*) quam ab *Advocatia* (*e*) probe distinguendum esse. 2. hoc jure authoritatem Episcopi in indignis, si qui præsentati essent, rejiciendis nequaquam limitari (*f*). 3. in dubio Jus Patronatus potius censeri laicum, quam Ecclesiasticum (*g*) potiusque 4. reale (*h*) quam personale (*i*). 5. in Jure patronatus mixto differentias, quæ inter laicum Ecclesiasticumque intercedunt, (*k*) ita componi, ut non privilegiatum sortiatur naturam privilegiati, sociusque per socium consequatur, quod per se non potest (*l*).

(*a*) De variantibus & dubiis definitionibus Juris Patronatus. Conf. Boehmer. Tit. de Jur. Patr. §. 4. Nequaquam hoc jus ad nudam præsentationem restringendum, ac eam quidem *naturalibus*, non item *essentialibus* juris Patronatus accensendum esse illico edocebimur.

(*b*) Non obstat deductæ a nobis origini vocis *Patroni*, quod in cap. 1. & 2. de Jure Patron. mentio *Patroni* fiat. Enimvero in collectione prima & in integris canonibus, qui extant in concil. Cabil. II. sub Carolo M. & Triburiensi sub Arnulpho, deest. Quam certissimum igitur est, quod ait Francisc. Florens in Tract. de antiqu. Jur. Patr. scilicet hoc vocabulum a Raymundo, l. c. adjectum fuisse.

(*c*) Videantur illa roborata in Caus. XVI. Q. 1. can. 60. Q. VII. Can. 30. 31. 32. cap. 25. in fin. de jure Patr.

* Nolumus nos immiscere disputantibus de ipsa vocis Etymologia, dum alii existimant, patronos inde adpellatos esse, quia etiam dominus feudi olim patronus dictus fuerat, alii vero a patrocinio hanc vocem derivant. Conf. Rosenthal de feud. cap. 1. conclus. VII. n. 8. Francisc. Duaren. L. V. de Eccles. Ministr. Innocent. Ciron. Paratit. ad Tit. de Jur. Patr. §. 14.

(*d*) Hæc nudam defensionem significat.

(*e*) Hæc simul jurisdictionem infert; ut adeo a juribus advocati (*sive Vogtherrn*) concludi nequeat ad jura Patroni, vel Eccles. Feudatarii.

* Antiquis temporibus jam dabantur advocati, qui in causis civilibus Patrocinium Ecclesiarum susciperent, cum Episcopis & Clericis in foro versari ac litigare minus conveniens videretur. Adhibebantur initio causidici, postea vero potentia facundiam superante ex ipsis potentioribus eligebantur; vocabantur etiam Vice-Domini custodes Guardias habentes. Vid. cap. 23. de Jur. Patr. & Gonzalez in comment. ad h. T. nec non Capitul. Reg. Franc. Lib. VII. cap. 292. lib. 46. cod. Theod. de decur. l. 38. Cod. de Episc. & Cler. du Cange in Gloss. voc. advoc. p. 20. ubi advocati hujusmodi excedere bonaque Ecclesiarum usurpare cœperunt, plurimæ Ecclesiæ variis privilegiis studuerunt, ut sese a jugo advocatiæ liberarent. vid. cap. 23. de jur. Patr. & Martin. Mayer de advocat. armat.

(*f*) In Caus. XVI. Q. VII. Can. 38. 57. & in Cap. 3. de instit. propter graves Patronorum injurias statutum fuit; ne ulli Presbytero absque consensu Episcopi Ecclesia detur. Vid. etiam synod. Trid. sess. XXIV. cap. 18. Quamquam in synodo Wormat. a. 868. cap. 49. non minus tamen præceptum sit, ne Episcopus eos rejiciat, quos laici probis moribus & doctrina conspicuos obtulerint.

(*g*) Cap. un. de jur. Patr. in 6. Hinc ex eo, quod Clericus extruxerat Ecclesiam, quantumvis ex proventibus suis Ecclesiasticis extruxerit, nondum erit Jus Patronatus Ecclesiasticum, si non expressis verbis testetur, se ex bonis ipsius Ecclesiæ, quam tenet, Ecclesiam alteram ita extruxisse, ut illa etiam jus Patronatus habeat. Enimvero jus Patronatus potissimum intuitu eorum, qui ex suo patrimonio Ecclesias extruunt, atque, ut ad hoc alliciantur, stabilitum est. Neque facta bonorum alicujus Ecclesiæ alienatio, divisio, dismembratio per se Jus Patronatus inducit. Conf. Van-Espen P. II. S. III. Tit. VIII. cap. 2. Franc. de Roye in prol. ad Tit. de Jur. Patr. cap. 6. Neque dubium est, Jus Patronatus, quia *Accademiæ* competit, propterea Ecclesiasticum non esse. Van-Espen, l. c. §. 29.

(*h*) *Reale* est, quod bonis seu prædiis inhæret, atque adeo cum illis ad quemvis possessorem transit.

(*i*) *Personale* citra ullum respectum ad prædia sequitur hæredes; & quidem vel *omnes hæredes tam extraneos, quam legitimos*, quo casu *hæreditarium in specie* dicitur; vel *tantum legitimos*, quod jus patronatus *gentilitium* audit, & certis personis familiæ reservatum est.

* Antiquius quidem est *personale*. Cum tamen *reale* sit hodie frequentius, hinc pro frequentiori est præsumtio. Vid. cap. 1. 2. 3. 7. 12. de Jur. Patr. Caus. XVI. Quæst. VII. can. 31. & Van-Espen loc. cit. §. 11. sequ. nec non Boehmer. ad Tit. de Jure Patronatus §. 106. seq.

(*k*) Differt Jus Patronatus

Ecclesiasticum a	*Laicali*
Quod hoc	hoc vero
1. Ex bonis Ecclesiæ proveniat, & competat clerico ratione Beneficii.	Ex patrimonio seu Personæ Ecclesiasticæ, seu laicæ.

2. Pa-

2. Patronus Eccles. sex menses ad præsentandum habeat, quia	Patronus Laicus duntaxat quatuor, quia
3. Non variare potest uno semel præsentato, adeo, ut ejus præsentatio habeatur instar electionis, &	Variare potest. Hoc ipsum autem patet, quia non quivis laicus, ita ut Clericus in cunctis clericorum requisitis statim dignoscendis promptus esse præsumitur, ex qua eadem ratione
4. Præsentando minus idoneum, pro ea vice jus suum præsentandi amittat.	Patronus laicus præsentando minus idoneum jus suum non ita pro ea vice amittit.

* Concilium Lateranense sub Alexandro III. Can. 17. statuit, ut ordinet Antistes Ecclesiæ, sicut viderit melius secundum Deum ordinandum, si de jure patronatus quæstio emerserit inter aliquos, & cui competat, intra *tres menses* non fuerit definitum. Cum subinde in nonnullis editionibus legeretur *quatuor menses*, etiam spatium quatuor mensium a quibusdam dari cæptum est, idemque in cap. 3. de jure Patron. stabilitum. Denique, ut capitulum istud conciliaretur cum Capit. 22. end. Tit., in quo spatium sex mensium, quod Concilium Lateranense pro *collatione beneficiorum* definivit, ad præsentationem extensum est, doctores cap. 3. de Patronatu laico, cap. 22. autem de Patronatu Ecclesiastico interpretantur, eaque interpretatio probata in cap. un. de Jur. Patr. in 6. Conf. Diss. Brunquell. de divers. patron. Eccles. & laic. a Costa in Comment. a c. 12. 22. & 27. pag. 574. ceterum tempus ad præsentationem concessum incipit ab eo tempore, quo probabiliter cognoscere poterunt Patroni beneficium vacans esse, ut adeo intra illud tempus non tantum literæ præsentationis expeditæ, sed etiam exhibitæ esse debeant. Et siquidem propterea Ecclesiæ provisio differtur, quia plures de ipso jure Patronatus litigant, *fas est Episcopo adpellatione remota in eadem Ecclesia personam idoneam instituere, ita quod præsentetur ab eo, qui jus evicerit Patronatus*, cap. 12. & 27. de Jure Patr. Conf. a Costa in comment. ad hæc cap.

** Jus variandi Patrono laico competens vocare solent variationem adcumulativam; vid. cap. 24. de Jur. Patron. Cumprimis autem observa, antequam præsentatio *perfecta* seu ad Ordinariorum literæ præsentationis delatæ sint, cum ante nullum jus præsentato adquiratur, etiam a patrono Ecclesiastico variari posse. Cl. de Riegger l. c. §. 723.

*** De differentia quoad præsentationem indigni inter Patronum Eccles. & laicum vid. Innocent. III. L. III. Regest. Ep. 226. & Fagnan. ad cap. 4. de Jur. Patr.

**** Cum præsentatio a Patrono Ecclesiastico facta vicem electionis habeat, *eatenus clerici patroni jus pinguius quam laici habere dicuntur*.

(*l*) Hinc in mixtis prævalet qualitas, quæ magis favens est, & per quam jus alterius non læditur ex communione, cap. un. de Jure Patron. in 6. Fagnan. ad cap. 27. de Jure Patr. num. 29.

* Etiamsi præsentatio per Turnum fiat, Clem. 2. de Jur. Patr. Jus Patronatus mixtum tale manet, si modo utriusque Patroni nomine fiat. Enimvero tunc demum, si quisque Turnarius in suo Turno seorsim, si quisque compatroni mentione præsentet, jus patronatus in Turno Patroni laici *mere laicale*; in Ecclesiastico Turno *mere Ecclesiasticum* habendum erit. Van-Espen, l. c. cap. 2. §. 19.

§. 446. Porro 6. cum introducti Juris patronatus finis sit ad fundandas Ecclesias allicere (*a*) & fundationibus singularia specimina gratitudinis in jure naturali fundatæ exhibere (*b*) neque Ecclesiæ spiritus refragetur, quominus is, qui hujusmodi beneficia Ecclesiæ præstitit, atque porro præstandi onus in se suscipit, honorem ac utilitatem ab eadem recipiat, non tantum a jure præsentandi, sed & ab aliis, quæ Juri Patronatus annexæ sunt, prærogativis, si modo cum Religione præsentandi consistere queant, & Episcoporum authoritas tam in rejiciendis indignis, quam in ipsis ordinibus conferendis salva maneat, excludi neminem (*c*) neque 7. requiri, ut jus Patronatus in ipsa fundatione, extructione vel dotatione reservetur, si non intercedat quidquam, ex quo citra aliam mentionem expressam renuntiatio huic juri facta naturaliter colligi deberet (*d*). Et quamvis fundatio, dotatio & extructio ad Jus patronatus simul requirantur, (*e*) nihil tamen 8. interesse, utrum unus solus an plures hæc tria præstiterint (*f*) Et tum quidem 9. his omnibus jus Patronatus competere in solidum, veluti etiam 10. si plures existant patrono hæredes, singuli in solidum succedunt, ita tamen, ut (*g*) 11. ad evitandas lites præsentatio per Turnum permittatur, (*h*) nihil quoque obstare 12. quo minus hoc jus privilegio tam a summis Principibus (*i*) quam ab Episcopis (*k*) adquiratur;

quod

quod autem 13. ad donationem hujus juris adtinet, opus quidem esse consensu Episcopi, si patronus laicus id alteri laico, non autem si patronus seu laicus sive Ecclesiasticus id Ecclesiæ religiosove loco aut compatrono vel Clerico donare velit (*l*). Attamen 14. renunciato etiam aut cesso jure præsentandi, nondum ipsum Jus patronatus ac reliqua ei annexa jura amissa esse, (*m*) denique tam ad privandum alterum Jure Patronatus 15. requiri causam in jure fundatam (*n*) quam 16. ad hoc jus sibi asserendum probationem a Concilio Tridentino præscriptam (*o*).

(*a*) Cl. de Riegger l. cit. §. 697.

(*b*) Statuit Concil. Emerit. in Hispania a. 686. celebratum Cap. 19. ut Presbyteri in sacrificio missæ recitent nomina eorum, qui Ecclesias, in quibus missa legitur, aut extruxerunt, aut dotarunt, apud Harduin. Tom. III. Col. 1005. quod Præceptum, si Judæus aut Heterodoxus quicumque Ecclesiæ pro orthodoxis Fundator, extructor aut dotans existeret, non alia quidem ratione adimpleri posset, quam illa, qua Ecclesia nostra toties & cumprimis in hebdomada sancta laudabiliter etiam pro heterodoxis ad eorum conversionem & salutem preces fundit.

(*c*) Vide quidem Caus. XVI. Q. VII. Can. 26. 27. 29. 30. cap. 19. de Hæret. in 6. cap. 3. & 7. de Jur. Patron. sed vide etiam, quæ in mea Lucubratione de natura, ortu & progressu Electionum personarum Ecclesiasticarum §. 15. not. a. adtuli de Felice, qui ab Ecclesia ad nominationem Theodorici Gothorum Regis Ariani Pontificatui admotus est. Conf. etiam Wiestner art. 3. n. 44. de Jure Patronat.

(*d*) Veluti si quis Ecclesiam Cathedralem vel collegiatam ædificaret. In quibus scilicet cum electio obtineat, reservatione expressa opus est. Vid. Caus. XVI. Q. VIII. Can. 32. 33. Gloss. ad Can. 6. Dist. I. de consecr. unde illud: *Patronum faciunt, dos, ædificatio, fundus*, Cap. 25. de Jur. Patron. cap. 41. de test. cap. 3. de Eccles. ædif. vel repar. & Conf. de Roye in prol. ad Tit. de Jur. Patr. cap. 15. Florens. l. c. pag. 304. Barbosa l. E. Lib. II. cap. XII. num. 46.

* Modica & qualiscumque dos aut augmentum dotis, Ecclesiæ non satis dotatæ collatum, haudquaquam patronum sed solummodo *Benefactorem* efficiunt. Trid. sess. XXV. c. 9. de reform.

(*e*) Qui igitur duntaxat fundum dedit, etiam iste magis benefactor, quam Patronus erit. Cl. de Riegger l. c. §. 700.

(*f*) Vid. Can. 6. de consecr. Dist. I. Novell. 67. cap. 2. Caus. XVI. Q. VII. Can. 31. Trid. sess. XIV. cap. 12. de Reform. Francisc. de Roye l. c. cap. 13. Van-Espen l. c. cap. 3.

(*g*) Cum nempe Jus Patronatus successione Juris universi ad successores quoscumque videlicet tam ad hæredes directos quam fideicommissarios nec non bonorum possessores, & qui in jure civili sub formula: *ad quos ea res pertinet*, comprehenduntur, seu consanguinei sive extranei seu masculi sive fœminæ sint, vel ex testamento vel ab intestato transire possit, divisionem vero non admittat, necessario pluribus *in solidum* competere debet, quamvis in partibus inæqualibus sint instituti. Quod ita tamen intelligendum est, ut omnes ad præsentationem concurrant, & a pluribus præsentatus reliquis præferatur, vel ex duobus præsentatis unus per Episcopum eligatur; ceterum vero singuli cunctis effectibus juris Patronatus fruantur. Vid. l. 53. §. 1. ff. de O. & A. Cap. 1. 2. 3. 13. de Jure Patron. Gloss. in Clem. II. eod. l. 3. ff. quod cujusque univ. nom. & Conf. Van-Espen, l. c. cap. 5. nec non Wiestner art. 3. ad Tit. de Jure Patr.

* Inanis quæstio est de jure Patronatus *reali*, num transeat in fideicommissarium, utpote qui jura rebus inhærentia exercet; neque ex l. 42. §. 1. ff. ad SC. Trehell. ubi dicitur Jura sepulchrorum non transire in fideicommissarium universalem, sed apud fiduciarium remanere, ad Jus Patronatus reale formari potest argumentum. Conf. Florens l. c. Opusc. P. 2. pag. 263. Boehmer ad Tit. de Jur. Patron. §. 117. Jan. a Costa loc. cit. pag. 577.

** Patet uno ex pluribus patronis decedente ejus hæredes, quotquot numero sint, tantum vocem unius habere, atque adeo in stirpes succedere. Vid. Cap. 1. de Jur. Patr. & Clement. 2. eod. & conf. Florens l. c. pag. 264.

(*h*) Etiamsi vero patroni inter se libere conveniant de rectore alternis vicibus ab eis præsentando, aut unus ex pluribus præsentatis ab Episcopo eligatur, præsentatio tamen omnium nomine fit. Vide Clem. 2. de Jur. Patr. & conf. Francisc. de Roye l. c. cap. 9.

(*i*) Enimvero modum originarium adquirendi Jus Patronatus in legibus civilibus fundatum esse vidimus supra (§. 119. n. b.) cur non igitur etiam privilegio civili extra ordinem id concedi posset? Conf. mea Lucubratio de natura ortu & progressu Electionum personarum Ecclesiasticarum §. 16.

(*k*) Dum videlicet canonum interpretes medii ævi docent, privilegium ejusmodi non nisi a S. Pontifice *vi potestatis de camera* concedi posse, nos rectius instructi, quod S. Pontifex ordinarius ordinariorum & liberrimus beneficiorum dispensator haberi non debeat (§. 183. n. c. 195.) causam non videmus, cur Episcopi,

pi, ad quos Jus conferendi beneficia pertinet, salvis Juribus regiis salvoque jure tertii, cui forsitan Jus Patronatus aliunde jam stabilitum est, hoc jus etiam citra fundationem dotationem & extructionem alicui ob alia merita privilegio tribuere posset. Conf. Van-Espen, l. c. §. 33. sequ. Leuren. in for. benef. P. I. c. 1. Q. 15. Pirrhing ad Tit. de Jure Patr. sect. 1. §. 2. num. 11.

* Ea de causa, quamvis fundi donatio Jus Patronatus de jure stricto nondum secumferat, si non per fundatorem aut per alios extructio & sufficiens dotatio accedat, Episcopus tamen ob solum donatum fundum aut ob solam extructionem dotationemve imo ob augmentum tantummodo hujus illiusve præstitum ex privilegio Jus Patronatus tribuere poterit, præsertim, dum alter ejusmodi non præstare vult, nisi ipsi hoc jus annuatur. Neque in hujusmodi casu is, qui Ecclesiam fundavit vel extruxit, dotare autem recusat, contrarius esse potest, quominus alter ad dotationem sub conditione hujus juris obtinendi sese offerens ad idem admittatur. Conf. Van-Espen, l. c. Cap. III.

(*l*) Etenim in primo tantum casu opus est examine, an non mutatio patroni Ecclesiæ noceat; vid. cap. 8. de Jur. Patron. cap. un. eod. 6. Glossa in cap. 14. eod.

* Distinguunt aliqui, num donatum sit jus patronatus, num Ecclesia patronata. Episcopi consensum requirunt, si illud, non item si hoc contingit; innixi cap. 5. 11. 17. de Jure Patr. sed conf. Jo. Salom. Brunquell. in Differt. de mod. adquir. Jus Patron. §. 24. sequ. ubi levitatem hujus distinctionis & ejusmodi jura in odium patronorum laicorum inventa esse ostendit.

** Permutationem juris Patronatus non admittunt medii ævi doctores, si non cum alio jure simili & cum Episcopi consensu fiat, verum dum in jure Patronatus laico, & cumprimis in reali nihil spirituali annexum esse jam demonstravimus, cum Cl. de Riegger l. c. §. 709. deducimus corollarium, hujusmodi permutationem etiam sine consensu Episcopi fieri posse, lubentissime addentes, in permutando jure Patronatus Ecclesiastico, cum hic de jure licet non spirituali, sed tamen Ecclesiæ, quæ jus Patronatus habet, annexo agatur, ceu in aliis Ecclesiæ rebus temporalibus alienandis Episcopi consensum adhiberi debere. Vid. cap. 5. 6. & fin. de rer. permut. unde etiam facile deciditur quæstio, an jus Patronatus in feudum, in pignus dari, an in conductorem, maritum, sequestrem transferri possit, si ad ea reflectatur, quæ supra ad notionem hujus juris adtuli (§. 119. n. b.) Conf. Florens l. c. pag. 287. seq. Boekn. ad Tit. de Jur. Pat. n. 30. 35.

*** Canonistæ medii ævi, qui universe Jus Patronatus pro spirituali aut saltem spirituali bus annexo habuerunt, etiam non admiserunt, id a castro separatum vendi posse; vid. etiam c. 6. & 16. de Jur. Patr. Natæ hinc controversiæ, an in casu talis venditionis Ecclesia ab onere Patronatus libera censeatur, an vero ad venditorem, qui pretium restituere tenetur, redire debeat. Conf. Jan. a Costa ad cap. 6. & 15. de Jur. Patr. pag. 539. Florens l. c. pag. 257. Quæ controversia in Concil. Trident. sess. XXV. cap. 9. de ref. sublata fuit per constitutionem, ne venditor jus patronatus retineat, nec emtor pretium hoc in casu repetat. conf. etiam Van-Espen, l. c. cap. 4.

**** Quæ de præscriptione hujus juris jam supra dixi (§. 119. n. b.) roborantur cap. 11. de Jur. Patr. cap. 24. de Elect. cap. 1. de præscr. in 6. Trid. sess. XXV. cap. 9. de reform. Conf. Jan. a Costa l. c. pag. 387. & Van-Espen, l. c. §. 15. seq.

(*m*) Sunt itaque distincta jus Patronatus & jus præsentandi. Vid. cap. 1. de Jur. Patr. in coll. II. apud Ant. August. atque expresse vel tacite (n. d.) renunciare, aut cedere jus præsentandi Patronus potuit, quin etiam aliis juribus honorificis ac utilibus renunciaverit.

* De juribus Patronorum, quæ pariter jam superius (§. 119. n. b.) enumeravi, vide Caus. XVI. Q. VII. Can. 20. 26. 27. 30. 32. cap. 23. 25. de Jur. Patr. c. 1. de Præb. in 6. & conf. Francisc. de Roye l. 1. de Jure honorif. cap. 2. & 7. Barbosa J. E. L. III. cap. 12. num. 215. Florens l. c. pag. 84. Van-Espen, l. c. cap. 6. & 7.

** Ab obligatione defendendi Ecclesiam Patronatum sæpe quidem etiam Patrono nomen honorificum *advocati Ecclesiæ* tribuitur, ceterum novimus ab advocatis Ecclesiæ proprie acceptis (§. 445. n. e.) differre Patronos, atque hos nullam Jurisdictionem in Ecclesiæ beneficiatum, ejus bona, ipsamve Ecclesiam exercere, aut gestæ administrationis vel curæ animarum rationes exigi, multoque minus fructus aut ipsa Ecclesiæ bona usurpari posse. Statuta sane in hujusmodi est pœna excommunicationis & interdicti. Vide Caus. XVI. Q. VII. can. 18. 31. 32. 25. cap. 23. 24. de jur. Patr. cap. 12. de pœn. Trid. sess. XXIV. c. 3. XXV. cap. 4. de Reform.

(*n*) Amittitur Jus Patronatus

absque delicto	vel	*ob delictum*
scilicet		nempe
1. *Remissione* aut *expressa* aut *tacita*; veluti *patiendo*, ut Ecclesia convertatur in collegiatam, vel alteri seu Ecclesiæ, seu Monasterio unia-		1. *Cæde* Rectoris aut alterius clerici Ecclesiæ etiamsi per alium perpetrata.

tur: vel *non utendo* ita, ut intra tempus præscriptioni præfixum saltem bis sine Patrono *beneficiatus* sit institutus.

2. *Destructione* Ecclesiæ totali: respectu ejus, qui extruxit.

3. *Interitu dotis*; ratione ejus, qui dotavit.

4. *Extinctione familiæ*, si huic tantummodo sit reservatum.

5. Cunctis modis, quibus Jus Patronatus legitime in alios derivatur.

2. *Usurpatione* contra Concil. Trid. sess. 22. c. fin. de Reform.

3. *Crimine confiscationem* bonorum secum ferente.

4. *Alienatione* Juris Patronatus non legitima.

5. Crimine hæreseos.

Vid. cap. un. de Jure Patr. in 6. conf. Jan. a Costa in comm. ad c. 1. 2. 36. pag. 549. Barbosa J. E. L. III. cap. 12. nec non wiestner ad Tit. de Jur. Patr. art. X.

(*o*) Cum videlicet *in dubio* beneficia Ecclesiastica liberæ collationis esse præsumantur, is, qui sibi jus Patronatus asserit, id in judicio probare tenetur. Quod autem ad modum probandi a Concilio Trid. sess. XXV. c. 9. præscriptum adtinet,

Circa privatos

Statutum est, *ut titulus juris patronatus sit ex fundatione vel dotatione, qui ex authentico documento, vel aliis jure requisitis ostendatur, sive etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasque secundum Juris dispositionem*. Ex quo manifestum est, præter documenta authentica & multiplicatas præsentationes sine interruptione continuatas & legitime probatas admitti omnes alios modos, quibus alia jura in litem deducta probari solent veluti 1. *famam* 40. vel plurium annorum quieta possessione, vel aliis adminiculis suffultam. 2. *præscriptionem quadragenariam* cum titulo colorato fundationis, aut hoc deficiente immemorialem. 3. literas, quibus ipse ordinarius fatetur, alicui jus patronatus competere. 4. libros visitationum, si in iis Ecclesia visitata asseratur Patronatu subjecta esse. 5. sententiam pro Patrono in judicio latam, quæ in rem judicatam transiit. 6. monumenta antiqua aut arma gentilitia insigniave marmori æri parietibus aut altaribus incisa vel adpensa &c. Atque universe notandum, cum synodus Tridentina duntaxat in favorem Ecclesiæ videatur tam strictam exigere probationem, eadem non adeo erit necessaria in Casu, quo jus Patronatus non adversus ipsam Ecclesiam, sed adversus quemdam tertium illud sibi pariter vindicantem probari debet. Conf. Cl. de Riegger l.c. §. 731.

Circa communitates, universitates, & potentiores

Edidit synodus hæc verba: *in iis vero personis seu communitatibus vel universitatibus, in quibus plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur, nec immemorialis possessio eis aliter suffragetur, quam si præter reliqua, ad eam necessaria, præsentationes etiam continuatæ non minori saltem, quam quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probantur.*

* Eodem loco declarat synodus reliquos Patronatus omnes *in totum prorsus abrogatos & irritos, exceptis iis, qui super cathedrales Ecclesias competunt, & exceptis aliis, qui ad Imperatorem & Reges, seu regna possidentes, aliosque sublimes ac supremos Principes, jura imperii in dominiis suis habentes pertinent, & qui in favorem studiorum generalium concessi sunt.*

** Nequaquam tamen ratio juris & mens Tridentini est, ut patronus quiscumque post probationem præscripto modo jam præstitam iterum iterumque tam molesto probandi onere gravetur. Opposita igitur exceptio sententiæ & rei judicatæ ab ulteriori judiciali persecutione non liberare non poterit. Cl. de Riegger l.c. §. 734.

§. 447. Tam collationes, quam promissiones beneficiorum non vacantium; veluti *dispositiones de hæreditate viventium & alienæ mortis captationes*, Ecclesia quam maxime aversatur, atque ideo tot prodiere canones, quæ & collationem prohibent beneficiorum de jure non vacantium, & eorumdem promissiones seu *exspectativas* condemnant (*a*).

(*a*) Vacat beneficium,
Vel *tantum de jure*, si scilicet amissus tantummodo titulus, non possessio; & tum non quidem debet, attamen potest alteri conferri, vel

vel saltem promitti, cap. 28. de Præb. in 6. Gonzalez in reg. Cancel. VIII. Gloss. V. §. 1. n. 64.

Vel *tantum de facto*, dum salvo titulo & jure amissa tantum possessio; & ab ejusmodi concessione canones summopere abhorrent. Conf. c. 10. 40. caus. VII. Q. I. c. 1. 2. 7. de concess. Præb. & Eccles. non vacant. c. 4. de donat. Atque universe *exspectativas* (quandoquidem alienæ mortis desiderium & litigandi ansam inducunt, nec non dignioribus præcludunt aditum) jam pridem Bonifacius VIII. c. 2. de concess. Præb. & Eccles. non vacant. in 6. uti & Concil. Trid. sess. XXIV. c. 19. de reformat. severissime prohibuit, adeo ut & omnis contraria consuetudo ob motiva prohibitionis sit corruptela, & omnis etiam jurata hic valere nequeat promissio, & denique ipsius Pontificis auctoritas (etsi quædam illi Beneficia contra Ordinarios concordatis reservata non negemus) in beneficiis tamen nondum vacantibus, sanctissima hac universalis Ecclesiæ lege limitetur, adeoque decantata illa Pontificiæ potestatis hic exulet plenitudo.

Vel *de jure & facto simul*, & tum conferri non modo potest, sed debet etiam.

* Exspectativæ, gratiæ exspectativæ, vel exspectantiæ, si in technicis canonistarum terminis maneamus, tantum beneficia *determinata* respicit, non *incerta*; horum enim promissio ex mandatis de providendo certa Alexandri III. auctoritate progressum fecit, dum saltem illis omne robur in Concilio Lateranensi ademtum est, Cap. 2. de concess. Præb. quamquam affirmantibus aliis per hoc *tacite* & *per indirectum* præbendæ nondum vacantis exspectationem: non prohiberi cap. 7. de concess. Præb. aliis vero id negantibus, cap. 19. de Præb. Innocentius III. cap. 14. de concess. Præb. docuerit hanc propositionem: *promitto præbendam cum potero*, *seu cum facultas se obtulerit*: discernendam esse ab illa: *promitto præbendam cum vacabit*, quem ipsum vocabulorum lusum Bonifacius VIII. non ferendum esse perspexit, cap. 2. de concess. Præb. in 6. Et sane subsecuto insuper Concilii Tridentini Decreto novum robur accessit, cap. 4. de offic. leg. in 6. cap. 4. de Donat. & cap. 8. de Jur. Patron. nec non cap. ult. de concess. Præb. ubi legatis Pontificiis ordinariis collatoribus & Patronis ejusmodi exspectativas dare prohibitum est.

** Conf. Van-Espen, P. II. S. III. Tit. 4. c. 3. Gonzalez ad Reg. VIII. Cancellar. §. 2. proœm. num. 57. 67. & ad cap. 9. de præb. num. 3. nec non in cap. 2. de concess. Præb. num. 12. Barbosa de Canon. Cap. XXX. Boehmerus ad Tit. de concess. Præb. §. 20. & seq. & Cl. de Riegger l. c. §. 180. ubi ita scribit: *Quare peroratum jam esse opinor adversus Ecclesiarum cathedralium capitula, apud quæ hujus moris toties damnati frequentia est multo maxima.* TACITAM *hanc exspectationem nobilibus nostris, cognatis suis passim concedunt. Creatur canonicus sine stipendio quidem, qui vero mox vacaturo jam jam inhiat. Quid refert obsecro, promittasne præbendam olim vacuam, an vero canonicum recipias cum spe firmissima vacantis aliquando beneficii? Inde propullularunt* CANONICI IN HERBIS *præbendam exspectantes, qui præmisso jurejurando in canonicorum ordinem recepti calendariis publice inseruntur, in* CHORUM, *& stationem, quam* STALUM *vocant, inducuntur. Si concilia supra laudata, si verba canonum, eorumque mens, & ratio animo præjudiciis vacuo perpendantur, nullus superest dubio locus, quin id* GENUS CANONICORUM, *quos* SUPERNUMERARIOS *vocant*, PROBARI HAUD QUEAT. AT *vero in plerisque Ecclesiis cathedralibus & collegiatis talis* IMMEMORALIS CONSUETUDO JAM *ab* INNOCENTII *III. temporibus accepta viget, quam si* CONCILIO TRIDENTINO *sublatam haud existimamus, nihil profecto egit concilium, nullasque prorsus* DAMNAVIT GRATIAS EXPECTATIVAS.

448. Cum beneficia eum in finem fuerint stabilita, ut Religionis Ministri, quot necessarii sunt, sufficientem & stabilem habeant sustentationem, certique reditus in quavis Ecclesia ad sarta tecta, supellectilem sacram, cultum divinum & alimoniam pauperum adsint (*a*) (§. 121.) ad eundem finem Ecclesia edidit canones, quibus providetur, ut *ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*, seu quod idem est, ut nec id, quod recte uni sustentando par est, cum hujus detrimento diffundatur in plures, neque ea, quæ sufficiunt sustentandis pluribus, in unum cumulentur, atque adeo citra necessitatem ac utilitatem consensu eorum, quorum interest, & authoritate publica probatam retentiones Fructuum (*b*), impositiones oneris realis (*c*), uniones (*d*), divisiones (*e*), dismembrationes (*f*), & suppressiones (*g*) non admittantur (*h*).

(*a*) Concil. Aquisgran. de an. 816. can. 116.

(*b*) Fructus scilicet, nisi justa causa quid aliud deposcat, cap. un. *ut benef. Eccles.* successori in beneficio vel in ejusdem Ecclesiæ aut beneficii utilitatem servari atque impendi debent. Ex hujus enim illiusve causæ Justitia ipsi

 Prin-

Principes, quorum dominio eminenti temporalia subjacent, & in quorum territorio *Beneficiati* commodis utuntur, fructus beneficiorum quosdam retinere non minus poterunt, ac suas Pontifex annatas, aut suam Episcopi, C. ult. de offic. ord. in 6. probatam fructuum portionem. Consentit Austriæ nostræ praxis, vi cujus in omnibus beneficiis, quorum collatio ad Archiducem spectat, beneficiati consuetam taxam persolvunt. Conf. Concil. Trid. sess. XXIV. c. 14. de reform. cum cap. 4. & ult. de officio ordin. in 6.

* Pejus & aperte simoniacum est, si collator de quota sibi relinquenda paciscatur. Cap. un. *ut Eccles. benef.* cap. ult. cit.

(*c*) Onus reale seu *pensio*, si sit *portio proventuum in quodam beneficio* SUPERFLUA & *alteri* EGENTIORI *Eleemosynæ modo adjecta*, non tantum nil iniqui habet, sed Evangelio & menti Ecclesiæ est conformata, atque binc non tantum beneficiato, sed ipsi beneficio ab Episcopis cum consensu eorum, ad quos inspectio temporalium pertinet; absque omni Pontificio indultu licite imponetur. Secus si non egentes & otiosi cum pauperum & eorum, qui Ecclesiæ serviunt, defraudatione, cum detrimento fabricæ Ecclesiæ, cum manifesto denique plura tantummodo beneficia piscandi periculo pensiones trahant. Profecto neque illa triplex, scilicet pacis, resignationis & permutationis obtutu, pensionum excusatio, quæ potius beneficiorum mercimonium induceret synod. Chalced. Can. 10. cap. 5. de rer. permut. cap. 7. de transact. neque authoritas summi Pontificis, qui & beneficiorum non est dominus & universe in intrinsece malis dispensare nequit, ejusmodi pensionarios in conscientia securos reddent. Onus autem personale, quod in personali functione consistit, si cura animarum id exigit, imponi posse extra omne dubium est.

* Cum jus percipiendi fructus ex beneficio alieno aut clericis propter officium spirituale; aut laicis vel clericis ob obsequium temporale; aut solis quidem clericis, sed ex alia quam spiritualis officii causa concedi soleat, pensionem in *clericalem*, *laicalem* & mixtam dividunt. Conf. Leuren. for. benef. Tom. III. Q. 428. seq. Wiestner ad Titul. *ut Eccles. benef.* n. 7. 8. & 9. ejusmodi pensiones, etsi similitudinem quandam cum beneficiis habere videantur, beneficia tamen non esse. Videatur quoque c. 4. de præb. in 6. & Trid. sess. XXI. c. 2. de Ref. ubi roboratur quod supra (§. 438.) insinuavimus.

** Exempla illustria pensionum in sensu justo acceptarum & a *delectis Prælatis Pauli III.* speciatim probatarum vid. in Concil. Chalced. act. X. XII. XIV. apud S. Greg. Lib. I. Ep. 43. L. XI. Ep. 7. Van-Espen J. E. U. P. II. sect. III. Tit. XI. cap. 1. §. 1. sequ. Fleury hist. Eccles. L. 28. n. 26. Tom. VI. & in Instit. Jur. Eccles. P. II. cap. 25. §. 2. Thomassin. P. III. L. II. cap. 29.

*** Ut abusibus, quos circa pensiones commissos referunt auctores laudati, aliquo saltem modo mederentur Patres Tridentini, statuerunt sess. XXIV. cap. 13. de reform. ut posthac *omnes cathedrales Ecclesiæ, quarum reditus summam ducatorum mille, & parochiales, quæ summam ducatorum centum secundum verum annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur:* ad quod ipse Palavicinus hist. Libr. XXIII. cap. II. ait, deterrimo pensionum abusui longe majus remedium expectatum fuisse.

**** Incassum quæritur pro pensionibus transactione innixis patrocinium in cap. 21. de Præb. Enimvero Pontifex, dum alioquin parum absfuit, quin ob exempli perniciem totam causam suspectam haberet, illam provisionem in pensionario nequaquam adprobabat, sed tantummodo tolerabat, & neque hoc propter *pactionem partium*, sed ideo, quia intercessit authoritas judicis, atque hinc ceterum ex justa causa illud fuisse factum præsumebatur. Conf. Fagnanus ad cit. cap. num. 5. Van-Espen, l. c. Tit. XI. cap. §. 1. sequ. & 18. Boekn. ad Tit. de rer. permut. num. 6. 7. 8.

***** Communis doctorum medii ævi scientia inter Jus S. Pontificis & Jus Episcoporum circa dispensationes in pensionibus eam differentiam statuit; ut 1. Pontifex sine causa & accipientium scrupulo dispensare queat; minime autem ita Episcopus, 2. universe Episcopis non liceat gravare beneficia, sed tantum beneficiatos, atque adeo dispensationes Episcoporum ad tempus mortis beneficiati, S. Pontificis vero dispensationes perpetuo durent, & tanquam onera realia ad successores transeant. Hujusmodi asserta nec sanæ Philosophiæ nec doctrinæ Evangelicæ & veteri Ecclesiæ conformata haudquaquam nostra facimus. Conf. Van-Espen, l. c. cap. V. Boekn. ad Tit. *ut Eccles. Benef.* n. 8. 9. 10. Leuren. loc. cit. q. 443. sequ.

****** Requiritur tamen etiam consensus Beneficiati; Patroni, & cautela, ne pensio vel injunctæ pensiones plures tertiam partem proventuum superent. Et generatim præter constitutionem Tridentinam sess. XXIV. cap. 13. de Ref. circa Ecclesias cathedrales & Parochiales jam superius (***) insinuatam prohibentur pensionibus onerari dignitates, nisi de illa parte redituum, quæ centum ducatorum Summam excedit, aut alia beneficia, nisi de ea, quæ summam 24. ducatorum superat. Nolim tamen existimes ex sola hujus *Summæ* observatione absque alia justa causa pensiones etiam licitas esse. Conf. Van-Espen, l. c. cap. 6. 7.

Wiest-

Wiestner cit. Tit. II. 15. Leuren. l. c. Q. 456. sequ. 464. sequ. 483. sequ.

******* Ex constitutione Pii V. *Ex Proximo*, & Sixti V. *cum sacrosancta*. Pensionariorum obligationes sunt illæ, ut 1. Clericorum more induantur, 2. minores B. Virginis horas dicant, secus non futuri participes fructuum, quos propterea percipiunt, 3. pro rata fructuum teneantur etiam ad onera adnexa beneficio, ex quo illos percipiunt.

******** Extinguuntur pensiones iisdem fere modis, quibus beneficia. Redimi tamen possunt pecunia, si modo non sint instar tituli clericalis, atque ceterum omnia bona fide & sine pactione simoniaca agantur. Conf. Wiestner, l. c. n. 28. sequ. Van-Espen, l. c. cap. IX. Leuren. l. c. Quæst. 534. 638. & sequ.

(*d*) Unio seu conjunctio beneficiorum, vel Ecclesiarum ea intentione fit, ut respectu beneficiati pro una Ecclesia vel beneficio habeantur. Quæ unio si *temporalis* & *personalis*, id est, in favorem cujusdam duntaxat personæ; beneficiorum pluralitas pallium est, atque hinc prohibita. Concil. Trid. sess. VII. c. 4. de Reform. Vid. Trid. sess. XXIV. cap. 17. de Reform. Van-Espen, l. c. Tit. XII. cap. 1. §. 1. sequ. Leuren for. benef. loc. cit. Quæst. 887. Turricell. de un. benefic. person. & benef. Eccles. P. II. L. V. Tit. X. num. 10. si vero *realis* & *perpetua*, seu *in verum Ecclesiarum commodum*: nullatenus certo improbari potest. Atque hæc ipsa unio contingit

Vel per *subjectionem*, quando una conjunctarum Ecclesiarum *principalis* eminet, & eidem veluti *Matri* reliquæ ceu *filiæ* ad hunc unicum finem, ut quantumvis cætus peculiares permaneant, proprium tamen pastorem non teneantur alere, sub uno eodemque rectore & nomine subjiciuntur. Quæ quidem subjectio non semper *absolute*, sed nonnunqum *secundum quid*, seu tantum quoad certos effectus contingit. Conf. Van-Espen, l. c. §. 10. 11. Turricell. l. c. cap. IV. Ceterum sequitur ex hac unione per modum corollarii, 1. beneficium unitum non supprimi, & quoad onera jura & proventus in sua integritate permanere, filiamque solum facere jacturam, quæ facta unione nequeunt integra præstare, 2. nec per talem unionem Ecclesiarum in diversis Diæcesibus sitarum Jurisdictiones Ecclesiarum confundi, c. 2. de Relig. dom. 3. Patronum tamen Ecclesiæ filiæ suum jus amittere. Cap. 7. de donat. 4. filiam suo deinceps nomine non celebrari, nec rectorem ab illa, sed a matre denominari, nec hunc, 5. teneri, ut materialiter apud filiam resideat, conf. Leuren l. c. quæst. 883. Wiestner L. V. Tit. 31. n. 6. Boehmer Tit. V. L. III. §. 184. sequ.

Vel per *æqualitatem*, quando conjunctarum Ecclesiarum nulla principalis nullaque ab altera dependens est, & neutrius nomine, juribus bonis ac qualitatibus mutatis aut communicatis, utrique unus tantum Rector præficitur. Vid. cap. 1. ne sede vac. & conf. Fagnanus ad hoc cap.

Vel per *suppressionem*, dum duæ pluresve Ecclesiæ antea discretæ in unum corpus coalescunt, atque adeo non amplius distinctos formant cætus, sed tanquam unicum beneficium, quod utriusque jura & privilegia compatibilia retinet, & ex incompatibilibus favorabiliora. Posthac spectandum est, quamvis Ecclesiæ hoc modo unitæ, non semper per omnia, si sacra exceperis, adsumunt mores Ecclesiæ, cui uniuntur. Conf. Turricel. l. c. cap. III. Gonzalez in reg. VIII. Glos. V. §. 7. n. 28. Garzias de Benefic. cap. 2. num. 10.

* Ceterum, qua specie unionis beneficia unita sint, cumprimis literæ unionis consuli debent. In dubio unionem per æqualitatem factam esse recta ratio præsumit. Conf. Van-Espen, l. c. §. 12. sequ.

** Quod Episcopatus unire juxta hodiernam disciplinam ad S. Pontificem pertineat, jam edocti sumus (§. 181. n. d.) reliquarum Ecclesiarum unio & subjectio est Episcopi, cap. 8. de excess. Prælat. Neque exemti aliive beneficiorum collatores id attentare possunt, si non præscripserint, cap. 15. de Præscript. Conf. Van-Espen, l. c. cap. 1. §. 17. sequ. Wiestner L. V. Tit. XXXI. n. 8. sequ.

*** Constitutiones synodi Tridentinæ sunt hæ præcipuæ 1. prohibet Episcopis sess. XXIV. cap. 13. de Reform. *Ne parochiales ecclesias aliis quibuscumque dignitatibus, monasteriis, aut præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel collegiatæ, seu etiam beneficiis simplicibus, aut hospitalibus, militiisve amplius uniant*. 2. Vetat fieri *accessiones per viam unionis de beneficiis liberis ad Ecclesias juri Patronatus etiam laicorum subjectas tam ad parochiales, quam ad alia quæcumque beneficia etiam simplicia, seu dignitates, vel hospitalia ita, ut prædicta beneficia libera ejusdem naturæ cum iis, quibuscum uniuntur, efficiantur, atque sub jure patronatus constituantur*, sess. XXV. cap. 9. de Ref. 3. jubet sess. VII. cap. 6. de ref. *Uniones perpetuæ a quadraginta annis citra factæ examinari ab ordinariis, tanquam a sede apostolica delegatis, & quæ per subreptionem vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarentur. Illæ vero, quæ a dicto tempore citra concessæ, nondum in toto, vel in parte sortitæ sunt effectum. & quæ deinceps ad cujusvis instantiam fient, nisi eas ex legitimis, aut alias rationabilibus causis, coram loci ordinario vocatis, quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentæ præsumantur: ac propterea nisi aliter* a se-

a sede apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant. Praetereaque synodus sess. XXIV. Cap. 13. & 15. sess. XXIII. cap. 18. de Reform. generatim salutem Ecclesiae in unionibus observandam conditionesque beneficiorum v. g. num simplicia num curata sint, num vicina num dissita &c. perpendendas praecipit. Quapropter etiam omnis unio *in forma commissoria* fieri, & petentes beneficiorum unionem utriusque verum valorem juxta communem aestimationem exprimere debent. Conf. Van-Espen, l. c. cap. III. Bohemer L. III. Titul. V. §. 200. Barbosa J. E. L. III. cap. XVI. de unionibus gratiosis ad obtegendam beneficiorum pluralitatem inventis & sine necessitate tantum ad reditus augendos factis; conf. praeter Van-Espen, l. c. cap. 2. §. 1. Fleury Instit. Jur. Eccles. P. II. cap. 29. §. 1. sequ.

**** Sed neque unio absque consensu Patroni & quorum interest, aut sine obtento summi Principis consensu valebit. Vid. Trid. sess. VII. cap. 6. de Reform. Non tamen necessarius est consensus beneficiati, utpote ante cujus obitum vel dimissionem unio effectum non sortitur. Clem. 2. de reb. Eccles. non alienand.

***** De incorporatione Parochiarum ad monasteria capitula vel dignitates jam supra dictum (§. 426. n. b.)

****** Cessare debent uniones 1. cessante causa, propter quam factae, 2. incremento populi, 3. si unio incipiat caeteroquin nocere Ecclesiis aut, 4. simonia intervenit. Vid. cap. 1. de R. I. Clement. 2. de Elect. cap. 8. de Excess. Prael. cap. 9. de Constit. Clem. 1. de statu Monach. cap. fin. de paroch. Cap. 1. ne sede vacant. Et quidem bene observant Interpretes Episcopum dissolvere posse non tantum uniones a se factas, sed factas etiam a S. Pontifice. Conf. Van-Espen J. E. U. P. II. Tit. XXIX. cap. 4. & 5.

(*e*) Divisio, seu sectio unius beneficii in plura, prohibetur longe magis ac unio in Epistolis Pontificum Decretalibus, vid. c. 8. 10. 20. 21. 25. 26. 30. &c. sed tu quaeso reflecte mentem ad ea, quae exposuimus supra (§. 125. 227.) nec non ad causas, ob quas unionem cessare debere paulo ante diximus.

* Veluti uniones ita & divisiones ob salutem Ecclesiae, publica authoritate, & eorum quorum interest consensu, legitimaque causae totius cognitione fieri debent.

** Effectus divisionis est varius

Aut enim unio dissolvitur, & tum Ecclesia, quae unita fuit, in priorem statum restituitur, cap. 1. *ne sede vac.*

Aut ex Ecclesia, quae a primordio una fuit, efficiuntur duae, & hoc casu recens fundata, filia evadit illius, ex cujus reditibus extructa est, eademque in illam Jus Patronatus adquirit, cap. 3. de Eccles. aedif. Conf. Van-Espen, loc. cit. cap. §. 8. & vid. de divisione paroch. Trid. sess. XXI. cap. 4. de Reform.

(*f*) Dismembratio fit, quando ex beneficio penes suum ordinarium rectorem manente pars fructuum aufertur, & alteri adplicatur beneficio. Id quod eo casu, quo abundans beneficium, alterum egens est, modo reliqua etiam, quae ad alienationem rerum Ecclesiasticarum sunt requisita, observentur, erit, omnino quam justissimum, vid. c. 9. de his quae fiu. a Prael. & Conf. Reiffenstuel ad Tit. ut Eccles. Benef. num. 12. sequ.

(*g*) Suppressio est extinctio beneficii totalis, seu reductio praebendarum ad minorem numerum. Plerumque tenuitas & deminutio redituum, suppressionis causa est. Universe autem cum simul de ipsius divini cultus deminutione tali casu agatur, non nisi necessitas & utilitas magna, quibus scilicet in collisione immediatus cultus Dei affirmativus cedit, subversetur necesse est. Vid. Trid. sess. XXIV. cap. 15. de ref. cap. fin. de V. S. cap. 8. 9. & 12. de Constit. & conf. Fagnan. ad cit. cap. 8. nec non Reiffenstuel l. c. n. 32.

§. 449. De prohibitionibus veteris Ecclesiae, ne transcursiones ab uno beneficio ad aliud sine summa Ecclesiae utilitate, & sine praevia apud Metropolitanum & synodum provincialem cognitione fierent, satis jam supra expositum est (§. 200. n. a.) (*a*). Neque autem recentior aetas, quamvis inter jura S. Pontificis retulerit translationes Episcoporum (§. 181.) (*b*) circa has aliasque omnes extra evidentem causam necessitatis ac utilitatis Ecclesiae (*c*) Canones permittentes (*d*), sed potius poenas in quamcumque non legitimam translationem statutas vidit, (*e*). Quapropter quaevis non legitima translatio etiam hodie omni effectu destituitur (*f*).

(*a*) Vid. Can. Apost. 13. & 14. Concil. Nic. I. Can. 5. Sardic. C. 1. & 2. Carthag. III. c. 38. &c. Nati quidem sunt Canones isti demum sec. IV. cum antehac ejusmodi transmigrationum exempla nescirentur. Imo per novem fere secula ignoravit Ecclesia translationes ab Episcopatu ad sedem Romanam, & Formosum P. propterea, quod ex Episcopatu Portuensi ad Pontificatum an. 891. assumebatur, Successor Stephanus VI. e sepulchro reduxit, cavitque Concilium Romanum a. 904. sub Joanne IX. habitum, ne caeteri hoc novo exemplo seducerentur. Conf. Thomassin de V. & N. Eccles. Disc. P. II. L. II. cap. 60. 61. sequ. Van-Espen,

Espen, J. E. U. P. I. Tit. X. cap. 4. Fleurij Hist. Eccles. L. LIV. §. 12. 27.

(*b*) Spuriis videlicet Isidori mercibus Caus. VII. Q. I. c. 34. superstructum est Cap. 2. de transl. Episc. Conf. Thomassin. P. IV. L. II. Cap. 56. n. 7. Indeque habemus canones hoc reservatum Pontificium adeo stabilientes, ut nec sit communicatum legato a latere, sine speciali indultu, cap. 3. de offic. leg.

* Translatio itaque Prælatorum non exemptorum & clericorum inferiorum fiet saltem authoritate Episcopi Caus. XVII. Q. II.can. 8.

** Ad Translationes præcipue Episcopatuum & beneficiatorum ab Imperantibus nominatorum requiri consensum regium, nulli Jurispublici perito in dubium venire potest. Sed talis etiam quasvis translationes Placeto regio non subtrahi posse defendet. (§. 109. 110.)

(*c*) Satis quoque jam supra (§. 200. n. a.) dictum de spirituali matrimonio. Hoc igitur matrimonio carnali *fortius* solum eatenus dixeris, quatenus Episcopi finis sublimior, caracter indelebilis, & vinculum cum universali Ecclesia contractum totuplici respectu vinculum carnalis coniugii superat. Conf. Cl. Schrodt. L. 1. Decret. §. 349.

* Illud tamen spirituale vinculum, quod inter Episcopum & Ecclesiam intercedit, hæc procurat corollaria. 1. Translatione solemni Episcopum confirmatum & consecratum indigere quidem non item Episcopum electum cap. 2. de Translat. Episc. 2. Facta translatione legitima cum consensu translati priorem Ecclesiam Episcopalem ipso jure vacare. Caus. XXI. Q. II. Can. 3. Id quod secus quidem est in inferioribus dignitatibus & beneficiis, in quibus tale vinculum cum non obtineat, eadem ante obtentum jus plenum & pacificam possessionem secundi Beneficii non vacant. Cap. 7. de Elect. Cap. 28. de præb. in 6.

(*d*) *Translatio Episcoporum* ait Bellarminus ad Clementem VIII. *Secundum Canones & usum veteris Ecclesiæ non debet fieri, nisi ob Ecclesiæ necessitatem vel maiorem utilitatem. Nec enim institutæ sunt Ecclesiæ propter Episcopos, sed Episcopi propter Ecclesias. Nunc autem quotidie fieri translationes videmus ea solum de causa, ut Episcopi honore & ovibus augeantur.* Ad quæ verba respondit Pontifex: *Nos cum difficultate transferimus, & non deficimus monere Principes per nos & nuncios nostros.*

* Hinc facile intelligitur, cur a maiori ad minorem Ecclesiam transferri *insolitum* sit mutationis genus. C. 1. de Transl. Ep. & ad parem Ecclesiam facilior concedatur transitus c. fin. eod. cum scilicet major labor majorque Ecclesiæ utilitas in Ecclesia majori quam in minori præsumatur. Quam tamen præsumtionem haudquaquam ita juris & de jure esse existimare vellem, ut a majori Ecclesia non liceat transitus ad minorem, si in minori aperte major Religionis necessitas ac utilitas hunc illumve majoris Ecclesiæ Antistitem postulet. Ceterum non dicas eum, qui dispensatus est ad Archiepiscopatum, utique etiam Episcopatum hac dispensatione consequi, atque adeo habilem in majori Ecclesia ad minorem transire posse. Enimvero versamur in casu, in quo jam præsupponitur habilitas, & hac præsupposita dein solum ad majorem utilitatem attenditur. Conf. Joan. Christ. Schambog. Comment. sive Lect. publ. in Decret. Greg. IX. Tit. de Translat. Episc. §. 13. Neque pro casu necessitatis & majoris utilitatis Ecclesiæ accipies illud: Episcopum a summo Pontifice invitum non cogi posse ad translationem. Caus. VII. Q. 1. cap. 35. Ceterum statuit concilium Constantiense, *invitorum Episcoporum & superiorum translationes absque magna & rationabili causa, quæ vocata parte cognita fuerit, & decisa de Consilio S. R. E. Cardinalium & majoris Partis eorundem & cum subscriptione, fieri non debere*. sess. 39. apud Harduin T. VIII. Col. 859.

(*e*) Canones antiquiores translationem illegitimam ceu adulterium spirituale respiciebant, adeoque coercebant pœna *denegatæ communionis laicæ* etiam in fine vitæ; vid. Conc. Sardic. de an. 347. Can. 1. apud Harduin. Tom. I. Concil. pag. 637. Chr. Lupp. in Scholiis ad dictatum Gregorii VII. Can. 13. Hodie propria authoritate transiliens utramque Ecclesiam amittit, & quidem illam a qua recessit, *sententia condemnatoria*; posteriorem vero ipso jure, cum vinculo prioris matrimonii stante nullum jus in secundum potuerit obtinere. arg. Caus. II. Q. I. Can. 31. in verb. *Carebit & propria*.

(*f*) Effectus legitimæ translationis, si scilicet sit *Prælati ab una Ecclesia ad aliam authoritate superioris ex legitima causa facta transpositio*, consistit in hisce 1. ut translatus, uti mox ante dicebamus, nihil juris retineat in priori Ecclesia, quæ ob dissolutum vinculum spirituale ipso jure cessat, & hinc 2. liceat quidem translato secum deferre fructus *perceptos*, quia ob præstitum ministerium concessi & percepti sunt, nec non *bona mobilia* in priori Ecclesia adquisita vel fructibus comparata, si non priori Ecclesiæ donaverit. c. 16. de præb. Caus. XII. Q. II. Can. 21. non tamen *fructus pendentes*, cum censeantur jure fructuariorum lib. 42. ff. quibus mod. ususfr. amitt. §. 36. instit. de rer. divis. Consonat Bulla Julii III. & Urbani VIII. Conf. Cl. Schrodt l. c. §. 356.

(*g*) Cum translatione nolim confundas translocationem, qua Prælatus vel beneficiatus delinquens in pœnam a digniori quadam sede ad inferiorem detruditur. Vid. Dist. 71. can. 9. & c. 4. de Translat. Episc.

§. 450.

§. 450. De *renunciatione illa qualificata*, quæ in *totali desertione ordinis clericalis seu Apostasia ordinis consistit* (*a*) in libro sequente acturi; hoc loco tantum expendendam habemus (§. 440.) *renunciationem simplicem*, quæ est *Prælatura beneficii, munerisve sacri spontanea ex justis causis & cum authoritate superioris facta abdicatio* (*b*).

(*a*) Vid. Cauf. XX. Q. III. c. 3 cap. 1. & 2. de Apost. Concil. Trid. sess. XXIII. de sacr. ord. c. 4. Nov. VI. cap. 3. & Nov. CXXIII. cap. 15.

(*b*) Venit etiam nomine *resignationis*, vel *cessionis*. Conf. Ciron. Paratit. ad Tit. de renunc. §. 4.

§. 451. Patet ex ipsa renunciationis definitione 1. eam debere esse *ultroneam* & fieri ab eis, qui facultate resignandi non destituuntur (*a*), 2. parum interesse seu renunciatio *tacita* (*b*) fit seu *expressa*; seu *pura* seu *conditionata* (*c*), seu denique resignare volens id præstet ipse, seu per Procuratorem; (*d*) requiri autem, ut 3. beneficium ipsum resignari queat (*e*), & 4. in modo resignandi nundinationes, successiones hæreditariæ aliaque canonibus adversa non contineantur (*f*), nec non 5. adsit vera ac gravior causa (*g*), eaque 6. a legitimo superiore cognita probetur (*h*) atque ita demum renunciationem ceu legitimam 7. suum effectum consequi posse (*i*), sed & 8. tali renunciatione admissa subinde locum pœnitentiæ ac regressui in regula non dari (*k*).

(*a*) Hinc irritæ resignationes 1. dolo elicitæ aut metu gravi, & injusto extortæ, vid. Cap. 3. & 4. de his quæ vi metusve. 2. factæ a furiosis, cap. 5. de renunc. 3. a clericis impuberibus sine authoritate tutoris & superioris, cap. 2. de ætat. & qual. Ordin. (secus quidem sentiendum de minoribus, sed & istis salvum est beneficium restitutionis), 4. a Novitiis nisi duobus mensibus ante Professionem subsecutam (§. 333. not. b.).

(*b*) Renunciationis tacitæ exempla sunt: 1. si clericus beneficiatus profiteatur in religioso ordine, cap. 4. de Regul. in 6. 2. si in minoribus constitutus contrahat matrimonium, c. 1. & 3. de Cler. conjug. 3. si fiat miles. Gloss. in cap. fin. verb. *redierint*, de Cleric. non resid. 4. si clericus bona Ecclesiæ seculari, in qua beneficium obtinuit, donata repetat, cap. 3. de renunc. 5. si quis absque dispensatione aliud beneficium incompatibile assequatur, cap. 28. de Præb. & Extrav. Execrabilis, §. qui vero, eod. Tit. 6. si is, qui ex literis Apostolicis jus habet ad quandam præposituram, illi qui a capitulo in Præpositum electus est, reverentiam Præposito debitam exhibeat, c. 3. de his, quæ fiunt a maj. part. Capituli. Conf. Cl. Schrodt l. c. §. 383.

(*c*) Conditionalis renuntiatio quadruplex est. 1. ex causa permutationis. 2. in favorem tertii. 3. cum reservatione fructuum sive pensionis. 4. cum pacto aut reservatione *accessus*, *ingressus*, *regressus*.

* Casus *accessus* est, quando is, *cui beneficium conferendum est, id ejusque possessionem v. gr. propter ætatis immaturitatem capere non potest*; & ideo relinquit alteri, reservans tamen sibi, ut adveniente habilitate ad illud *accedere* queat.

Casus *ingressus* est, quando jam *collatum* beneficium, cujus tamen *possessio nondum accepta est*, ea lege ceditur alteri, ut *resignatario* moriente resignans subinde illud ingrediatur.

Casus denique *regressus* est, quando *beneficium collatum* & *possessum* sub hac conditione resignatur, ut, si resignatarius præmoriatur, resignans ad illud *regrediatur*. Conf. Cl. Schrodt l. c. §. 385.

(*d*) Tantummodo Procurator speciali mandato sit instructus, nihil obstabit, etsi ad id etiam laicus constituatur. Vid. Clement. un. de renunc. & conf. Van-Espen J. E. U. P. II. Titul. XXVII. c. 3.

(*e*) Resignari scilicet nequeunt, 1. beneficia litigiosa in favorem non litigantis, cap. 2. *ut lite pend. in* 6. 2. beneficia patronata sine consensu capituli, Clem. unic. de renunc. Trident. sess. XXI. cap. 2. de Reform. 3. beneficia, ad quorum titulum quis ordinatus est, si resignans non faciat expressam mentionem *Tituli*, & aliud honestæ sustentationis medium substituat. Trid. sess. Cap. 2. 4. beneficia, quibus aliquis ipso jure jam privatus existit etiam ante sententiam declaratoriam; (secus itaque, si quis tantummodo per sententiam condemnatoriam se privandum metuat, cum usque ad hanc sententiam titulum beneficii, suique juris possessionem retineat). Conf. Scharz ad Tit. de renunc. §. 3. n. 10. & Cl. Schrodt l. c. §. 390.

* Glossa in cap. 1. de renunc. in 6. & Augustinus Triumphus de summa potest. Eccles. Quæst. 4. adferunt 4. exempla Pontificum resignantium scilicet Clementis, Cyriaci, Marcellini, & Cœlestini, *in quo* ait Alvarus Pelagius de Planctu Ecclesiæ L. I. art. X. *etsi esset sanctitas, deerat scientia & industria*.

Enim-

Enimvero cur Ecclesia seu in Concilio congregata seu dispersa, qua inferiorem esse Pontificem demonstravimus, imo cur etiam summi Principes, qui tanquam advocati Ecclesiæ, tanquam gaudentes antiquo populi affirmativo voto, tanquam defensores suarum rerum publicarum, quantum juris circa Pontifices promovendos, tantundem circa eos, pro necessitate ac utilitate retinendos habere debent, minus providæ Pontificatus resignationi obsistere non queant, ego quidem cunctis rectæ doctrinæ principiis rite compositis causam non video.

(*f*) Vetus Ecclesia tantummodo resignationes simplices ex justa causa novit, non item renuntiationes *ex causa permutationis*, de quibus statim plura dicemus, multoque minus resignationes *in favorem tertii*. Hæc enim demum seculo XVI. ex stylo curiæ Romanæ; illæ a seculo XII. ex abusu translationum invaluere. Vid. Can. 16. Nicæn. de V. & N. E. D. P. II. L. II. Cap. 51. §. 5. Van-Espen P. II. Tit. XXVIII. Cap. 5. Rupprecht in not. hist. Tit. de renunc.

* Concilium Trid. Sess. XXV. de ref. Cap. 7. omnes cujuscumque generis regressus, & quidquid in beneficiis hæreditatem sapit, adversus recentiores corruptelas prohibuit.

** Notandæ etiam sunt factæ in odium resignationum duæ regulæ cancellariæ scilicet altera XVIII. *de viginti* seu *de infirmis* resignantibus, & altera XXXVI. *de publicandis resignationibus*.

Regula de viginti statuit, ut resignatio non aliter effectum habeat, quam si resignans *viginti dies* a facta resignatione supervixerit, & secus censeatur beneficium vacare per obitum, atque adeo ad collationem ordinarii liberam spectet. Viginti igitur illi dies computandi & de momento in momentum, ita ut vicesima dies debeat esse completa, & a die consensus in resignationem in camera vel cancellaria præstiti. Quapropter in regula ista dicitur: *etiam vigore supplicationis, dum sanus esset, signatæ*, cum non dies subsignationis Pontificiæ, sed consensus in Camera vel Cancellaria præstitus & juramento firmatus resignationem perfectam faciat. Conf. Engel ad Tit. de Præb. num. 31.

Regula de publicandis resignationibus, cui accessit constitutio Gregorii XIII. 85. *humano vix*: ad reprimendam fraudem eorum, qui salvo beneficio resignant, & resignatorio acta provisionis procurant ea sub conditione, ut illa usque ad obitum resignantis secreto teneat, resignationes jubet publicari, & quidem I. *Si in curia Romana sit facta resignatio*, intra sex menses, si intra montes sive Italiam beneficium existat; si vero existat ultra montes, intra novem menses a die resignationis computandos. II. si resignatio fiat extra curiam, intra tres menses a die collati Beneficii, ita ut publicatio fiat in Ecclesia cathedrali, vel etiam simul in parochiali, si beneficium intra limites parochiæ situm sit. Quæ quidem regula nec ad consistorialia beneficia pertinet, utpote in quibus cessat suspicio fraudis, cum in præsentia Papæ conferantur, nec intuitu aliorum etiam beneficiorum ex defectu legitimæ promulgationis & receptionis observatur. Conf. Cl. Schrodt l. c. §. 396.

(*g*) Justas renuntiationis causas hoc exprimunt versiculo: ut

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

* Vid. Cap. 10. de renunc. Mala conscientia respicit tale crimen, quod officii executionem etiam pœnitentia peracta impedit, veluti hæresis, simonia in electione commissa.

** Irregularitas hic intelligitur talis, in qua non facile dispensatur, veluti quæ orta est ex bigamia vel homicidio voluntario ac notorie perpetrato.

*** Ad renuntiationem Episcopis inferiorum Prælatorum aliorumque beneficiatorum sufficiunt quidem *causæ minores*. Non tamen etiam isti ex nullis, levibusve causis passim & temere renuntiare queunt. vid. constit. Pii V. 58. *quanta Ecclesiæ*.

(*h*) Ad quem olim pertinuerit admissio renunciationum, jam edocti sumus supra (§. 181. n. b.) Hodie reservatæ sunt summo Pontifici I. Resignationes Episcoporum sive simplices sive in favorem aut ex causa permutationis, II. Resignationes inferiorum etiam beneficiatorum, si sint factæ in favorem tertii, cujus rationem aliqui reponunt in purgatione simoniæ a solo Pontifice facienda. Enimvero convincemur magis suo tempore sola resignatione in favorem tertii, si non pactum aliud intercedat, simoniam nullatenus committi, & utique, si simonia interveniret, simoniaci facti admissio a Pontifice facta crimen simoniacum non purgaret. Quærendum itaque fundamentum in dispensatione, qua permittitur beneficiato; ut citra simoniacum pactum sibi successorem in beneficio nominet, quæ instar aliarum dispensationum sedi Apostolicæ reservata est. Ceterum in Concilio Tridentino nomine Caroli IX. Galliæ Regis ejusdem legati postularunt, ut *resignationes in favorem ejiciantur a curia Romana tanquam inhonestæ, & Ecclesiæ minus salutares*. Conf. Andreas Vallensis in Tract. de benef. L. III. Tit. 29. P. Oberhauser Præl. can. de renunc. §. 14. Van-Espen, l. c.

(*i*) Effectus renuntiationis puræ simplicis ac legitimæ is est, ut cesset vinculum spirituale inter Ecclesiam & renuntiantem, idemque totum suum Jus amittat; & hinc 1. beneficii resignati fructus percipere nequeat, 2. teneatur

ad restitutionem fructuum, quos admissa renunciatione percepit, 3. faciat vacare beneficium nova provisione supplendum. Vid. Caus. VII. Q. I. Can. 19. & 23. Cap. 12. & 14. de renunc. cap. 6. de refer. in 6.

* Patet renunciatione conditionata secundum naturam conditionis non tolli jus in beneficio, donec conditio eveniat. vid. l. 213. ff. de V. S.

(*k*) Ut quis igitur ad beneficium a se resignatum regredi queat, opus est vel *restitutione in integrum* vel *novo titulo & collatione*, quæ tamen non obtinere poterit, si beneficium auctoritate juris aut judicis cedi debuit, aut saltem ob crimen admissum ante sententiam resignatio facta. Vid. cap. 2. 3. 11. de renunciat.

§. 452. Cum permutatio beneficiorum (§. 451. n. f.) tantum eatenus valere queat, quatenus est *reciproca beneficiorum* RESIGNATIO *in utriusque favorem ea* lege facta, ut alter in alterius beneficium justa de causa & authoritate superioris TRANSFERATUR, facile innotescit in permutatione beneficiorum occurrere duplicem formam; quarum altera in *mutua resignatione* (*a*) altera in *mutua translatione* consistit, & hinc ad permutationem requiri 1. justam probatamque causam, quæ in necessitate ac utilitate Ecclesiæ fundatur, (*b*) 2. authoritatem superioris (*c*), 3. consensum eorum, quorum interest, (*d*) 4. ut permutantes in beneficiis permutandis jus *in re* vel saltem *ad rem* habeant, (*e*) 5. ut absint quæstuosæ pactiones, (*f*) sed & manifestum est, quod, si permutatio effectum non sortiatur, libere beneficiati priora sua beneficia retinere possint (*g*).

(*a*) Hinc dicitur *resignatio ex causa permutationis* (§. 451. n. c.)

(*b*) Vid. Caus. VIII. Q. I. c. 31. 32. 34. 35.

(*c*) Jus Decretalium auctoritatem adprobandi (permutationes de quibuscumque Beneficiis juri diœcesano subjectis tribuit Episcopo vi Jurisdictionis ordinariæ ita, ut si bonum commune exigat, etiam invitos ad permutanda beneficia cogere queat. Imo in diversis diœcesibus utriusque ordinarii auctoritate beneficia permutari possunt. Vid. Cap. un. de rer. permut. in 6. & conf. Arnold. Corvin. de Person. Eccles. L. I. Tit. XIV. n. 5.

* Non quidem sufficiet authoritas ordinarii de hodierna praxi ad permutationem beneficii, cujus collatio singulari jure Pontifici reservata est. Verum id non obstabit, quominus Episcopus admittat permutationem beneficiorum non adtento jure tertii, cui expectativa Papalis ad beneficium proxime vacans obtigit. Cap. un. de rer. permut. in 6. Porro notandum; etsi resignatio in favorem tertii sit reservata summo Pontifici (§. 451. n. h.) non tamen eidem reservatam quoque esse resignationem ex causa permutationis, cum sub hac non ita lateat imago *hæreditariæ successionis*, & præterea interpretatio reservatorum alioqui strictior esse debeat. Cl. Schrodt L. III. Decret. Tit. XIX. §. 389.

** Novimus quidem collationem beneficiorum etiam inferioribus Prælatis & collatoribus variis titulis competere posse; verum novimus quoque *authorizationem* Episcopo debere semper manere salvam (§. 443. n. 2.) quapropter authorizatio permutationis quam maxime dependet ab Episcopo, cum hic non tantum agatur de potestate beneficiatum *instituendi*, sed etiam *destituendi*, quod inferioribus collatoribus ordinario non competit. Conf. Joan. Chokier Tract. de permut. benef. num. 7. Van-Espen, P. II. Tit. XXXV. c. 4.

*** Episcopus vel simpliciter debet rejicere permutationem, si non juste petita est, vel si juste petitam acceptavit, tenetur ad beneficium alterius alteri conferendum, quandoquidem permutantes non *absolute* sed *conditionate* resignant. Vid. cap. 5. & 9. de rer. permut. cap. un. eod. in 6. Clem. un. eod. cap. 10. de Transact.

**** Permutationes præbendarum privato partium ausu factæ non tantum irritæ sunt, sed etiam secumferunt pœnam privationis cum excommunicatione, si non simplicitas permutantis veniam mereatur. Vid. Cap. 7. & 8. de rer. permut. & Extravag. 2. de Simon. inter com.

(*d*) Hinc requiritur consensus *Patroni* in beneficiis Patronatis, & *Capituli* in beneficiis electivis, & *Principis* in beneficiis nominationi Regiæ subjectis.

* Episcopus facilius consensum Patroni Ecclesiastici, quam laici supplere potest. Conf. Van-Espen, l. c. §. 26. & 27.

(*e*) Conf. Boekn Tit. de rer. permut. n. 5. Ea de causa nullus locus est permutationi 1. in beneficiis litigiosis (§. 451. n. e.) 2. in beneficiis simoniace vel alias sine canonico titulo obtentis, Panorm. ad cap. 6. de except. 3. in beneficiis incompatibilibus primi generis. §. 439. n. k.)

(*f*) Veluti pactum de compensandis pretio temporali reditibus pinguioribus, in uno beneficio relictis, arg. c. ult. de pactis. Atque ideo remedium l. 2. c. de rescind. vend. adcommodati

dari nequit permutationi beneficiorum Ecclesiasticorum, quamvis fraude alterius decepto jura subveniant. Covarruv. l. 1. var. resol. Cap. 5. n. 9. & Cap. 7. n. 8. Neque obstat cap. 6. de rer. permut., ubi agitur de permutatione *duarum Ecclesiarum conventualium*, & cum una magis abundaret possessionibus & proventibus; non inhibetur, quo minus exæquatio per pecuniam *authoritate superioris* fiat.

(*g*) Docent complures, quod, si alter resignare recuset, permutare volens ad beneficium ex causa permutationis resignatum propria tamen authoritate redire nequeat, sed superioris authoritate novaque collatione indigeat. (conf. Panormit. ad cap. penult. de rer. permut. n. 8.) ea ex ratione, quod beneficium ita resignatum vere vacet & conditio permutationi inhærens *si & alter permutans resignet* non sit *suspensiva* sed *resolutiva*, quæ subinde non impedit, quo minus resignatio suum effectum habeat, & in alterum transferatur jus, licet restituendum læso per judicem, argum. l. 1. §. 4. ff. de permutat. Clariss. Schrodt. loc. cit. §. 393.

§. 453. Ut autem beneficiis, sive ea per renunciationem sive morte possessoris sive alia demum ratione vacaverint (§. 457. n. a.) & mature & debito modo provideatur, sanxerunt Canones I. ne cathedralis aut regularis Ecclesia ultra tres menses maneat viduata (*a*) alia vero beneficia inferioris ordinis intra sex menses (*b*) nisi quod in beneficiis juris Patronatus laici quadrimestre sufficere visum sit (§. 445. n. k.), II. Prælati negligentes (*c*) qui scilicet aut non intra justum tempus aut non debito modo (*d*) beneficiis providebant, jus suum ea vice amittant, idque ad superiorem in ordine hierarchico proximum (*e*) devolvatur (*f*), qui igitur negligentiam supplendam, atque beneficium devolutum sub iisdem obligationibus, quibus tenebantur is, a quo facta est devolutio; (*g*) conferendum habet (*h*).

(*a*) Dist. LXXV. Can. 2. & cap. 41. de elect. (§. 313. n. b.)

(*b*) Cap. 2. & 12. de Præb.

(*c*) Prælati hoc loco non accipiuntur in sensu stricto, scilicet pro iis, qui dignitate & jurisdictione contentiosa gaudent, sed in sensu latiori pro iis, quicumque Ecclesiastica jurisdictione & superioritate sunt præditi. Conf. Andreas Vallensis in Paratitl. Jur. Can. Tit. de supplenda neglig. Prælat.

* Quemadmodum negligentia in genere est *omissio ejus, quod quis de jure vel consuetudine ratione sui muneris facere debet*, Caus. VII. Q. II. Can. 5. ita Prælati non tantum 1. in *providendo*, sed etiam, 2. in corrigendo, ac, 3. in *administranda justitia* negligentes esse queunt; atque de hac negligentia in libro sequenti, ubi de jurisdictione Ecclesiastica agemus, erit dicendi locus.

(*d*) Scilicet ad vacans beneficium scienter indignum vocando. Enimvero recte Pontifex ait in cap. 2. de translat. Episc. *juxta communem modum loquendi illam dici Ecclesiam viduatam, quæ licet Episcopum habeat, inutilem tamen perhibetur habere*; vid. caus. II. Q. VII. can. 29. & cap. 2. de supplenda negligentia.

(*e*) Est igitur Jus devolutionis *translatio juris providendi pro ea vice amissi in superiorem, vel eum qui huic per jus habet, ob negligentiam in eligendo, conferendo, providendo commissam*.

* Cum Jus devolutionis supponat negligentiam, patet I. requiri scientiam vacationis, & a die notitiæ computari debere tempus legale, idque igitur ratione initii esse utile, quamvis in progressu sit *continuum*, seu *de momento in momentum* currat. Ceterum ex nota vacatione in loco aut Ecclesia beneficii præsumitur in collatore notitia, nisi aliunde ignorantia probetur, vid. cap. 3. de supplend. neglig. 5. de concess. Præb. Clem. un. eod. & conf. Garcias de benef. P. X. cap. 1. n. 20. Van-Espen; P. II. Tit. XXI. cap. 5. §. 5. Ex eodem axiomate patet II. cessare jus devolutionis ob impedimentum, quod removeri nequit, & probari potest, seu sit *facti*, si scilicet ineluctabilis necessitas obstet, seu *Juris*, si hi, ad quos provisio pertinet, citra suam culpam forte suspensi fuerint. Vid. Dist. LXXV. can. 5. cap. 5. de concess. Præb. Neque obstat cap. 22. & 27. de Jure Patron. (§. 445. n. k.) cum a jure litigioso Patronatus ad jus eligendi litigiosum deficiente expressa lege conclusio fieri nequeat. Conf. Cl. Schrodt §. 416.

** Singulare tamen est, quod si collatio spectet *tantummodo ad Episcopum*, hoc negligente illa ad capitulum devolvatur. Vid. Cap. 2. de concess. Præb. & Eccles. non vac. Cujus ratio igitur nequaquam in superioritate capituli, sed in arctiore communione Capituli, qua senatus cum Episcopo, est quærenda. Conf. Cl. Schrodt l. c. §. 420. Excipiuntur tamen duo casus; videlicet I. quando collatio spectat ad Episcopum jure speciali, quo casu devolutio fit ad superiorem, II. quando Episcopus immediate paret Romano Pontifici, atque igitur ad hunc solum devolutio fieri potest. Rebuffus in praxi Tit. de devol. n. 21. Ceterum nullum dubium est, quod si collatio spe-

spectet *tantummodo ad capitulum*, eo negligente ad Episcopum collatio devolvatur; Imo quamvis *Episcopus tanquam canonicus simul cum Capitulo* negligens fuerit; si modo id non malitiose fecerit, jure devolutionis uti poterit, cap. 15. de concess. Praeb. quo eodem capitulo deciditur, *si id tamen malitiose fecerit, aut si ceterum collatio ad Episcopum qua talem & capitulum conjunctim pertineant*, & tam ille quam hoc negligens fuerit, ad Metropolitam collatio devolvatur. Conf. Gonzalez ad cap. cit. 2. & 15.

*** Solum reservatio, si ea est recepta, aut recepta exemtio efficiunt, ut devolutio etiam ab inferioribus statim ad Romanum Pontificem fiat, si non porro in casibus a jure expressis Episcopus tanquam *sedis Apostolicae delegatus* praevaleat. Et quemadmodum ab uno reservato non ad aliud diversum concludi potest, ita nec Jus confirmandi Episcopos Pontifici reservatum adeo valebit, ut propterea Metropolitano jus supplendi negligentiam suorum suffraganeorum sit ademtum. Id sane non nisi Juris Ecclesiastici ignorantissimus aut corruptelis pro legibus se tutum existimans affirmaret.

(*f*) Ob hanc executionem ab ipsa lege decretam, post lapsum temporis praefixi ipso jure providendi collatores sunt privati; atque igitur nec valida electio aut collatio ab iis fieri potest, nec mora purgari, nisi superior negligentiam remiserit; sententiaque super devolutione controversa non *privatoria* sed *declaratoria* esset, cap. 2. 4. & 5. de suppl. neglig. Neque obstat argumentum deductum ex cap. 18. pr. de sentent. excomm. in 6. quod poena privationis ipso jure locum haud habeat, nisi ex verbis legis hoc colligi possit. Enimvero sufficiunt verba in cap. 2. & 5. de suppl. negl. *ex tunc tibi liceat appellatione remota in eisdem ordinare Rectores — Electio post elapsum* IRRITA & INANIS, quae omnia profecto vim latae sententiae complectuntur (§. 242. n. f.)

(*g*) Surrogatur enim devolutio in locum prioris provisionis neglectae. Conf. Leurenius in foro benef. P. II. Q. 743.

(*h*) Aliquando negligentiam Praelati supplet ipsum jus, actum scilicet omissum pro *facto* habens. Vid. c. 1. de suppl. neglig.

C A P U T XVIII.

De Decimis, & Oblationibus,

§. 454. Post illa, quae in Jure publico Ecclesiastico (§. 126.) de praecepto veteris testamenti circa decimas; (*a*) easque solvendi more dein etiam ad Christianos & quidem primum exhortationibus Patrum translato, (*b*) mox autem consuetudine, magisque Principum (*c*) quam Ecclesiae constitutionibus, (*d*) firmato dici debebant, (*e*) nunc in jure Ecclesiastico privato restat inquirendum I. in divisiones decimarum, II. quibus in regula praestandae sint, III. quibus modis etiam alii jus decimandi adquirere possint. IV. Ex quibus rebus, & V. qua forma solvendae decimae, VI. quae remedia contra solvere recusantes, VII. quibus denique modis onus decimas solvendi queat removeri (*f*).

(*a*) Conf. Spencer. de leg. Ebr. ritual. L. III. Differ. I. cap. X. Hottinger de decim. Jud. Selden. histor. dec. in linguam latinam translata a Joann. Clerico cum adjecto comment. ad Pentateuch.

* De decimis ante Moysis legem nonnumquam praestitis, vid. Genesis XIV. 8. XXVIII. 22. &c.

(*b*) Vid. Hur. in cap. 3. Malach. S. Chrysost. hom. V. in Ep. ad Ephes. S. August. in enarrat. ad Psal. 146. can. 4. Conf. Christ. Luppus, Tom. Schol. in can. pag. 195.

(*c*) Conf. Baluz. de Capitul. Reg. Franc. T. II col. 197. 254. 267. 330. 357.

(*d*) Prima lex Ecclesiastica, qua clarius atque certius expressa, & quidem sub poena separationis a membris Ecclesiae injuncta fuit obligatio solvendi decimas, est can. 5. synod. Matiscon. II. sec. VI. sane in conciliis sec. VI. nulla fit mentio decimarum. Et quae de iis adferuntur ex concilio Romano sub Damaso anno 382. sublestae fidei sunt; veluti etiam spuriae sunt constitutiones Apost. L. IV. cap. 25. 27. 29. 35. & L. VIII. cap. 30. Ceterum haec loca, pius SS. Patrum zelus, & ambiguae quorumdam conciliorum phrases occasionem & authoritatem dedere non tantum introductioni decimarum, sed & doctrinae: praestationem decimarum jure divino praeceptam atque foro Ecclesiastico subjectam esse. Conf. Cl. de Riegger L. III. Decret. §. 463. 467. & 468. ubi quidem etiam ad stabiliendam opinionem: *decimas de jure communi ubique esse praestandas. S. Raymundum a Pennaforti decreta & rescripta Pontificum* MUTILANDO multum authoritatis contulisse, ad documenta Cl. Van-Espen provocans asseverat, l. c. §. 468.

* Distinguunt aliqui inter decimas *materialiter*

liter & *Formaliter* acceptas; *materialiter* videlicet acceptas ajunt esse necessariam Clericorum sustentationem, eamque certe ex jure divino, imo naturali descendere; *formaliter* vero sumtas nominant ipsam quotam, & hanc juris humani esse admittunt. Sed inutilis omnino distinctio & terminorum multiplicatio. Enimvero, dum de decimis sermo est, præcise determinatam præstationis quantitatem intelligimus, seu *portionem proventuum* lege *determinatam a domino proventuum præstandam illis, qui jus habent eas exigendi*: neque de obligatione congruam sustentationem ministris Ecclesiæ procurandi ullum dubium suboritur (§. 123. n. b.)

(*e*) Reflecte mentem ad id, quod supra (§. 397. n. a.) unum nobis causæ esse diximus, cur huic quoque materiæ, veluti aliis civilibus, non in jure consistoriali locum assignaverimus.

(*f*) Videlicet, cum sit causa Jurisdictioni Imperantis civilis subjecta, nitatur legibus civilibus, iisque possit circumscribi.

§. 455. Decimæ cumprimis dividuntur 1. in Ecclesiasticas & seculares (*a*), 2. in reales & personales (*b*), 3. in veteres & novales (*c*).

(*a*) Ecclesiasticæ sunt, quas exigendi jus Clericis propter ministerium spirituale competit; *seculares*, quæ sicut res aliæ aliaque jura patrimonium cujusvis augent, & jure proprietatis exiguntur. Imo decimas tributorum aut aliarum præstationum instar a Principibus prætendi posse nullum dubium est. I. Reg. VIII. 15. 17. dicebantur subinde hujusmodi decimæ *regales*, *dominicales*, *indominicatæ*, *salicæ*, sunt autem decimæ tam *Ecclesiasticæ* quam *laicæ* vel *originetenus tales*, vel *ex post facto*: cum scilicet decimæ laicales subinde in clericos; Ecclesiasticæ subinde in laicos translatæ sint. Conf. Rud. Will. de diff. decim. Eccles. & secul.

* Decimæ Ecclesiasticæ in laicos translatæ sunt

1. Per ipsos Principes civiles, qui ob necessitates publicas prædia Ecclesiastica & decimas tanquam beneficia militibus, utpote simul pro defensione Ecclesiarum certantibus, distribuebant. Atque id jure regio (§. 125. not. a.) quapropter indulta Pontificum aut sponte oblata; aut ex rationibus status aut nonnunquam in temporibus ignorantiæ postulata sunt. Conf. Petrus de Marca in not. ad Concil. Claromont. ad can. VII. de Carolo Martello, sed vide etiam, si placet lepidam fabulam, quam Correctores Romani in Caus. XVI. Q. I. Can. 59. de hujus Caroli damnatione adjecerunt. Conf. Cl. de Riegger l. c. §. 471. Gonzalez ad cap. 19. de decimis.

2. Per Episcopos, ut vel potentiores arctiori vasallorum vinculo sibi obstringerent, vel ut pacem redimerent, vel ut suæ in consanguineos affectioni satisfacerent, vid. Caus. XVI. Q. VII. Can. 3. Cl. de Riegger l. c.

3. Jure census, quo sibi potentiores ex capellis, oratoriis aut Ecclesiis a se extructis decimas reservabant. Vid. Concil. Meldens. c. 75. confluent. can. 5. apud Harduin. Tom. IV. Col. 1499. T. VI. p. I. Col. 561.

4. Nobilium rapacitate; vid. Concil. Troslejan. c. 6. ap. Harduin. Col. 519.

** Stabilito axiomate: *omnes sine discrimine decimas de jure divino clericis deberi*, creditum est, eas omnes, quas laici possidebant, meras usurpationes esse. Et cumprimis anxios reddidit animos Concil. Lateranense III. in cujus can. 14. (qui refertur in cap. 19. de decimis, decretum est: *ne laici decimam cum animarum periculo detinentes in alios laicos possint aliquo modo transferre: si qui vero receperit, & non reddiderit, christiana sepultura privetur*. Interpretes quidem, cum concilium non *expresse* injungeret restitutionem decimarum hactenus a laicis legitimo titulo possessarum, eam stabilivere doctrinam, laicis generatim a concilio Lateranensi relictas fuisse decimas eo usque possessas, dummodo novas posthac nec invaderent ipsi, nec ab Episcopis acciperent. Cap. 25. de decimis cap. 2. eod. in 6. I. feud. 6. pr. Verum multi *fulminibus Pontificiis jam obruti* ut ait Cl. de Riegger l. cit. *& novissime concilii lateranensis auctoritate perterriti, sicut alia bona, ita & decimas suas, sive jure, sive injuria adquisitas, operibus piis, fundandis præsertim & dotandis monasteriis & canonicorum Ecclesiis, impendere cœperunt. Inde enim & æternam nominis sui memoriam, & peccatorum omnium remissionem obtinuisse, adeoque non sine commodo majori decimas restituisse sibi videbantur*. Complures quidem synodi videntes, quod decimæ hac ratione non iis, quibus abreptæ sint, restituantur, statuerunt, *ut monasteria sine consensu Episcopi decimas accipere nequeant*. Attamen ipsi Episcopi & Romani Pontifices sua facilitate id statutum neglexere, & hac igitur facilitate ac liberalitate laicorum ad monasteria & capitula decimæ plurimarum Ecclesiarum transiere. Pertinent huc cap. 3. de privil. Concil. Lat. sub Innocentio III. Can. 61. Cap. 7. de his, quæ fiu. a præl.

(*b*) *Reales* seu *prædiales* sunt, quæ ex fructibus præsertim seu rusticorum sive etiam urbanorum colliguntur, atque porro in *majores* & *minores* dividuntur. Inde *magna & parva Decima in Pago & in Campo*. Quæ divisio diversas controversias, num hæ illæve fruges ad unam alteramve speciem sint referen-

rendæ, atque igitur quam plurimas lites progeneravit. Vid. Cap. 20. 23. & 30. de decimis. *Personales* dicuntur, quæ detrahuntur a lucro, quod ex propria cujusque opera immediate comparatur. Etenim ut ait Cl. de Riegger l. cit. §. 469. *decimarum usu & jure semel recepto, ultra limites in legislatione mosaica positos, quæ decimas tantum ex* OMNIS GENERIS FRUCTIBUS *terræ & animalibus præstandas esse præcepit, novum genus decimarum invaluit, quod sub nomine* PERSONALIUM *comparuit, atque negotiatione, de ipsa etiam militia, de veneratione, & de omnibus bonis Ecclesiæ ministris juxta* TRADITIONEM S. S. PATRUM *tribuenda esse* CÆLESTINUS *III. spurio innixus fundamento rescripsit.*

* Decimæ personales nunc in multis locis sunt insolitæ, atque in eas jura stolæ substituta videntur. *Quare autem adhortari deceat christianos, ut etiam personales decimas Clero conferant, non video*, recte ait Cl. de Riegger l. c. §. 478.

(*e*) *Veteres decimæ* sunt, quæ ex fundis semper cultis exiguntur.

Novales, quæ exiguntur de agris novalibus.

* Accipitur ager novalis

I. in sensu latissimo pro *terra proscissa*, quæ vitium novandarum causa anno cessavit. l. 30. §. 2. de V. S.

II. In sensu latiori pro agro, cujus cultura mutatur, veluti, si prius frumentum tulit, nunc sit pratum vel vinea. Cl. de Riegger loc. cit. §. 479.

III. In sensu strictiori pro agro, qui longa annorum serie cultura carebat, nunc autem de novo ad eandem redigitur. Cl. de Riegger loc. cit.

IV. In sensu strictissimo pro agro nunc demum coli cœpto, de quo non extat memoria quod aliquando cultus fuisset. Cap. 21. de V. S.

** Pro interpretatione novalium hasce nota regulas. I. Si facienda interpretatio juri communi contraria, oportet nos facere interpretationem novalium strictissimam, II. Si autem latius eas interpretando propius ad jus commune accedimus, interpretatio latior præferenda erit. Cl. de Riegger l. c.

§. 456. Ut cognoscatur; quibus Jus decimas exigendi competat, inquirendum I. an non adsit beneficiatus aliquis, qui eas pro suis alimentis assignatas habet. Enimvero talem hac in parte primum fore, non difficulter intelligitur (*a*) sed & II. sponte sua consequitur, ut tali deficiente, atque in regula; ad parochum intra limites suæ parochiæ jus decimandi pertineat (§. 236.) quemadmodum etiam intentio populi decimas offerentis, & antiqui canones, & jus commune parochis suffragantur (*b*). Neque parochis hoc in jure præferuntur Episcopi, utpote qui III. tantum 1. ceu parochi Ecclesiæ cathedralis ad decimas eandem parochiam adtinentes, 2. ad aliarum in Diœcesi decimarum partem quartam, 3. ad decimas quidem omnes illorum locorum, quæ non in certa quadam parochia, attamen intra limites diœcesis comprehenduntur, de jure communi admittuntur, atque adeo, 4. ad decimas universe percipiendas iisdem indigent titulis, quibus decimatores alii de jure muniti esse debent (*c*).

(*a*) Videlicet erectis beneficiorum titulis plerumque cum aliis proventibus etiam certa decimarum portio beneficiatis in sustentationem assignata fuit. (§. 399. n. 2.)

(*b*) Vid. Cauf. XVI. Q. I. Can. 42. Cap. 29. & 30. de decim. Cap. 2. de rest. spol. in 6.

* Dubium, an in parochia, ubi quis sacramenta recipit, an ubi terræ sitæ sunt, decimæ præstari debeant, Glossographus ad cap. 18. de decimis ita solvit, ut *decimas personales* affirmaret reddendas esse parochiæ, a qua spiritualia ministrantur, *prædiales* vero ibi, ubi sunt prædia. Atque hanc distinctionem & jus recepit & consuetudo firmavit. Vid. cap. 2. de restit. spol. in 6. Quod ad decimas *animalium* adtinet, præstandæ illæ sunt ibi, ubi animalia continuo pascuntur, & quidem si in duabus pascantur parochiis, æquum est, ut dividantur juxta Gloss. ad c. 20. de decim. sed tamen in hisce omnibus plurimum ad consuetudinem est respiciendum. Vid. cauf. XVI. Q. I. Can. 10. 13. 20. 29. de dec. Cap. ult. in fin. de Paroch.

** Quantumvis alius adquisierit jus colligendi decimas, manet tamen parocho salvum Jus ad decimas *novales strictissime sic dictas* (§. 455. n. c.) Cap. 29. de decim. Si non alter rationabilem causam ostendat decimas etiam novales colligendi, cap. 30. eod. cap. 2. §. fin. eod. in 6. circa *Novalia* autem *latius sic dicta* adtendendum, an decimæ ex certo genere fructuum, an ex certis fundis cuidam præter parochum debeantur. Etenim si ex certo fructuum genere, tunc *mutatio culturæ* mutat quoque decimatorem, secus si ex certis fundis. Sed etiam in illo casu, si culturæ mutatio

tio nimis gravaret parochum, eidem compensatio facienda esset. Vid. cap. 9. de decim. cap. 2. §. 2. eod. in 6.

(*c*) Cum dominium eminens in res temporales nequaquam ita in Ecclesiastico uti in civili regimine comprehendatur, minime Episcopis in hoc quidem sensu quoddam jus eminens in decimas totius Diœcesis tribui potest. Verum quatenus jura a civili imperio stabilita Episcopis census atque exactiones de rebus Ecclesiasticis pro necessitate ac utilitate Ecclesiæ admittunt, eatenus, si non expressa contraria voluntas aut ceteroquí rationabilis obsistat causa, eadem jura ad decimas quoque extendi poterunt. Vid. Cap. 16. de offic. jud. ord. Cap. 3. Præscr. Cap. 13. 29. & 31. de decim. Gonzalez ad cap. 13. eod.

* Quarta illa Episcopalis in plerisque diœcesibus vel ex consuetudine vel præscriptione vel ultronea Episcoporum cessione non obtinet. Conf. Frider. in Q. can. de dec. pag. 156. n. 339. Cl. de Riegger. l. c. §. 484.

§. 457. Modi, quibus jus decimandi etiam aliis personis & communitatibus seu Ecclesiasticis sive secularibus adquiri potest, sunt I. Privilegium (*a*) II. præscriptio & consuetudo (*b*) III. conventio (*c*).

(*a*) Planum est, de jure Decretalium iisque inhærentium interpretum sententia, intelligi Privilegium Pontificium, & ita quidem, ut, si concedatur laicis, aut his tantum tribui queat jus decimarum *secundarium*, *utile*, & *procuratorium* manente penes Ecclesiam jure *directo & radicali*; aut decimas in mere laicales convertendo *omnis spiritualitas* extinguatur. Vid. Cap. 17. 39. seq. de decim. Cap. 2. de Præb. in 6. Cap. 7. de præscript. Caus. XVI. Q. VII. Can. 1. Verum nos superius (§. 126.) meliora edocti in causa temporali & rempublicam concernente substituimus Privilegium summi Principis, ad quem etiam parochus indultu populi gravatus recursum sumere poterit (§. 111.).

* Privilegium percipiendi decimas intra limites alicujus parochiæ, cuidam sine *novalium* mentione concessum, parocho relinquit salvas etiam late sic dictas novales (§. 455. n. c.) c. 21. de V. S. Et id quidem verum est non tantum si laicus tali privilegio gaudeat, Cap. 7. de his, quæ fiu. a Præl. Cap. 2. in fin. de decimis in 6. sed etiam si persona vel communitas Ecclesiastica ejusmodi a quocumque obtinuerat, cum novalium Perceptio indulgentiam specialem requirat, cap. 2. eod. in 6.

(*b*) Circa præscriptionem hæc nota,

I. Ecclesiæ ac Ecclesiasticæ personæ jus decimandi æque ac alias res immobiles contra *privatum quemcumque* præsentem X. absentem XX. *cum titulo*, (l. 4. & l. fin. Cod. de long. temp. præscr.) *sine titulo* XXX. annorum spatio præscribunt, arg. l. 3. Cod. de præscript. 30. & 40. ann.

II. *Contra parochialem Ecclesiam* præscriptioni non nisi *quadragenariæ titulo munitæ* vel *immemorialis temporis* est locus, Cap. 1. de præscript. in 6.

III. *Contra aliam Ecclesiam*, quæ non specialiter privilegiata est, 40. annorum possessio etiam sine titulo sufficit. Vid. auth. quas action. Cod. de SS. Eccl. Cap. 4. 6. & 8. pr. de præscr.

* Cur & quatenus *laici decimas præscribere* nequeant, dictum supra §. 126. Adde ibidem dictis cap. 1. in fin. de præscr. in 6. l. 2. §. 1. ff. de aq. & aq. plur. arc. l. 1. §. fin. & ult. l. eod. l. 3. §. 4. ff. de aq. quotid. Neque igitur demonstrato tempore immemoriali opus erit præsumptione, quod laici immemoriali tempore decimis gaudentes eas legitimo privilegio vel ex infeudatione ante Concilium Lateranense (§. 455. n. a. **) nacti sint. Etenim fortior est præscriptio immemorialis, suumque fundamentum in jure habet, dum præsumtio veritati cedere deberet.

** Quæ de privilegio ad novalia non extendenda diximus, eadem ad præscriptionem pertinent. Cl. de Riegger l. c. §. 494.

(*c*) Reflecte mentem ad ea, quæ speciatim jam diximus de conventione §. 126. not. a. n. VII. 5. & 6.

§. 458. Decimæ præstandæ sunt de jure communi. I. *Reales* ex fructibus; seu proventibus rerum tam immobilium quam se moventium (*a*), II. *Personales*, ubi in usu sunt ex lucris omnibus, quæ *activa*, ut ajunt, ex opere, labore, studio, & humana industria vere ac juste colliguntur (*b*), III. Et quidem ratione suæ personæ ad decimarum solutionem tenentur omnes, qui in divinis parochi cujusdam curæ & directioni subjiciuntur (*c*) ratione rei autem omnes, ad quos prædia, fundi; aut saltem fructus pertinent (*d*).

(*a*) Non hic adtenditur, an res sint injuste adquisitæ. Enimvero injustitia non afficit decimas, quas ille, qui jus decimandi habet, omnino de jure ad se pertinentes (controversia de reliquo inter justum & injustum possessorem terminanda) semper justissime accipit.

(*b*) Ete-

(*b*) Etenim ex adquisitis titulo lucrativo, veluti donatione, successione, legato &c. decimæ personales propterea non debentur, quia hæc non sunt fructus rerum vel actionum humanarum, nec homo illa proprie adquirit, sed illa potius homini adquiruntur. Cl. de Riegger l.c. §. 496.

* In personalibus igitur etiam adtenditur, num adquisitio sit justa, ne Ecclesia injustas & turpes actiones adprobare videatur, Clariss. de Riegger l. c.

** Vid. cap. 4. seq. Cap. 21. seq. de dec.

*** Adtendenda tamen iterum iterumque consuetudo, cap. 30. & 32. de dec.

(*c*) Cap. 23. & 24. de decimis; adeoque ipsi etiam hæretici, non autem infideles & catechumeni, Cl. de Riegger l. c. §. 503.

(*d*) Cap. 4. 23. 24. 29. de dec. adeoque etiam infideles de fundis, qui a christianis possessoribus ad ipsos pervenere, cap. 16. de dec.

* Cum decimæ sint onus fructuum, facile patet, num a *locatore* num a *conductore* præstari debeant. Vid. cap. 8. de dec. Patet etiam inde, si divisos habeant fructus, veluti coloni *partiarii* seu *mediarii*, pro parte æquali vel inæquali etiam onus decimarum dividendum esse. Cap. 24. 26. de dec.

** *De pauperibus*, ait Cl. de Riegger l. c. *ii recte existimant, qui clericos admonent, ut manu sinistra ab iis decimas recipiant, & manu dextra eas iterum elargiantur, tanquam quæ aliis tributa animarum egentium dicuntur*. Cauf. XVI. Qu. I. Can. fin. Et sane melius erit iis, ad quos inspectio rerum Ecclesiarum pertinet, simpliciter denunciare decimarum solutioni obsistentes, ut illi ipsi ex officio prospiciant, ne quid Ecclesiis decedat, quam in forma & strepitu forensi litigare cum iis, quorum animas curandas facilius curabit parochus a litibus propter temporalia remotus ad exemplum Pauli Apostoli (§. 433. n. d.*).

*** Illud *Clericus clericum non decimet*, deductum ex c. 2. de dec. ita intelligendum est, ut clerico jus nullum competat decimandi alium clericum ex bonis clericalibus seu beneficialibus seu clericalibus in specie. De bonis itaque civilibus, vel antecedenter jam onere decimas dandi gravatis etiam Clericum Clericus decimare poterit. Cl. de Riegger l. cit. §. 504.

459. Forma solvendarum deimarum observabitur ab eo, qui eas 1. debita quantitate (*a*), 2. debito loco (*b*), 3. debito tempore (*c*), 4. debito modo (*d*) persolvit.

(*a*) In dubio *decima absolute pars* debetur. Cl. de Riegger, l. c. §. 489.

(*b*) Commune hoc est, ut fructibus a solo separatis & in manipulos conjectis decimus quivis colligatur per decimatores, penes quos arbitrium est, a quo manipulo numerandi initium facere velint.

* Ubi consuetudo viget fruges decimandi in horreo vel granis jam excussis, ibi tantummodo colonorum sumtibus decimæ ex campo transferendæ sunt; ceterum vero falsissimum est possessores prædiorum suis expensis obligari ad decimas inferendas parocho, qui utique post separationem fructuum suas sibi decimas seligere tenetur, & iis selectis statim sine traditione earum dominium consequitur, proinde res suas sine ulteriori alterius incommodo ipse inferre debet. Neque universe verum est, quod debitor suis sumtibus teneatur efficere, ut res debita ad creditorem transeat. Conf. Boekn ad Tit. de Dec. num. 62.

(*c*) *Prædiales* absque mora solvi debent, postquam fructus separati & collecti sunt, c. 7. de dec.

Personales censuum aliorum more sub anni cujuscumque finem.

Animales, quando fœtus sine matre vivere potest.

* Cum personales, ubi vigent, & plerumque etiam animales a decimatoribus aut prorsus non aut difficulter resciri queant, patet, etsi non exigantur, præstari debere. Cl. de Riegger l. c. §. 500.

** Quamquam vero *Successor universalis*, sicuti *in omnia jura & obligationes defuncti testatoris*, ita etiam in ejusdem obligationem debitas decimas præstandi succedit; *Successor* tamen *singularis* non obligatur, ut præstet decimas ab antecessore non solutas, cum eæ immediate fructibus, & fundo solum mediate seu ratione fructuum inhæreant. Vid. cap. 24. 26. 28. 33. de Dec. Neque obstat c. 33. eod. ubi decimæ dicuntur *tributa egentium animarum*, quod maxime iis, qui decimas percipiunt, dictum est, scilicet, ut inde pauperibus partem aliquam largiantur. Demus autem, eum, qui obligationi solvendarum decimarum subjicitur, ipsa decimarum solutione ad hæc tributa pauperum conferre debere. Quid hoc ad successorem singularem? Ita sane quisque singularis Successor ad omnia teneretur, ad quæ tenebatur antecessor. Vid. l. 7. ff. Publie. & vectig. lib. 5. §. fin. ff. de cens. l. pen. & ult. c. fine censu vel relig.

(*d*) Generatim sancitum est, ut decimæ fideliter præstentur, Cauf. XVI. Q. VII. Can. 4. & quidem

Prædiales in natura. L. 2. §. 1. ff. de R. D. quin deducantur expensæ in culturam prædiorum factæ, Cap. 26. 28. 33. de dec.

Per-

Personales, ubi vigent, non nisi ex lucro, atque igitur instituto prius expensarum calculo solvuntur. Vid. cit. cap. 28. & lib. 30. ff. pro sæc.

* Solum immemoriale tempus, per quod continuo decimarum loco pecunia, aut quidquam aliud solvebatur, obstare docet Cl. de Riegger, l. c. §. 502. quominus posthac illæ in natura vindicari queant.

** Vid. Conc. Trid. sess. XXV. Cap. 12. de Ref.

(§. 460. Decimatoribus tam Ecclesiasticis quam laicis ad obtinendam a refractariis decimarum solutionem hæc dantur juris remedia, ut I. quando agitur de ipsis fructibus, ii 1. si a reliquo cumulo jam separati, atque ita decimatori jam assignati sunt, *rei vindicatione* (*a*), 2. si vero nondum sunt separati, & assignati, *condictione ex canone* (*b*) peti queant. II. Quando agitur de jure decimandi, actiones servitutibus communes institui possint. (*c*) III. Quando sermo est de possessorio; *interdictum adipiscendæ* (*d*) vel *interdictum retinendæ*, *uti possidetis*, vel *interdictum unde vi* (*e*) locum habeant.

(*a*) Cum rei traditionem suppleat. Caus. XVI. Q. I. Can. 3. atque hinc decimatori illico dominium adquiritur.

(*b*) Arg. l. un. ff. de condict. ex leg. quæ in rem scripta esse videtur. Cap. 28. 33. de Dec.

(*c*) Scilicet *confessoria & negatoria utilis*, cum propriæ actiones a canonibus non suppeditentur, l. 41. ff. de O. & A. Cap. 1. & 2. de N. O. N.

(*d*) Adlegando titulum possessioni transferendæ idoneum.

(*e*) Cap. 18. de restit. spol. Caus. III. Can. *redintegrandæ*, l. 1. ff. de vi & vi arm.

* Concludunt ex cap. 2. de restit. spol. in 6. quod laicus vel alius clericus spoliatus a parocho, & agens in erdicto *unde vi* ad recuperandam quasi possessionem decimarum non sit restituendus, sed ante restitutionem possessionis & justi tituli probationem facere debeat, sed hujus theoriæ usum practicum in dubium vocat Cl. de Riegger loc. cit. §. 512.

** Quantumvis Concilium Trident. sess. XXV. Cap. 12. de reform. Inter media decimas consequendi etiam censuras contra *refractarios* aut *impedientes* statuat, dictum tamen de hoc jam fuit supra §. 126. VII. 8.

*** Ex iisdem quoque, quæ §. 116. & §. 126. VII. 7. retulimus, judicem in causa decimarum competentem jam intelleximus.

§. 461. Onus decimas solvendi tollitur, (*a*) 1. privilegio (*b*), 2. præscriptione (*c*), 3. consuetudine (*d*), 4. conventione (*e*).

(*a*) Liberamur ab onere decimarum iisdem fere modis, quibus jus decimandi adquirimus. Cap. 10. 11. 24. de Dec.

(*b*) Si Decretalibus earumque *in illo tempore* interpretibus adtendas, etiam hoc privilegium denuo a solo Pontifice dependet. Vid. Cap. 3. & 10. de Decim. Cap. 2 de Prob. in 6. Enimvero Episcopos in jure communi extra casus specialiter concessos dispensare posse iisdem illis interpretibus tam parum cognitum erat, ac omne illud, quod Episcopi vi potestatis immediate a Deo & æqualiter sibi traditæ possunt. Vid. Caus. XXV. Q. II. Can. 7. cap. 13. de temp. ordin. Quanto minus itaque summo Principi hac in parte tribuant, vel illis tacentibus, quamquam scribant plurima, colligi potest. Verum nos non *doctrinas & mandata hominum* illius ævi, & *dissensiones ac offendicula præter doctrinam*, quam ex fontibus demonstratis didicimus, *docentes*, cum Cl. Riegger §. 505. dicimus, *ab Imperantis civilis arbitrio dependere*, *qua ratione congruam Ecclesiæ ministris sustentationem velit suppeditare*.

* Religiosos & Monachos, qui de jure ad decimas de terris suis solvendas certo tenentur (Vid. Caus. XVI. Q. I. Can. 6. cap. 4. de Dec.) hac in parte mox nimium ampla privilegia obtinuisse nos docet ibid. Can. 47. Nimium sane ampla, quia posthac ab Adriano IV. & Alexandro III. in Cap. 10. de Dec. ad certos tantum religiosos, nempe *Cistercienses*, *Templarios* & *Hospitalarios* restricta fuere. Sed *tanta*, ait Cl. de Riegger l. c. §. 516. *monachos invasit favores Pontificum ampliandi cupiditas*, *Cap.* 8. *&* 11. *de dec. ut in concilio Lateranensi sub Innocentio III. nova coarctatione opus fuerit*. — *Si immunitatis privilegia regularibus concessa, prouti corpori Juris inserta sunt, adtendimus*, pergit Cl. Vir §. 501. *sequitur* 1. *regulares omnes immunitatem a decimis habere ratione novalium*, *quæ propriis manibus*, *vel sumptibus excolunt*, *& de nutrimentis animalium suorum*, *& de hortis suis*, *cap.* 10. *h. t.* 23. 2. *Cistercienses*, *templarios & hospitalarios immunitate gaudere ratione omnium terrarum suarum*, *quas propriis manibus excolunt*. 3. *Ita tamen*, *ut novas non possint adquirere possessiones decimanas*, *viri pro fun-*

dandis recens monasteriis, & si in hanc etiam causam dentur, eas aliis colendas tradant, ut ex iis decimæ solvantur. Quod si nihilominus, 4. quas possessiones post Concilium Lateranense prædictum quocumque modo adquisierint, easque etiam suis manibus excoluerint, decimas solvere teneantur Cistercienses non tantum, sed & omnes similia obtinentes privilegia. Cap. 34. *h. t.*

** Quærunt interpretes, an indulta generali communicatione omnium privilegiorum cum exemtis etiam exemtio a solutione decimarum censeatur communicata. Negat Cl. Barthel, negat Cl. de Riegger, neque mihi affirmandi causas mens conscia canonum subtractioni decimarum cum primis obsistentium suppeditat. *Ceterum* ait Cl. de Riegger l. c. *plurima adhuc proferunt regulares posteriorum Pontificum privilegia, quibus amplior ipsis indulgetur a decimis exemptio.* BARBOSA *in Cap.* 10. *h. t.* TAMBURIN. *de jur. Abbat. Tom. I. Disp. V. quæst.* 18. *Sed præterquam, quod harum Constitutionum papalium receptio & usus facti quid sit, adeoque probari debeat, quotidie ejusmodi male privilegiatis objiciendum foret, quod iis dudum objecit sub nomine Richardi, Archiepiscopus Cantuariensis Archidiaconus Bathoniensis Petrus Blesens. ap. Van-Espen loc. cit.* §. 18. *seq. locus dignus, qui totus adscriberetur.* Adscripsi ego in §. 126. VII. 4.

(*c*) Quod immunitatem a solvendis decimis etiam præscriptione obtinere possint tam laici quam Clerici, docet Cap. 4. de præscript. Et quidem

Contra parochiam requiruntur 40. anni cum titulo, vel fine eo tempus immemoriale, vid. c. 1. de præscr. in 6.

Contra Ecclesias alias veluti monasteria, capitula, quibus parochia incorporata non est, *tempus ordinarium* cum titulo, 40. annorum fine titulo; vid. Cap. 4. & 6.

Contra privatum tam clericum quam laicum præscriptio longi temporis.

* Præscripta immunitas a decimis præsentibus, non etiam involvit immunitatem a decimis novalium proprie talium, cum agere non valenti nulla præscriptio currat. Cl. de Riegger, l. c. §. 508.

** Existimant aliqui contra parochialem quoque Ecclesiam 40. annos fine titulo sufficere quia, cap. 1. de præsc. in 6. solum loquitur de præscriptione *positiva*, qua jus percipiendi decimas adquiritur. Non de *privativa*, qua Jus Parochi simpliciter extinguitur, ad quam posteriorem sicut nulla possessio, ita nec titulus videtur exigi, partim quia in Cap. 4. de præsc. præter quadraginta annos nihil requiritur; verum cum Parochus pro se habeat fundatam in jure communi intentionem, quod ipsi & nulli alteri sint decimæ, jus non minus *privativæ* ac *positivæ* præscriptionis resistit, atque igitur uti ad hanc, ita ad illam solus cursus quadraginta annorum non sufficit. Atque ab eo, quod possessio non sit necessaria, male concluditur ad titulum.

Enimvero non entis non est possessio, & hinc in privativa præscriptione possessio quidem non datur; potest autem etiam exemtionis & liberationis titulus dari. Ad objectum Cap. 4. de præscr. vel dici potest ibi sermonem esse de quarta decimarum a Parochis Episcopo præstanda, cujus forsan quartæ singularis favor est, vel simpliciter provocari potest ad Cap. 1. de præscript. in 6. quo nova ac posterior lex continetur. Cl. Boekn L. III. Decret. Tit. XXX. n. 71.

*** Porro alii in decimis præscriptionem eadem ratione ac in annuis legatis determinant; vid. lib. 46. §. 9. C. de Episc. & Cler. Sed *ad jus decimarum, quod reale est, instarque servitutum se habet, prædiisque cohæret, haud adplicanda, quæ de obligatione perpetua præstandi annalia loquuntur*, recte, ait Just. Hening. Boehmerus L. III. Tit. XXX. §. 36. in J. E. P. ubi simul deducit, quod singularis Constitutio pro annalibus legatis ad pias causas relictis in perpetuam defuncti memoriam facta sit.

(*d*) Vid. Cap. 4. 18. 20. 23. de decimis, (§. 126.)

* Quidam tempus immemoriale, alii quadraginta annorum cursum desiderant. Verum absque sufficienti ratione (§. 270. n. a.)

** Neque consuetudo sese ad novalia extendit. Cl. de Riegger, l. c. §. 509.

(*e*) Conventio vel *temporalis* vel *perpetua* est. Et siquidem *temporalis* ad vitam decimatoris singularis concepta sit, etiam solus parochus ita exemtionem temporalem a Decimis concedere potest, vid. cap. 5. & 8. de transact. Ad *perpetuam* vero authoritate legitimi superioris opus est; vid. Cap. 3. de dec. cap. ult. de reb. Eccles. alien. Imo si remissio hæc sit *pure gratuita*, docent authoritatem summi Pontificis necessariam esse; vid. cap. 2. & 3. de transf. Verum nobis, seu pura gratuita, seu non gratuita sit remissio, authoritas Episcopi sufficit, tantummodo reliqua observentur, quæ per statuta civilia injunguntur.

§. 464. Præter decimas *de oblationibus* (*a*) seu iis, *quæ a fidelibus sponte sua citra ullam in quantitate & specie determinationem ad Ecclesiam ejusve Ministros, aut pro horum illiusve sustentatione, aut ceteroquin pro cultu divino aut etiam pro alendis pau-*

pauperibus, aliisve piis operibus deferuntur (*b*) hæc statuuntur in canonibus, ut 1. oblationes intra limites parochiæ ad Parochum ejusque Ecclesiam pertineant, si non ostendatur eas vel ex voluntate offerentium, vel consuetudine, vel alio legitimo titulo ad alium pertinere (*c*), 2. eædem nunquam ad solum parochi arbitrium, sed 3. ad intentionem offerentium (*d*), & 4. etsi hæc nihil determinet, quia tamen piissima & cum spiritu canonum concordans præsumi debet (§. 121. n.a.) ad cultum divinum, ad conservationem Ecclesiæ, ad necessariam ministri Ecclesiæ, & ceteroquin pauperum sustentationem impendantur; denique 5. a quibuscumque oblationibus & pactio seu expressa sive tacita, & coactio quæcumque (*e*) sit remotissima (*f*).

(*a*) *Oblatio generatim* sumta significat alicujus rei non petitæ spontaneam largitionem, atque olim quidem, ubi sponte dabantur decimæ, eædem species oblationum erant; species aliæ oblationum olim etiam erant *Primitiæ* seu *primi fructus*, *qui Dei beneficio ex agris & fundis singulis annis percipiuntur*. Enimvero de hisce jam legitur Exodi XXIII. 19. Num. XVIII. 11. Quantum quidem primitiarum nomine offerendum esset, videtur initio ipsorum offerentium arbitrio relictum fuisse, subinde autem teste Hieronymo invaluit, ut qui *minimum* daret, daret *sexagesimam*, qui vero *plurimum*, partem *quadragesimam*, vid. cap. 1. de decim. Sed hodie Primitiæ abolitæ sunt *non usu*. Profecto si obtinerent, non alteri offerendæ essent nisi parocho, intra cujus Ecclesiæ fines prædia sunt sita, vid. Caus. XVI. Q. I. Can. 67. & Q. VII. can. 1. Cap. 1. de decim.

(*b*) Vid. Cap. 38. de V. S. huc itaque pertinent, 1. *quæ ad aram facienti, ut sacri fructum piæ cujusdam intentioni adplicet, in modum stipendii conceduntur*, 2. *quæ post administrata sacramenta, aut alias functiones pastorales populus offerre solet*, 3. *quæ in arculas ad colligendas populi largitiones expositas immittuntur*, 4. *quæ circumeuntibus per Ecclesiam, & eleemosynam colligentibus dantur*, 5. *quæ quovis modo in carnibus, ovis, butyro &c. in usum ministrorum ecclesiæ vel pauperum in ipso templo ponuntur, vel a clericis, aut æditui ostiatim colliguntur*, 6. *quæ in oratoriis, vel sacellis, in quibus imagines beneficiorum fama celebres, vel sanctorum reliquiæ quiescunt, a visitantibus offeruntur*. *Van-Espen P. II. Sect. IV. tit. II. cap. X.* §. 5. Conf. Cl. de Riegger, l. c. §. 516.

* Strictissimo sensu oblationes dicunt illas, quæ sacerdoti inter missarum solennia offeruntur; quæ scilicet post abolitas panis & vini oblationes (§. 381. n.h.) in denariis dari cœpta sunt.

(*c*) Cap. 3. de his, quæ fiunt a præl.

(*d*) Offerentium intentio I. ex consuetudine, II. ex adjunctis desumenda. Quæ in altari in administratione sacramentorum, in exequiis, anniversariis, sive sepulturis defunctorum offeruntur, plerumque plurimam partem intuitu ipsius Ecclesiæ ministri dantur. Verum etiam circa has oblationes tanquam bona Clericalia clerici suam obligationem noverint, (§. 121.) ac proinde noverint ut ait Cl. de Riegger, l. c. §. 518. *eas non Rectoris abdomini adplicandas esse*.

(*e*) *Tacitæ exactionis rei sunt*, ait Cl. de Riegger l. c. §. 520. *qui verbo aut facto arguunt avaritiæ, aut inhumanitatis eos, qui nihil aut parum offerunt, qui majori promtitudine administrant sacramenta illis, a quibus plura offerenda sciuntur. Quid, si Fideles, vel paupertate præsertim occulta, vel expensarum gravitate deterriti sacramenta aut non suscipiant, aut saltem diutius, quam oportet, differant? Non illi pastores esse mihi videntur, sed lupi rapaces, manifestis usurariis multo deteriores*.

(*f*) Vid. Cap. 8. & 9. de Simon.

CAPUT XIX.

De Censibus, Exactionibus & Procurationibus.

§. 463. Extant quoque canones de censibus, exactionibus & Procurationibus, quandoquidem ejusmodi de reditibus Ecclesiasticis pro casu necessitatis ac utilitatis Ecclesiæ his illisve solvi debent; permittente lege Imperantium civilium, utpote ad quos suprema rerum quarumque temporalium cura in Republica pertinet (§. 124.). Enimvero Canones circa ejusmodi, quatenus temporalia sunt, ex permissu & delegatione civili, atque vi propria ac innata unice in linea conscientiæ, unice pro hoc foro disponunt (§. 101.)

§. 464. Venit autem, I. nomine census *pensio annua ex reditibus Ecclesiasticis solvenda in signum vel subjectionis vel alterius juris* (*a*), & prout hujusmodi annua pensio vel statim *initio* (*b*), vel *ex post facto*; porro vel *in perpetuum* vel *ad tempus* imposita fuit, ita census vel *antiquus* vel *novus*, vel *perpetuus* vel *temporalis* habetur (*c*).

(*a*) Persolvitur census quandoque 1. in signum *protectionis singularis* ceu talis a Sede Romana Monasteriis obtigit, 2. in signum exemtionis & libertatis ab Episcopo concessæ, 3. in signum subjectionis, qua ratione Pontifices multis regnis censualibus efficiendis studuerunt, 4. ob factam Ecclesiarum unionem vel consecrationem, vel quamcumque aliam concessam gratiam, 5. ob fundationem, quæ patronis de jure tribuit facultatem censum moderatum reservandi. (§. 119.) vid. cap. 8. de privileg. cap. 10. eod. in 6. Cap. 6. de relig. dom. *Teste Polydoro Vergilio L. IV. Hist. angl. p.* 118. addit Cl. de Riegger l. c. §. 736. *regnum angliæ vectigale fecit romano pontifici* INAS *rex occidentalium saxonum singulis argenteis nummis, quos denarios vocant, in singulas domos impositis. Fecit idem ejus exemplo, ut opinor, ductus* OFFA *Merciorum rex, qui non multo post id tempus regnavit. Fuit is annus salutis circiter* 740. *Hoc vectigal auxit* ATULPHUS *rex, qui totius fere insulæ imperium obtinuit. Omnis Anglia hoc tempore istud vectigal pietatis & religionis causa romano pontifici pendit domesticatim collatum, & nummi illi argentei vocantur vulgo* DENARII D. PETRI, *quos pontificius quæstor, quem non inscienter collectorem nuncupant, exigit. Nos hanc olim quæsturam aliquot per annos gessimus, ejusque muneris obeundi causa primum in Angliam venimus. Hoc ipse ut addit* BARONIUS *ad an.* 740. §. 15. *scribens ad Henricum VIII. tunc regem anno redemtoris* 1533. *cum Londini esset.*

(*b*) Videlicet initio & tempore fundationis vel exemtionis, seu dein singulari reservatione, seu ex jure communi impositus sit.

(*c*) Jus censum imponendi tribuitur 1. Pontifici, 2. Episcopo, 3. Patrono initio fundationis cum consensu Episcopi. Neque ulli alteri sine consensu Pontificis vel Episcopi censum Ecclesiis imponere licet; imo novum censum imponere aut veteres sine magna causa augere nec Episcopis licet. Vide cap. 2. 3. 5. 7. 15. 16. de Cens. Cap. 23. de jur. Patr. Caus. XVIII. Q. 2. Can. 30. Verum præter necessitatem ac utilitatem Ecclesiæ ejusve egentium membrorum (cujusmodi motiva abundantibus Ecclesiis census novos imponendi Episcopis non tantum admittimus, sed etiam suademus nos ipsi) complures alias adferunt interpretes. Conf. Barbosa de offic. Episc. p. 3. alleg. 85.

* Si dubium sit de quantitate præstandi census, id debetur, quod minus est l. 9. & 34. ff. de R. J. Cap. 18. de Cens. Et si quæratur, qua moneta aucto vel deminuto ejus valore solvi debeat census, responsum suppeditat Pontifex in c. 20. & pen. de cens. videlicet: solvendum esse ad antiquam monetam seu juxta æstimationem monetæ, quæ tunc cursum habuit, quando constitutus fuit census, si non præscriptum sit, ut ad alterius monetæ æstimationem solvatur. Conf. Andreæ Vallensis L. III. Decret. T. XXXIX. §. 1. n. 6.

** Jam de communi jure Episcopo a quibusvis Ecclesiis suæ diœcesis etiam a filiabus & a capellis, quæ beneficium separatum sub speciali titulo complectuntur, & a quibusvis beneficiis debentur duo solidi, nomine *synodatici* sive *cathedratici* in signum subjectionis & honorem Cathedræ, cap. 16. de offic. jud. ord. Cap. 7. de donat. Caus. X. Q. III. Can. 1. c. 9. & 20. de cens. cap. fin. de caus. possess. & propr. Qui quidem solidi, etsi eos alii pro aureis alii pro minori valore accipiant (vid. Covar. de vet. Collat. numism. cap. 3. in princ. num. 3. & §. 2. num. 5. & var. Resol. Lib. 1. Cap. 11. n. 3.) ex consuetudine locorum æstimandi erunt. Nomen *synodaticum* venit inde, quia in synodis solutum fuerat. Hodie passim colligitur, quando Archidiaconorum & Decanorum ruralium conventus celebratur. Conf. Zech. de Jur. rer. sect. III. Tit. XII. §. 177. Eximunt tamen a cathedratico monasteria illa, quæ exemta sunt a lege diæcesana (de qua libro sequente plura dicemus.) Si non in uno vel altero casu expresse in jure reperiantur inclusa, sane exemtio hæc ad Ecclesias monasteriis incorporatas sese non extendit. Vid. Caus. X. Q. III. C. 8. Caus. XVI. Q. I. Can. 34. Barbosa de offic. Episc. alleg. 86. in fin. & alleg. 87. n. 45. Neque dubium, quin præscriptione aut consuetudine tolli possit *cathedraticum*. Enimvero obedientia & reverentia erga Episcopum etiam præter solutionem cathedratici observari debet, quemadmodum nullus monasteria a cathedratico exemta ideo etiam ab obedientia ac reverentia erga Episcopum eximet, neque hic juribus *Ecclesiastico imperanti* qua tali proprii præscribitur, cum hic de temporalibus sermo sit, & tota præscriptio jure civili nitatur. Conf. Engel L. III. Decret. Tit. XXXIX. num. 7.

*** Huc etiam pertinet *Portio canonica*, quæ juxta tenorem canonum Episcopo aut Prælatis de iis, quæ in testamento Ecclesiis subjectis (non quæ personis) relinquuntur, nec non de decimis (§. 456. n. 5.) præstanda atque

atque ad similitudinem legitimæ Patri vel Patrono in bonis filii vel liberi debitæ introducta est. Intelligimus igitur ejusdem divisionem *in quartam relictorum ad pias causas, & quartam decimarum*; cum scilicet de jure quarta pars huiusmodi redituum Episcopo assignata sit (§. 399.) id ipsum præsumitur voluisse testator, si non expresse & speciatim quælibet ad certum usum determinaverit, quo casu etiam portio canonica non debetur. Vid. c. fin. de test.

**** De portione canonica parocho debita, si quis extra parochialem Ecclesiam sibi sepulturam eligat, jam dictum est supra (§. 433. n. c.)

§. 465. II. Exactiones in sensu strictiori (*a*) dicuntur eæ, quæ extra ordinem de reditibus Ecclesiasticis ex justa causa exiguntur, earumque præcipua species *subsidium Charitativum* esse (*b*), sed id ipsum quoque a quibuscumque Prælatis (*c*) non sine justa causa & consensu capituli (*d*) de clericis & Ecclesiis (*e*) exigi posse pernoscitur.

(*a*) Scilicet in sensu latiori exactio comprehendit omnia, quæ jure exigi possunt, quapropter etiam exactiones in ordinarias & extraordinarias dividuntur, sed quandoquidem jura decretalium exactiones ab aliis præstandis distinguunt, nos etiam huic distinctæ notioni inhæremus.

* Hic & illic in canonibus *Tributa exactionum* loco leguntur, verum peritus legum civilium, quarum & non Canonum est tributa dictare, in sensu minus proprio id sumendum esse intelliget.

(*b*) Vid. Cap. 6. de cens. unde patet subsidium *charitativum* non ita accipiendum esse, quasi subditi pro suo arbitrio id dare vel denegare possent, & inde tantummodo boc nomen venire, quod Episcopi non pro arbitrio subditos suos exactionibus gravare, sed cum *charitate* moderatum pro necessitatibus auxilium postulare audeant.

(*c*) Communis doctrina est: subsidium charitativum exigi posse a summo Pontifice ab Episcopis, & ab iis, qui aut jurisdictionem quasi Episcopalem aut Episcopatus administrationem habent, veluti capitulum sede vacante; non tamen ab Archidiacono, Decano, aut Vicario Generali nisi ex speciali mandato; Archiepiscopum vero posse suos suffraganeos ad id monere, non tamen compellere. vid. cap. 6. de cens. & cap. 1. de pœnit. in 6. Conf. Cl. de Riegger §. 741.

(*d*) *Causa justa & rationabilis* ait Cl. de Riegger l. c. *est utilitas & necessitas Ecclesiæ, non Episcopi; & in dubio hæc non præsumitur, cum jura exigant causam manifestam.* Vid. Cap. 6. de cens. ceterum conf. Barbosa de offic. Episc. Alleg. 87. n. 26. & seq. neque difficiles sunt interpretes in concedenda facultate subsidium charitativum etiam pro expensis in Electione, Confirmatione & Consecratione factis exigendi. Conf. Engel Tit. de cens num. 9.

* Recte monet Cl. de Riegger l. c. §. 740. *ad subsidium charitativum etiam pertinere illam pensionem, quæ stabilitur in Trid. sess. XXIV. Cap. 18. de Ref. pro erigendis & conservandis seminariis clericorum.*

(*e*) Dum dicitur Episcopos subsidium charitativum exigere posse de clericis, intelligitur de clericis ratione suorum beneficiorum, non ratione bonorum civilium (§. 121.) & quidem de clericis non habentibus ita tenue beneficium, ut præter congruam sustentationem ipsis fere nihil de fructibus supersit.

* Etiam a subsidio charitativo eximuot Monasteria, atque ad Clem. 1. de excess. Prælat. respondent: ibi sermonem esse *de parochis & Ecclesiis secularibus*, ex quibus antehac jura Episcopalia persolvi consueverunt, atque igitur quamvis ad Monasteria pervenerint, etiam posthac persolvi debent, cum res cum suo onere transeat. Conf. Engel. Tit. de cens. num. 10.

** Charitativum subsidium ab antecessore in beneficio petitum, & non solutum posse a successore tanquam onus reale & tributum beneficio impositum exigi, docet post Barbosam Engel l. cit. arg. L. 7. ff. de Public. & vectigal.

§. 466. Quod III. ad procurationes adtinet, jam supra (§. 195. n. b.) exposuimus; quid eorum nomine Episcopis liceat de Ecclesiis (*a*) accipere. (*b*) Id quod etiam pertinet ad alios, qui præterea Jus visitandi habent (*c*). Et quidem si vel ipse visitans, vel ejus familiares & ministri amplius accipere præsumserint, hujusmodi *præter dupli restitutionem, qua intra mensem fieri debet*, aliis etiam pœnis absque spe veniæ mulctari canones jubent (*d*).

(*a*) Nec monasteria a procurationibus exempta sunt, Trid. sess. XXIV. de ref. Cap. 3. cap. 14. de Cens. secus de oratoriis privatis dicendum cap. fin. eod.

* Nul-

* Nullus vero Canon visitatoribus jus etiam a laicis quidquam exigendi tribuit. Conf. Andreas Vallensis Tit. de Cens. & Cl. de Riegger l. c. §. 749.

(*b*) P. Engel Tit. de cens. n. 3. parum observans est Episcoporum, dum inter alia ideo procurationes introductas ait, ut illi facilius ad visitationem Ecclesiarum permoveantur, quasi vero ad obligationes suas explendas non satis ipso jure divino moverentur. Neque altera, quam adfert, tenet ratio, scilicet quia *nemo suis stipendiis militat*. Enimvero an non Episcopus beneficio Episcopatus fruitur, & cur quæso fruitur? Satius itaque in sola causa necessitatis etiam a Concilio Tridentino insinuata justitiam procurationum quærere.


* Cum Concilium Trid. l. c. statuat, ut *in iis locis, & in quibus consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud a visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, id omnino observetur*, incassum adducuntur canones ad commonstrandum, procurationes ne quidem præscriptione tolli posse. Quamvis enim multa tolli queant consuetudine, quibus ceterum præscribi iura non sinunt, attamen cum & mens Concilii Tridentini & veteres Canones procurationibus non faveant, præscriptio in procurationibus non minus ac in cathedratico admitti poterit.

** Primitus quidem non permissum fuit, ut victualium loco pecunia visitatori daretur. Vid. Cap. 1. & 2. de cens. in 6. Bonifacius VIII. autem in cap. 3. eod. liberum reliquit visitatis, utrum pecuniam vel victualia dare velint. Id quod confirmatum quoque est a Concil. Trid. loc. cit.

(*c*) Videlicet si qui ex jure vel consuetudine potestatem habent visitandi, poterunt ea quidem uti, verum ita, ut Episcopus per id non sit exclusus (§. 335. n. n.)

* Inter visitantem Episcopum & legatum a Pontifice missum eam faciunt differentiam, quod iste etiam mercedes equorum & viaticum petere possit. Verum tu reflecte ad ea, quæ diximus supra (§. 124. 206. n. c.)

(*d*) Vid. cap. 6. de cens. cap. 1. & 2. eod. in 6. & conf. Van-Espen, P. I. Tit. XVI. cap. II.



LI-

LIBER TERTIUS
DE POTESTATE ECCLESIÆ EXEQUENTE.

CAPUT PRIMUM.

De Jurisdictione Ecclesiastica & Ecclesiasticis causis.

§. 467. Cum omnis potestas Ecclesiæ *propria* tantummodo spiritualis sit (§. 101.) atque propterea quidem a solis personis ecclesiasticis, sed neque ultra causas conscientiæ, nec mediis aliis quam spiritualibus exerceri queat, etiam *Potestas exequens* Ecclesiæ propria (*a*) non spiritualis esse non potest; atque a solis quidem personis Ecclesiasticis, sed tantummodo, quatenus causa aut persona quædam Ecclesiæ in spiritualibus subjicitur, & tantummodo spirituali ratione exerceri debebit.

(*a*) Seu potestas ea in actum deducendi, quæ fini Ecclesiæ conducunt.

§. 468. Quapropter facile intelligitur I. *causas* proprie *ecclesiasticas* tantummodo illas esse, quæ nihil temporale, sed unice Ecclesiam, Religionem, atque conscientiam attingunt (*a*) II. *potestatem hisce causis ac personis, quatenus Ecclesiastico Regimini in spiritualibus subjiciuntur jus dicendi* proprie *Jurisdictionis ecclesiasticæ* nomen mereri (*b*) III. *Judicem Ecclesiasticum* proprie talem esse personam ecclesiasticam aut a lege aut ab homine constitutam (*c*) quæ jurisdictioni ecclesiasticæ præest, (*d*) IV. *forum Ecclesiasticum* esse locum exercendæ ecclesiasticæ jurisdictionis, atque id tantummodo dici debere *competens*, in quo sedet is, cujus jurisdictioni seu *causa*, de qua litigatur, seu *persona*, a qua quidpiam præstandum esse contenditur, subjecta est (*e*) V. veluti quævis media atque inter hæc impedimentorum remotiones simili ad finem præfixum ratione conjungi seu *ordinari* debent, ita etiam *processum Ecclesiasticum debere quidem idoneam esse coordinationem actuum se invicem præscripto modo consequentium, ut in causa ad judicem Ecclesiasticum delata eruatur veritas & jus suum cuique tribuatur* (*f*) verum haudquaquam requiri, ut tritura & strepitus forensis adhibeatur (*g*).

(*a*) Conf. Van-Espen, J.E.U. P.III. Tit.II. simulque intelligitur, quomodo respiciendæ sint causæ, quæ adeo *ecclesiasticæ mixtæ* dicuntur, quod iis quidpiam temporale intercedit. Conf. Jo. Petr. Gibert, in corp. Jur. Can. in Prol. P. I. Tit. VIII. sect. 2. 3. p. 18. 20. & meus ordo Princip. Jurispr. Eccles. P. I. §. 47. not. a. & b. Profanas quidem etiam causas vult Apostolus I. ad Cor. c. 6. ut fideles coram iis componant, qui in Ecclesia sunt contemtibiles. Non autem ideo fideles subjectione profanis tribunalibus debita eximit, & personis Ecclesiasticis in ejusmodi causis proprie judicandi tribuit facultatem. Aperit sane Apostolus intentionem suam statim v. 7. dum ait: *jam quidem omnino* DELICTUM *est in vobis quod* JUDICIA HABETIS INTER VOS. *Quare non magis* INJURIAM ACCIPITIS? *quare non magis fraudem patimini*? Ut igitur potius injuriam accipiant & patiantur, quam inter se litigando scandalum dent profanis judicibus hortatur, atque nil aliud intendit. Ita quoque Augustinus teste Possidio, Ambrosius teste Augustino aliique sanctissimi Viri, nunquam non Apostoli exemplo excitati, litibus fidelium componendis studebant non tribunalia profana jurisdictione sua privandi, sed tantummodo concordiam & pacem restituendi causa. Et quis quæso Imperantium aut judicum adhucdum ægre feret, ut litigantes amica compositione electa litibus

æque

æque ac ipsis Tribunalibus parcant, ad id ipsum personæ ecclesiasticæ suas generatim conferant operas? *Generatim* ajebam, *speciale* enim arbitrium exempli causa in rebus hereditates vel donationes vel amortizationis legem attingentibus (taceo ea, quæ privati arbitrii non sunt c. 11. de Arbit. c. 7. de transact. c. 9. de integr. restit. c. 21. de præb.) ob fraudes atque læsiones varie metuendas quibusdam Principes sapienter non minus ac juste interdicit. Enimvero inde, quod Apostolus illos suos fideles potius injuriam & fraudes pati, quam coram Ethnicis tribunalibus cum scandalo litigare voluerit, haudquaquam sequitur ab ipsis principibus, ne quis injuria & fraude afficiatur, non præcaveri, aut ejusmodi arbitriis, quæ injuriarum compositionem ceu scopum habent, si in novarum injuriarum fontes degenerent, modum poni non posse.

(*b*) Conf. Cl. de Riegger P. II. §. 503. Cl. Schrodt. L. 1. Decret. Tit. 29. §. 752.

* Recte ac provide Cl. de Riegger l. c. §. 505. subjungit: *de ecclesiastica jurisdictione non temere judicaturus operam imprimis det, necesse est, ut potestatem judiciariam Ecclesiæ propriam atque essentialem non commisceat cum accessionibus, quæ aut Principum summorum indulgentia, aut usu magis quam jure constituto eidem adhæserunt*. Reflecte mentem ad ea, quæ monuimus supra (§. 107. not. f.)

** Prætextus, sub quibus causæ quæcumque olim ad forum Ecclesiasticum pertrahebantur, jam exposuimus supra (§. 116. n. a.)

(*c*) Videlicet vel judex *jurisdictionem ex lege habet eamque nomine ac jure proprio & vi officii sibi competentis exercet*, qualis *Judex ordinarius* dicitur vel *personæ idoneæ aut* HOMO *aut* LEX *vices suas in cognitionem certæ causæ extra ordinem committit*. Vid. cap. 27. & 43. de offic. jud. del. cap. 12. eod. in 6. cap. 13. de offic. jud. ordin. Clem. un. de supplend. negl. Præl. Cap. 11. de rescript. in Concil. Trid. sess. V. Cap. 2. (§. 207.)

* De judicibus delegatis hæc habe.

I. Jurisdictionem delegandam esse personis idoneis, id autem æstimari 1. ab ætate, 2. a dignitate in delegatione Pontificis, 3. a qualitate causæ, ne scilicet causa mere ecclesiastica laico delegetur, 4. a moribus, ne delegatus laboret suspicione, ob quam recusari possit. vid. c. 17. & 41. de off. & pot. jud. deleg. c. 11. de rescr. in 6.

II. Posse etiam plures delegari; & quidem vel *indefinite*, quo casu alter absque altero in causa procedere nequit, nisi is, qui impeditur, vices suas alteri mandaverit; vel *definite*, scilicet adjiciendo aut *clausulam conditionalem*; SI NON OMNES, quo casu, si unus interesse seu non velit sive non possit, reliqui suo duntaxat jure pergere porro in causa possunt, aut *clausulam disjunctivam*, UT UNUS AUT OMNES PROCEDANT, quo casu etiam unus jure præventionis alios excludit, quamquam ipso cessante, reliquis salvum maneat causam ad finem perducere; vid. cap. 34. de offic. & potest. Jud. deleg. Cap. 6. & 8. eod. in 6. cap. 13. de Rescr. Cap. 6. de proc. in 6. c. 11. De hæret. in 6.

III. Delegari posse aut *totius causæ cognitionem* cum *exequendi potestate* (quod a Pontifice fieri solet) aut *partem duntaxat causæ* ceu solam executionem, quo casu delegatus omni cognitione destitutus est. Quemdmodum quoque, etsi alicui delegetur & *Principium causæ* veluti citatio litisve contestatio, & *medium* veluti dum causæ disquisitio omnis inde a lite contestata usque ad sententiam committitur, & *finis*, dum etiam definitiva sententia manet. Vid. c. 7. 26. 27. 28. de offic. & pot. Jud. deleg. Cap. 24. de rescr.

IV. Debere quidem a delegato adcurato servari formam, si quæ præscripta est; hoc ipso tamen, quod causa ei commissa est, eidem tributam esse potestatem ad ea omnia, quæ ad causam ipsam pertinent, ac sine quibus ea expediri non potest, etsi nihil eorum in literis commissionis deprehendatur, cap. 13. 37. 39. de offic. & potest. Jud. deleg. Cap. 13. eod. in 6. Cap. 22. de rescr.

V. Delegato a Pontifice propterea, quia ex persona, delegantis dignitatem nanciscitur, tribui 1. potestatem non solum in partes, sed in quoscunque etiam eo multum superiores, si ipsius jurisdictionem impediant, 2. potestatem subdelegatum ad causam suscipiendam cogendi; habita tamen ratione dignitatis & personæ, 3. jus sententiam a se latam exequendi usque ad annum (quod in delegato ordinarii secus est, cum non ipse sed ordinarius eam exequatur) Vid. cap. 1. 7. 11. 12. 26. de offic. & pot. jud. delegati.

VI. Si a Pontifice vel ejus delegato simpliciter executio committatur *Ordinario*, hunc utpote tali in causa tantummodo *executorem* de justitia sententiæ nihil decernere posse, *sed eam, etsi sciat esse injustam exequi debere, nisi apud Pontificem vel ejus judicem delegatum efficere possit, ut ab hoc onere eum absolvat*. Cap. 28. §. 3. de offic. & potest. jud. deleg.

VII. Adpellationem in delegationibus hanc esse normam, ut 1. a delegato adpelletur ad delegantem; 2. a subdelegatis, si *eis tota causa commissa sit*, ad primum delegantem, *sin pars* ad subdelegantem, 3. si ex tribus delegatis *duo* causam subdelegaverint, *tertius* autem officio suo ipse functus sit, adpellatio non ad subdelegantes, sed ad primum delegantem devolvatur. Vid. cap. 18. 26. 38. de offic. jud. ordin. cap. 5. eod. in 6.

VIII. Ex-

VIII. Expirare officium delegatormm, 1. morte delegantis, si res adhuc integra sit (§. 267. n. d.) 2. morte delegati, si non delegatio facta sit officio (§. ibid. n. e.) aut cum clausula *si non omnes* de qua paulo ante diximus, 3. revocatione quam re adhuc integra etiam subdelegantes facere possunt, 4. Finito negotio, 5. lapsu temporis, quod tamen communi partium consensu durante adhuc jurisdictione prorogari potest, 6. contrario rescripto, in quo mentio prioris fit (§. 257.) 7. renunciatione ex justa causa & tempestive, 8. impedimento, ita, ut si plures simpliciter dati sint, uno impedito etiam reliquorum jurisdictio expiret, sin vero dati sub clausula *si non omnes*, ejus cesset jurisdictio, qui ex iis perpetuo laborat impedimento, 9. Remotione ob causam suspicionis, quæ non exclusa est, etsi rescripto sit adjecta clausula, *remota recusatione*. Cap. 4. 9. 25. 26. de offic. & pot. jud. deleg. Cap. 6. 7. eod. in VI. cap. 3. de rescript. Cap. 11. eod. in VI.

IX. Moribus quidem *præstito perhorrescentiæ juramento* causam suspicionis neque allegari, neque probari. Ceterum vero ejusmodi causam ita tractandam esse, ut

1. Si proponatur contra unum ex duobus Judicibus a sede Apostolica datis cum clausula: *si ambo interesse non possint*, tunc illam inquirat & expediat conjudex non recusatus, ad quem cognitio ipsius causæ vi prædictæ clausulæ pertinet; dicta clausula autem rescripto non inserta ad arbitros recurratur.

2. Si delegatus Episcopi recusatur, ut recusationis causa coram Episcopo probetur (id quod etiam obtinet, si Episcopi officialis accusatur, etsi cæterum ab officiali ad Episcopum adpellari nequeat) (§. 210. n. b.), vid. cap. 39. de offic. & pot. Jud. deleg. cap. 4. eod. in 6.

(*d*) De officio cujusvis Judicis, qui scilicet, non quid ipse velit, sed quid lex & religio postulet cogitare, ac sine ullo respectu humano proprioque affectu procedere debet; vid. caus. XXX. Qu. V. Can. 11. Cap. 11. §. 4. de rescr. in 6.

* Quemadmodum Metropolita in subditos suffraganei in prima instantia nullam habet potestatem exercendi jurisdictionem (§. 193.) ita etiam negligentiam Episcopi in corrigendo aut in administranda justitia (§. 453. n. c.) sine prævia primæ instantiæ sententia supplere non potest. Id quod etiam de reliquis superioribus hierarchis valet. Vid. cap. 9. 11. 16. de officio jud. ord. in 6. Concil. Trid. Sess. XXIV. cap. 20. de reform.

(*e*) Est itaque competentia fori Ecclesiastici vel ratione *causarum* (ubi nulla habetur ratio, an laicus ille sit, adversus quem agitur, an clericus) vel ratione *personarum*.

* De competentia fori ecclesiastici in causis temporalibus, aut mixtis quantum temporale tangunt, jam dictum supra (§. 112.).

** Statutum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. *ne super rebus spiritualibus compromittatur in laicum, quia non decet, ut laicus in talibus arbitretur*; vid. cap. 8. de arbitris, intelligendum est de causis proprie spiritualibus.

*** Quemadmodum jus civile Romanum forum commune Romæ, ita etiam jus decretalium forum commune clericorum ibidem stabilivit. Cap. fin. de foro compet. Verum extra casus, qui de essentia Primatus ad Romanum Pontificem pertinent, & Principes & Episcopi obsistere queunt, quo minus causæ ad tribunalia Romana deferantur.

**** Clerici proprium suum forum habent aut ratione Diœceseos, aut ratione domicilii, aut ratione beneficii, quod residentiam exigit. Hinc patet 1. si quis fruatur pluribus beneficiis, quæ in diversis Diœcesibus sita sunt, eum in singulis conveniri posse. 2. Non tamen contra eum, qui in beneficio residere non tenetur, si modo alio in loco domicilium habet, agi posse in foro beneficii, nisi ratione hujus ipsius beneficii. 3. Obligari Episcopum, ut velut judicem sibi competentem revereatur Archiepiscopum, cum in hujus provincia beneficium habeat. Cap. 3. de tempor. ordin. in VI. Cap. 7. de offic. ord. in VI.

(*f*) Cum igitur finis judicii seu processus sit investigatio veritatis, judex unice ad hanc investigandam respicere, ac modum a legibus hac in parte præscriptum observare debet. Vid. cap. 1. & 10. de jud. cap. 22. de accus. Cap. 5. de Except.

* Etiam processus ecclesiasticus dividitur 1. in Processum *juris communis*, scilicet eum, qui Canonibus jus commune constituentibus continetur, & qui ipse ex legibus civilibus ac placitis glossatorum desumtus est, & processum *juris particularis*, quem quæque regio sibi propriam constituit. 2. in *ordinarium*, ubi ordo legibus præscriptus tam quoad substantialia, quam quoad solennia servatur, & in *summarium*, ubi solennia salvis tamen substantialibus non observantur, 3. in *criminalem* & *non criminalem*, prouti per viam adcusationis aut inquisitionis de crimine ad satisfactionem etiam Ecclesiæ præstandam, vel ceteroquin tantum de negotiis & rebus, quæ tangunt forum Ecclesiæ, ad ejus ejusve membrorum salutem decidendis agitur. 4. in Judicium *primæ & secundæ Instantiæ*; illud scilicet coram judice inferiore, hoc facta adpellatione coram judice superiori peragendum. Vid. Clement. 2. de jud. Clem. 2. de verb. sign. Cap. 3. de adpellar. in 6. Quænam causæ summariæ tractari debeant, de iis & pluribus materiam Judiciorum concernentibus in jure consistoriali dice-

dicetur. De jure Ecclesiastico criminali sequentibus mox capitibus agetur.

(*g*) Antiqua Ecclesia fori interni ab externo distinctionem penitus ignorabat. Quantumvis enim variae externae adhibitae fuerant ceremoniae, hae tamen ipsae tantummodo reconciliationem peccatoris, & scandali aversionem, atque adeo tantummodo internum sacramenti Poenitentiae forum, non vero contentiosum, & juris civilis formam, strepitumque forensem praeseferens tribunal respiciebant. Quidquod etiam Episcopi in causis civilibus, in quibus, ut supra diximus, ad evitandas lites, & concordiam christianam inter partes restituendam arbitria suscepere, sine tricis forensibus, atque juris formulis summarie processerint, ac potissimum ex scripturis sacris veteribusque canonibus suas acceperint decisiones. Verum cumprimis Secul. XII. hac spiritualiter procedendi ratione neglecta non tantum forenses formalitates in tribunalia ecclesiastica introductae, & subinde Pontificum decretis stabilitae sunt, sed etiam adeo cumulatae, ut per personas ecclesiasticas, quae ob suam tunc temporis *privativam* scientiam profanis adhibebantur tribunalibus, in haec ipsa tribunalia ingenti cum incremento redierint. Quapropter etiam post Claudium Fleury Cl. Van-Espen animadvertere non dubitavit: *Omnem hodiernam litigandi formulam in curiis secularibus usitatam provenire a Canonistis, ideoque si quis eam exacte cognoscere velit, ejus originem ex decretalibus hauriri debere*. Convincit nos de eo satis superque totus Decretalium Gregorii IX. secundus liber. Recepta autem semel hac fori interni, externique distinctione illo quidem ea, quae sunt *Ordinis*, & sacerdoti propria; hoc vero, quae sunt *jurisdictionis*, & etiam *non Presbytero* competere queunt, concludebant, atque aliud longe, quam supra secundum veteris Ecclesiae normam descripsimus, inter ordinem & jurisdictionem sibi exculpsere discrimen. Conf. Fleury P. III. Instit. Jur. Can. c. 4. Van-Espen P. III. Tit. VII. C. 1. ubi §. 16. subnectitur: *sed etiamnum Ecclesia eodem semper spiritu animata lites & contentiones aversans desiderat, ut quaestiones & controversiae filiorum suorum ac praesertim illorum, qui in sortem Domini vocati, & a tumultibus mundi vi suae vocationis sunt separati, amicabiliter, & summarie sine omnibus illis forensibus tricis, & solemnitatibus terminarentur, atque deciderentur; quod & Conciliorum atque Episcoporum decreta etiam horum posteriorum temporum evincunt*.

§. 469. Sed etiam id certum est corollarium VI. jurisdictionem Ecclesiae; atque adeo Ecclesiastici Judicis cognitionem decisionemque (tantummodo solum spirituale respiciat, & intra limites & effectus fori conscientiae subsistat); sese ad actiones quasvis fidelium tam positas quam ponendas extendere (*a*).

(*a*) Circa jam positas actiones varie sese exercet Imperantium nostrorum judicium. Etenim vel *irritum* declarant actum quendam: videlicet eundem non valere. Sic vota irrita declarari non tantum ab Ecclesia sed etiam a Republica queunt; prout nempe aut contra verum Ecclesiae finem, aut contra bonum & salutem civitatis fuerint concepta; vel prout in eum devenerint casum, a quo absque spiritualis aut civilis nostrae salutis detrimento non possent inchoare. Vel *dispensant*, seu actum, qui inutiliter & contra leges positus est; salvo legis pro speciali tantum casu justa de causa laxatae vinculo subsistere sinunt; veluti in matrimoniis, quae obstante humano impedimento inita sunt, contingit. Vel *commutant*, obligationi nimirum ex actione posita ortae aliam substituendo, quemadmodum contracta ex voto obligatio saepe in aliam aequalem aut minorem superiorum nostrorum judicio mutatur. Quae omnia nullus mirabitur, qui ex natura subjectionis intellexerit, actiones subditorum lege divina permissas non posse poni aliter, quam hac sub conditione: si superior (cujus est de actionibus nostris utpote a se dirigendis judicare) eas expedire, & quidem, quamdiu expedire judicaverit. Qua propter etiam *irritatio* VOTI MATRIMONII in ejusmodi actibus, qui obsistente superiorum voluntate votum, matrimoniumve non sunt, si stricte ac genuine loqui velis, haudquaquam bene audiet; vel ceteroquin post causam cognitam ex legibus aut de aequitate decidunt, ex cujus litigantium parte stet veritas, quidve huic illive sit tribuendum; vel praemissa non minus cognitione alicui delictum probatum & poenam in id aut per leges jam statutam aut demum ex gradu moralitatis & fine poenarum desumendam imputant; vel denique, ut ajunt, *adgratiant*, remittendo scilicet poenam positam contra leges actione commeritam. Quod si nulla posita, sed tantum ponenda actio in considerationem veniat; irritatio dispensatiove antecedens, hos effectus habent, ut illa ponendae actioni omnem adimat valorem; ob hanc autem contra legis rigorem aliquid licite & valide fieri queat.

* Satis multa de dispensationibus jam dicta sunt superius, (§. 244. n. c.) ex quibus responderi poterit ad pessimum eorum ratiocinium, qui hoc ipso, quod justae dispensandi cau-

causæ adsunt, se dispensatione non egere, atque legis vim ejusmodi casu alioquin cessare arbitrantur. Profecto nisi justæ causæ revera adsint, nullus quidem obtenta etiam dispensatione in conscientia securus redditur. Sed num quæso *subditus* ipse sibi de causarum suarum justitia bonus, atque legitimus judex esse poterit? Reflecte ad ea, quæ supra de discrimine causarum dispensandi monebam (§. 245. n. e.) Confundunt ejusmodi ἐπιείκειαν, quæ est interpretatio restrictiva, quaque intelligitur factum lege non esse comprehensum, cum dispensatione, qua circa factum lege comprehensum relaxatio ex superioris causas demum cognoscentis judicio conceditur. Conf. Grotius L. II. C. XX. §. 27.

§. 470. Certum denique VII. posteaquam ad evitandam confusionem *singulis pastoribus portio gregis fuit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet* (*a*) (§. 135. n. b.) extra casum necessitatis (§. 133. n. e.). Episcopo non licere in alterius Diœcesi jurisdictionem exercere (*b*) atque ita etiam non alteri judici in regula licere extra suum territorium jus dicere aut coercere (*c*).

(*a*) Vid. Caus. IX. Q. I. Can. 7.

(*b*) Vid. synod. Trid. sess. VI. C. 5. de reform. ubi in hoc statuto: *nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii prætextu pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem ordinario subjectas tantum*, sub exercitio Pontificalium non tantum comprehenditur collatio ordinum, sed & alia quæ aliquam jurisdictionem, sive auctoritatem Episcopalem requirunt. Conf. Van-Espen P. I. Tit. XVI. Cap. 5.

(*c*) L. ult. offic. de jurisd.

§. 471. Minime autem post introductam legis jurisdictionis & legis diœcesanæ distinctionem (*a*) apud omnes certum stabilitumque est, quid ad jurisdictionem stricte talem, quid ad legem Diœcesanam sit referendum. (*b*).

(*a*) Recte Cl. de Riegger P. II. §. 255. post Jan. a Costa, Franciscum Florentem, Zallwein, & Reverendiss. nostrum Abbatem Rautenstrauch scribit: *Distinctio inter legem diœcesanam & legem Jurisdictionis incognita erat in Ecclesia, donec Pontifices varia exemtionis privilegia concessere Monachis, e. g. in can. 34. XVI. q. I. can. 5. 8. XVIII. Q. II. Postea* JOANNES HUGATIO *vel ut alii volunt* JOANNES SEMECA *dictus* TEUTONICUS *auctores glossæ communis in decretum Gratiani eam distinctionem glossis suis inserere ad legem Diœcesanam referentes, in quibus monachi subducti fuerunt potestati Episcoporum, cetera vero, in quibus subjecti eisdem remanebant, ad legem jurisdictionis, vid. cap. 18. de offic. jud. ordin. cujus auctor est* HONORIUS III. P. *qui novo commento glossatorio deceptus distinctionem inter legem diœcesanam, qua olim omnia jura Episcopalia continebantur, & legem jurisdictionis in sensu speciali acceptam hac decretali adprobavit, & novi Juris hoc modo conditor extitit*. Conf. cum primis de genuino sensu, cit. cap. 18. Zallwein Tom. 4. q. 2. c. 2. §. 8. & Franciscus Florens, Diss. in cap. auditis de præscr. Cap. 1. Tom. I. oper. Edit. Norimb.

(*b*) Ego quidem cuncta ad potestatem Episcoporum pertinentia in mente mea collocavi ita, ut mihi

I.

Omnis Episcoporum potestas veniat nomine Jurisdictionis Ecclesiasticæ in sensu latissimo; eandemque etiam respectu Diœcesis subjectæ legem Diœcesanam in sensu latissimo compellem.

II.

Sub hac ipsa autem intuear comprehensa

1. *Jura Pontificalia*, ad quæ actus ordinis aliaque peragendum Dei cultum concernentia spectant.

2. Regimen sacrum seu jurisdictionem in sensu medio, & sub hoc

1. Jura honoris ac reverentiæ. Episcopo debitæ.
2. Potestatem causas ad forum Ecclesiasticum deductas cognoscendi decidendique, seu jurisdictionem in sensu strictissimo.
3. Legem diœcesanam in sensu strictissimo, seu jura reliqua, quæ Episcopo vi officii in ordine ad regendam Ecclesiam competunt.

* Facile hinc ad convenientem locum reponam singula Episcoporum jura, quæ alias Decretalistæ in quatuor genera dividunt, scilicet. I. In jura ordinis, quo referunt 1. potesta-

 tem

tem conferendi sacramenta ordinis & confirmationis, 2. potestatem consecrandi Ecclesias & altaria, 3. benedicendi cæmeteria, abbates, abbatissas, virgines sacras, & reliqua hujus generis.

II. Jura status & dignitatis Episcopalis, quo collocantur 1. Jus habendi solium seu thronum, 2. jus mitræ, pedi, & annuli pastoralis, crucis pectoralis, chirotecarum, tunicellæ, sandaliorum & reliqua, 3. tituli porro, quibus Episcopi, qui personis Illustribus merito adcensentur, insigniuntur, 4. denique quæcunque ceteræ Episcoporum prerogativæ seu Ecclesiasticæ seu civiles.

III. Jura jurisdictionis, quæ revocant 1. Jus decidendi causas clericorum omnes &, 2. laicorum spirituales, 3. causas matrimoniales, 4. infligendi censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac ab iisdem absolvendi, 5. in jure dispensandi, 6. instituendi & deponendi clericos.

IV. Jura legis Diæcesanæ, inter quæ præcipue recensentur 1. canonica obedientia ac subjectio a clericis, scripto aut homagio, præstanda, 2. jus convocandi Synodum Diæcesanam, 3. condendi statuta Diæcesana, 4. Jus conferendi beneficia, 5. administrandi & dispensandi bona & res ecclesiasticas in Diæcesi sitas, 6. Jus inspectionis in domos religiosas, 7. jus exigendi procurationes, cathedraticum & subsidium charitativum, 8. jus decimas & alios proventus ecclesiasticos exigendi, 2. Jus testamenta & dispositiones ad pias causas exequendi.

** Si communis quidem Canonistarum doctrina adtenderetur, potestas jurisdictionis a lege Diæcesana in eo solum differret, quod illa in *dando*, hæc tantum in *recipiendo*, & hinc vix in alia ac in cathedratico, subsidio charitativo, & procurationibus recipiendis consistat. Verum arbitraria hæc doctrina est, & neque origini distinctionis inter legem Diæcesanam & legem Jurisdictionis, nec menti Pontificum in canonibus expressæ respondet. Conf. Reverendiss. Rautenstrauch in Instit. Jur. Eccles. T. I. S. II. Cap. IX. §. 446.

C A P U T II.

De Delictis Ecclesiasticis in specie.

§. 472. Exerit sese; ut dicebamus (§. 469. n. a.) jurisdictio Ecclesiastica intra limites & effectus conscientiæ ad omnes actiones fidelium ita, ut etiam pœnis fini ac potestati Ecclesiæ respondentibus, seu pœnis spiritualibus leges Ecclesiasticæ muniri queant. Quo posito facile intelligitur, in quo jus puniendi Ecclesiastici delicti (*b*) & quis ecclesiastici criminis (*c*) reus haberi debeat, & quam jurisdictionem criminalem Ecclesia jure proprio queat exercere (*d*).

(*a*) Videlicet secundum demonstrata principia jus *puniendi Ecclesiæ* recte dicitur esse *potestas privationes bonorum & jurium, queis fideles ut membra Ecclesiæ christianæ alias sunt instructi, cum violationibus legum copulandi, ut ejusdem Ecclesiæ finis obtineatur*; unde simul ipsarum Ecclesiasticarum *pœnarum* notio non difficulter eruitur. Concil. Trid. sess. XIII. c. de Reform.

(*b*) Quælibet nempe actio vel omissio libera, cujus author de lege Ecclesiastica ad luendam pœnam obligatur, *delicti Ecclesiastici* reus est, atque illico hæc *peccati* species a suo genere distinguitur.

(*c*) Criminis adpellatio ad ea pertinet delicta, quæ magis publicam securitatem lædunt, conf. Cl. noster Digestorum ac Juris criminalis Professor Publicus ordinarius Christophorus Hupka S. C. R. A. M. a Consiliis Regiminis Inf. Austriæ in Positionibus Juris criminalis secundum constitutionem Theres. &c. Viennæ 1778. Quapropter etiam *criminum Ecclesiasticorum* adpellatio recte tribuitur delictis iis, quæ aliquis non tantum adversus animæ suæ aut simul tertii privati bonum, sed magis adversus publicum ipsius fidei, Religionis, ac Ecclesiæ bonum committit.

* Sed quemadmodum in jure criminali profano, ita etiam in Ecclesiastico crimen & delictum pro synonimis accipiuntur. Hinc patet, in quo jus Criminale Ecclesiasticum consistat.

(*d*) De Jurisdictione Ecclesiæ impropria, seu illa, quam ei Principes in causis criminalibus clericorum, etiam quatenus eæ salutem civilem turbant, & ad profanum criminale forum pertinent, concessere, & qua ratione de hodierno jure communi exerceatur, in jure consistoriali agemus. Eam vere ex Principum indulto & non ex jure divino Ecclesiæ advenisse, atque licet Ecclesiæ concessa sit, ab hac tamen nomine Principis exerceri, pridem edocti sumus (§. 107. n. f.) Conf. Fleury. Inst. Jur. Eccles. P. III. Cap. XIV. §. 1.

§. 473. Ut autem de jurisdictione criminali, quam Ecclesia propriam sibi habet, quoad ejus objecta, eandemque exercendi modum saltem præcipua pernoscamus, ne-

necesse est, ut I. delicta ipsa, II. Pœnitentias & remissiones, III. Censuras & pœnas consideremus. Quapropter statim a delictis, reliqua in postremis duobus capitibus tractaturi, ita ordimur, ut 1. illa, quæ in religionem totam ipsamque ejus theoriam committuntur, 2. quæ quidem non in religionis inversionem tendunt, attamen semper divino adversantur cultui. 3. ea, quibus proximus aut quoad vitam corporisque incolumitatem, aut quoad famam, & honorem læditur. 4. delicta carnis. 5. delicta, quæ tantum committi possunt a clericis, partem præcipuam discutienda sumamus.

§. 474. Delictorum illorum, quæ in religionem totam ipsamque ejus theoriam committuntur, *summaria* hæc sunt: I. Periculosa & religioni noxia fidelium cum infidelibus conversatio (*a*), II. Apostasia perfidiæ (*b*), III. Hæresis (*c*), IV. schisma (*d*). Quibus itaque omnibus tanquam maxime exitiosis & Ecclesiæ Rectores sua *spirituali*, & quantum turbantur respublicæ, earundem Imperantes sua *temporali* cognoscendi, coercendique potestate obviabunt. Universe tamen hac in parte rigor ejusmodi, qui 1. rectæ rationi (*e*), 2. sacræ Scripturæ (*f*), 3. veteris Ecclesiæ praxi (*g*), 4. monitis SS. Patrum (*h*), & 5. ipsorum Pontificum, ceu cuivis *Canonici juris corpus* inspicienti patebit, (*i*) denique 6. concordi secundum hoc puros fontes scribentium Canonistarum doctrinæ (*k*) adversaretur, quam longissime sit remotus.

(*a*) Quandoquidem Ecclesiæ nostræ Rectoribus nihil cum iis est, qui *foris* sunt, atque hinc inter crimina ecclesiastica ab illis coercenda tantummodo *liberæ* HOMINUM CHRISTIANORUM *actiones legibus ecclesiasticis contrariæ* referri debebant, patet, cur non tam *Infidelitatem* eorum, qui Baptismo & fide in Christum carent, & extra Ecclesiam constituti sunt, quam fidelium cum iisdem periculosam communionem hic attingamus. Vid. Caus. XXVIII. Q. I. Can. 12. 13. 14. Cap. 5. & 8. Jud. Patet autem non minus, communione Religioni periculosa haudquaquam illa contineri officia, quæ homo homini, atque gens genti secundum naturale jus, imo secundum evangelicas leges idem jus confirmantes vel de justitia vel de æquitate ac charitate præstandi obligatione tenetur. Unde facile decidi potest, an cum gentibus a vero Dei cultu alienis fædera pangere & qualia liceat. Conf. Grotius de J. B. & P. L. II. cap. 15. §. 8. sequ. Conf. Cl. de Riegger, l. c. §. 283.

* Sub pœna excommunicationis interdictum est ad hostes Christiani nominis etiam tempore pacis instrumenta bellica, tempore belli autem quascumque merces deferre, vid. cap. 6. 11. 12. 17. de jud. Cap. 1. eod. extrav. comm. & conf. Benedictus XIV. de synod. Diœcef. L. III. Cap. 20. n. 7.

** Infideles ad fidem cogi non posse, patet ex c. 3. & 5. Dist. 45. Cap. 3. de bapt. cap. 9. de Jud. conf. Benedicti XIV. constit. *Postremo mense* de a. 1747. in ej. Bullario Tom. II. & Engel ad Tit. de Jud. num. 11. & 12.

*** Speciatim semper Judæi tanquam tenacissimi veteris testamenti custodes, & hinc adversus gentiles de illarum divina origine & auctoritate, atque adeo de ipsa religionis christianæ veritate testimonium perhibentes (quapropter etiam *christianorum Bibliothecarii* dicti sunt) jam primis Ecclesiæ seculis tolerantia fruebantur, ipsique Pontifices iisdem favebant. Conf. Socrat. Hist. Eccles. L. VII. c. 13. & 16. & vid. l. 2. 13. & 19. cod. de Jud. l. 6. cod. de pag. Cap. 3. 7. 8. & 13. de Judæ. Et quidem in iis, quæ ad ceremonias religionis eorum spectant, permittuntur vivere lege Mosaica Nov. 46. cap. 1. neque licitum ipsorum festivitates ullatenus turbare. Cap. 9. de Jud. L. 2. l. 13. Cod. ib. Quæ autem ad superstitionem eorum, aut ad forum, leges ac jura pertinent, in iis, adeoque in criminalibus civilibus, imo etiam matrimonialibus causis judicio Christianorum subjiciuntur. Vid. l. 7. & 8. Cod. de Jud. ceterum de jure communi in odium Judæorum & religionis nostræ favorem hæc constituta sunt, 1. *ab honoribus, dignitatibus & officiis civilibus removentur. L. ult. Cod. de Judæ. cap. 16. 18. ibid.* 2. *eorum testimonia contra christianos rejiciuntur. L. 21. Cod. de hæret. Cap. 21. de Test.* 3. *Nec christiana mancipia L. 1. Cod. Ne Christ. mancip. hæret. vel Jud. vel pag. hab. Cap. 1. 19. de Judæ. &c. nec obstetrices ac nutrices christianas habere possunt, cap. 13. ib.* 4. *novas synagogas extruere nequeunt. Cap. 3. 7. ibid. cap. un. ibid. in Clement.* 5. *Dis parasceves ostia & fenestras clausas habere coguntur. Cap. 4. ibid.* 6. *Diebus autem passionis dominicæ in publicum prodire vetantur. Cap. 15. ibid. Distinctio a Christianis habitu vel signo uti jubentur cap. 15. cit. & reliqu.* Cl. de Riegger, l. c. §. 288.

(*b*) Apostasia generatim *defectionem* significat,

eat, atque, prout quis vel a statu clericali vel religioso vel a tota fide Christiana deficit, ita speciatim vel in Apostasiam irregularitatis vel Apostasiam obedientiæ vel apostasiam perfidiæ abit. Hanc quidem Jus canonicum iisdem, quibus hæresim, pœnis persequitur. Cl. de Riegger, l. c. §. 289. Vid. l. 2. Cod. de Apost. cap. 13. hæret. in 6. Caus. III. Q. IV. Can. 2.

(*c*) Hæresis est *pertinax defensio dogmatis judicio Ecclesiæ universalis condemnati, Symboloque Catholicæ fidei contrarii*. Ejusmodi igitur defensionis, qui reus non est, imperito zelo hæreticus dicitur. Joann. Ludovicus Vives celeberrimus seculi XVI. Theologus commissum hac in parte suo tempore abusum istis adnotavit verbis: *quæcumque ab schola placitis dissident, scholastico Theologo sunt hæretica, quod crimen ita vulgatum est, ut rebus quoque levissimis impingatur, cum sit ipsum atrocissimum*. Sed de hæresi hæc quoque præcipue notabis:

1. Dum *quæstio juris* movetur, an scilicet dogma, quod reus profitetur, hæreticum sit, soli Ecclesiæ competere judicium.

2. Occurrente autem *quæstione facti*, seu unum eidem jam declarato falso dogmati hic vel ille adhæreat, nil obstare, quo minus id a seculari judice cognoscatur. Enimvero tam parum judex ita sese determinandis immiscebit dogmatibus, utpote ad ea, quæ jam determinata sunt, tantummodo factum adplicando; quam parum quoad ipsa divina attributa decidendum aliquid sibi sumit, quando num hic aut ille blasphemaverit, cognitionem decisionemque aggreditur. Conf. Duarenus L. I. cap. 5. sic quoque

3. Ad Ecclesiam quidem pertinere jus non tantum ipsam hæresim pœnis spiritualibus coercendi, veluti *excommunicatione*, *irregularitate*, *denegatione sepulturæ sacræ*, sed præveniendæ etiam ejusdem dispersioni, veluti interdicendo periculosam cum hæreticis communionem, notando libros hæreticos, a quibus sibi quilibet cavere debeat, &c. verum

4. Conquisitiones violentas, coercitionesque eorum, qui hæreseos rei sunt, non alteri quam illi, cui potestas temporalis proprie est, vindicari posse.

(*d*) Schisma *scissuram* sonat, & est crimen eorum, qui se ab unitate Ecclesiæ pertinaciter scindunt, circa quod animadvertes

1. *Particulare* esse schisma aliud, aliud *universale*. Qui hujus rei sunt, a communione universalis Ecclesiæ, seu ab omnibus aut pene omnibus Ecclesiis particularibus, quæ Ecclesiam Catholicam constituunt, recessere, veluti universalis Ecclesiæ consuetudines non recipiendo, subtrahendo se generalium Conciliorum Decretis, negando Romani Pontificis primatum, ejusque *essentialem* potestatem condemnando, &c. Particulari autem schismate sese contaminant ii, qui auctoritatem sui Episcopi, ejusque leges aut censuras spernunt, qui eidem Antiepiscopos, vel cultui Dei publico singulares congregationes opponunt.

2. Schisma posse quidem esse sine hæresi, quia *schismaticos non fides diversa facit, sed communionis disrupta societas*. S. AUGUST. L. un. Quæst. 17. in Matth. 11. §. 2. 5. Ordinario tamen saltim in hæresim degenerare, si non jam sibi eam conjunctam habet juxta illud a Gratiano, c. 26. XXIV. q. III. relatum verissimum HIERONYMI effatum, *Nullum enim schisma non aliquam sibi confingit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur*.

3. Veluti ad hæresim *pertinax* defensio dogmatis *condemnati* desideratur, ita ad schisma *pertinacem ab Ecclesia dissolutionem requiri*, ne secus Divum *Cyprianum*, qui suam de rebaptizandis hæreticis sententiam contra *Stephanum* I. Pontificem acriter tenuit, imo tot alios Sanctos & Pontifices ipsos ob defensas varias sententias, quæ tunc ab Ecclesia nondum condemnatæ fuerant, contra omnem S. Augustini Theologiam, l. 1. de Baptism. cont. Donat. c. 17. & 18. L. II. c. 4. 7. 9. 15. inter hæreticos & schismaticos referamus; Videlicet uti distincte & adcurate docuit Cardinalis Cajetanus in S. Thom. 2. 2. Quæst. 39. art. 1. *Nolle pertinaciter obedire summo Pontifici non est schisma, sed nolle subesse ipsi ut capiti totius Ecclesiæ est schisma . . . Adverte diligenter, quod recusare judicium vel præceptum Papæ contingit tripliciter*. 1. *Ex parte rei judicatæ seu præceptæ*. 2. *Ex parte personæ judicantis*. 3. *Ex parte ipsius judicis. Siquis enim pertinaciter contemnat sententiam Papæ, quia non vult exequi, quæ mandavit, non est ex hoc schismaticus. Contingit namque & sæpe nolle exequi præcepta superioris, retenta tamen recognitione ipsius in superiorem. Si quis vero personam Papæ suspectam rationabiliter habet, & propterea non solum præsentiam ejus, sed etiam immediatum judicium recusat, paratus ad non suspectos judices ab eodem suscipiendos, nec schismatis, nec alterius vitii crimen incurrit. Naturale namque est evitare nociva, & cavere a periculis. Cum quis autem Papæ præceptum vel judicium ex parte sui officii recusat, non recognoscens eum ut superiorem, tunc vere schismaticum est. Inobedientia enim quantumcumque pertinax non constituit schisma, nisi sit rebellio ad* OFFICIUM *Papæ vel Ecclesiæ, ita ut renuat illi subesse, illumque recognoscere ut superiorem* hinc

4. Multominus schismaticos dici posse, qui cum *Petro de Marca*, *Natali Alexandro*, *Jacobo Bossuet*, *Claudio Fleury*, *Bernardo Van-Espen*, totaque *Ecclesia Gallicana* suum

Jus

Jus Canonicum ad Jura Principum, & Episcoporum vindicanda, atque ad veteris Ecclesiæ disciplinam in animos fidelium revocandam cumprimis ex sacra Scriptura, & traditione, & quidem non juxta proprias fortasse controversias, sed apertam explanationem SS. Patrum, quos hac in parte ipsum Concilium Tridentinum nos sequi jubet, porro secundum his fontibus conformatas tot Conciliorum, & Pontificum sententias repetunt, summorum Principum constitutiones circa sacras latas æque, ac eas tot sanctissimi Patres & Episcopi olim venerabantur, in pretio habent, & immutabilia demum sanæ rationis non dimittunt præcepta. Et quid? putasne Ecclesiam Romanam communicaturam esse cum Gallicana, si hæc schismatica esset, putasne huic ab illa tantum honoris iri delatum, aut hactenus deferri? Profecto si Roma sese separare vellet ab iis, qui ejusmodi sententiis adhærent, non ex horum, sed Romæ ipsius parte in schisma iretur. Id quod pridem S. Firmilianus Stephano Papæ reposuit apud Cyprianum Epist. 75. *Excidisti te ipsum; noli te fallere. Siquidem ille est vere schismaticus, qui se a communione Ecclesiasticæ unitatis Apostatam fecerit*; & in eximio illo opere, quod a Marco Antonio Wittola Præpos. Insul. in Bienko Parocho in Propstorf. SS. Theol. Doct. & Cæs. Reg. Libr. Censore in Germanicam versum, & defuncto Episcopo de Stock nuncupatum fuit, cui titulus est, *Justificatio Historiæ Ecclesiasticæ & relativarum Dissertationum Abbatis Fleury, Liber secundus, Tertia Pars, typis mandata, & prostans Oenopontis, Viennæ ac Pragæ apud Nob. de Trattner* 1772. ita pluribus deducitur pag. 303. & seq. *Certum est, quod una sola, provincialis licet ac prægrandis, Ecclesia non habeat potestatem aliquas doctrinas adeo dijudicandi, ut eas debeant aliæ Ecclesiæ sub excommunicationis pœna accipere. Non debet excommunicationem minari, nisi in sua dijudicatione fidei dogmata asserat, quæ omnes & singulæ Ecclesiæ communiter tenent; sicuti fecit Synodus Carthaginensis, de qua primum locutus sum. Hoc casu excepto, debet tantummodo dijudicationes, sicuti Arausiaca Synodus, vel declarationem, sicuti Conventus anno* 1700. *statuere, sed sine excommunicatione, quia dum ea sic contra doctrinam in aliis Ecclesiis acceptam se gereret, se ab eisdem separaret. Ipsa Romana Ecclesia, etsi præ aliis dignitate excellens, jus non habet aliter faciendi. Non debet in suis dijudicationibus uti anathemate nisi contra errores, qui communem fidem adoriuntur. Minatione vero anathematis, ullæ inter Catholicos controversæ opinionis remotionem, ex sola dignitate sua, tentare haud debet. Hæc dignitas, quantumvis præstans, adeo longe non extenditur, ut ex se sola hujusmodi controversias definiat. Multo minus potest facere, ut provincialis Ecclesia, sicut ex. gr. Gallica, eas doctrinas deserat, in quibus ambo Ecclesiæ differunt. Si Roma in hoc casu disjungi vellet, pars Romæ esset, non pars Gallicæ Ecclesiæ, quia hæc tantummodo suæ doctrinæ & generis sui possessionem tueretur. Maneret hæc in Communione Ecclesiæ, dum solemniter declararet se a S. Petri Sede disjungi nolle, & dum in omni occasione Communionem cum Summo Pontifice quæreret. Quamvis enim hic schismatis reus sit, semper tamen, utpote S. Petri successor, Princeps esset Ecclesiæ. Tunc vere locum haberet hoc P. Courayerii placitum: „ Ecclesia, quæ alicujus doctrinæ „ gratia alii maledicit, se ipsam, non alias „ sejungit "*; quibus ibidem in nota subjungitur: *Plorique hodierni Episcopi fatentur, Catholicam esse Trajecti Ecclesiam, quia ipsa communionem uniuscujusque Pontificis ex Clemente XI. qui se ab ea sejungere voluit, sedulo quæsivit & adhuc quærit.* Conf. Van-Espen in supplemento P. I. operum, cum quo utique & cum tot aliis dignitate, doctrina, & pietate insignibus viris etiam mihi de Ecclesia Ultrajectina sentire licebit.

5. Quantumvis schismatici non minus ac hæretici ecclesiastica jurisdictione privantur, ipsas tamen ordinationes ab ejusmodi factas haud quaquam esse irritas, sed tantummodo illum, qui scienter a schismatico ordines recipit, ab iisdem suspendi, quo sensu etiam cap. 1. & 2. de schism. intelligi debent; secus quoad beneficiorum collationes, uniones, censuras, & absolutiones, hæc enim, utpote a jurisdictione dependentia, si a schismaticis fiant, prorsus irrita habentur. Conf. Cl. de Riegger l. c. §. 332. usque 339.

(e) Consule tantummodo rationem, num externæ coactiones proportionata sint intellectum corrigendi remedia? consule, num ejusmodi coactionis obtinendus denique ille effectus, qui pietas externa sine interna, atque adeo externa actio internæ dissentiens erit, salva etiam naturali lege obtineri queat. Sed semper quæso cave, ne *coactiones ad cultum intellectui adversum*, cum coercitionibus *seductorum, atque turbatorum* confundas.

(f) *Violentorum mediorum usum* vix non ordiri volebant jam ipsi Salvatoris discipuli. Enimvero *Jacobus & Joannes* de samaritanis ideo, quod Christum non recepere, illico *concremandis* cogitarunt. Luc. IX. 54. Atque *Petrus habens gladium eduxit eum & percussit Pontificis servum & abscidit auriculam ejus dextram*. Joan. XVIII. v. 10. sed novimus etiam, quid ad hæc Salvator: Illis nempe reposuit: *nescitis, cujus spiritus estis*. Hunc

vero

vero *gladium suum in vaginam mittere* jussit. Ex quo igitur spiritu violenta inquisitionis tribunalia deducemus, & quo jure gladium, quem Princeps Apostolorum reponere jussus est, Apostolorum successores resument? Quo jure a cervicibus avellent capita, dum Christus auriculam restituit? *Increpa in omni patientia & doctrina* II. ad Tim. IV. 2.

(*g*) Petebant seculo IV. Episcopi quidem Priscillianistas hæreticos ad necem, sed pro his ipsis fusæ confestim a S. Martino ad Maximinum Imperat. sunt preces, *ut sanguine infelicium abstineret, satis superque sufficere, ut episcopali sententia hæretici judicati Ecclesiis pellerentur*; de hac in veteri Ecclesia nunquam non observata mansuetudine, ipsa, quæ relaturi sumus, SS. Patrum testimonia nos magis convincunt.

(*h*) Quid enim? Frustrane aut non sat clare hac in parte locuti sunt Patres. Audiamus tantummodo quosdam.

1. Sanctum Cyprianum.

Interfici Deus jussit sacerdotibus suis non obtemperantes, judicibus a se ad tempus constitutis non obedientes: & tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circumcisio carnalis manebat: nunc autem quia circumcisio spiritualis esse ad fideles servos Dei cæpit, spirituali gladio superbi & contumaces necantur. Ep. V. ad Pompon. quem locum Cypriani bene notabis pro objectatione ab adversariis ex veteri testamento incassum petita.

2. Sanctum Chrysostomum.

Dominus probibet colligere zizania, ne simul forte cum zizaniis herbæ etiam tritici evellantur, quod dicebat, ut bella & effusionem sanguinis probiberet, nam si trucidarentur hæretici, atrox & irrevocabile bellum orbi inferretur — Non probibet conciliabula hæretica dissipare, ora obstruere, libertatem loquendi concedere, verum interficere atque trucidare. Hom. 47. in Matth.

3. Sanctum Augustinum.

Nullis BONIS *in Catholica Ecclesia hoc placet, si usque ad mortem in quemquam, licet hæreticum, sæviatur*. Contr. Crescon. L. III. C. 50. adde C. 2. XXIII. q. V. C. 1. 2. & 3.

(*i*) Ita sane deprehendimus scripsisse.

1. S. Gregorium Magnum.

Quid autem de Episcopis, qui verberibus timeri volunt, CANONES *dicant*, *bene fraternitas vestra novit. Pastores, enim facti sumus, non percussores, & egregius prædicator dicit, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Nova vero & inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem*. Apud Grat. Dist. 45. Can. 1. Adde lectu dignissimos ibid. Can. 3. 6. 8.

1. Clementem tertium.

Ut nullus invitos vel nolentes Judæos ad Baptismum venire compellat — QUIPPE CHRISTI FIDEM HABERE NON CREDITUR, QUI AD CHRISTIANORUM BAPTISMUM NON SPONTANEUS, SED INVITUS COGITUR PERVENIRE. *Nullus etiam Christianus eorum quemlibet sine judicio terrenæ potestatis vel occidere, vel vulnerare, vel suas pecunias auferre præsumat, aut bonas, quas hactenus habuerunt consuetudines, immutare, præsertim in festivitatum suarum celebratione quisquam fustibus, vel lapidibus eos nullatenus perturbet*, c. 9. de Judæis &c.

Novimus quidem aliter longe scriptum esse a Bonifacio VIII. in cap. 1. de major. & obed. Extrav. Com. Verum nos, qui nec quidem minus probabilem præ probabiliori sententia dictante ita sanæ rationis lumine absque omni pernicioso in laxissima praxi quærendo effugio tenemus, multo minus hanc, quæ Pontifici materialem exsculpit gladium, utpote rationi, sacris litteris, traditioni & non tantum relatis, sed quam plurimis aliis SS. Patrum testimoniis adversam, atque adeo aperte falsam unquam amplectemur. Oppone tantummodo præter relata, etiam illa S. Ambros. in Luc. XXIII. 49. Can. Apost. 26. Dist. XLV. Cap. 7.

(*k*) *Nulla alia in disciplina mutatio*, ait Fleury, *magis Ecclesiæ famæ nocuit, quam rigor contra hæreticos, aliosve excommunicatos exhibitus —— Candide fateor, quod facta virorum ecclesiasticorum in seculo XIII. cum moribus Sanctorum in seculo IV. conciliare nequeam, —— cum lego miserabiles a militibus sacris - maximo gaudio concremari, veræ Ecclesiæ mansuetudinem & spiritum non amplius dignosco. Porro quando hæreticorum vitæ non parcebatur, obstupescendi locus non est, quod bonis suis privarentur. Inde vidisti lector Gregorium VII. Suenoni, Regi Daniæ Provinciam opulentam, quam hæretici tenebant, obtulisse uni filiorum suorum loco patrimonii concedendam. Quasi vero ditiones hæreticorum jure primi occupantis acquiri legitime possent. Exinde Canonistæ regulam statuerunt, hæreticis non esse jus quidquam possidendi, nixi quibusdam locis S. Augustini a Gratiano relatis. Sed ad omnes hæreticos & ad omnia eorum bo-*

na

na extenderunt, quod S. Augustinus solum de Donatistis, de mulctis pecuniariis ipsis injunctis, & BONIS ECCLESIÆ, quæ restituere compulsi fuerant, affirmabat. Abjicite lectores Gratiani notas, synopsin & animadversiones novas, legite Authographum, & deprehendetis, nihil illud, nisi lenitatem & caritatem redolere, & de nulla alia re ibi agi, quam de Restitutione æquitati consentanea, & pœnis ad convertendos hæreticos medicinæ loco adhibitis — Diss. IV. in Hist. Eccles. unico ex hoc loco jam plura, quæ pluribus adversariorum objectionibus respondeas, in promptu habebis; sed audi eundem porro: *Equidem inquisitio non hæreticis solum, quos inquirebat, & persequebatur, sed orthodoxis adeo Episcopis & Magistratibus, quorum jurisdictionem diminuebat, ac privatis, quibus procedendi rigore terrorem incussit, invisa fuit. Iteratas hanc ob causam querelas vidisti, ac multas Pontificum constitutiones, moderandi hujusce rigoris ergo latas. Demum quædam regna Inquisitionem mox receptam eliminarunt, veluti Gallia, ac plura eandem nunquam susceperunt, quin Religio Christiana ibidem minus efflorescat, quam in iis regionibus, ubi inquisitio summam exerit auctoritatem. Testor illos, qui diversas has regiones perlustrarunt.* —— *Regiones, ubi inquisitio viget, laxissimis casuum doctoribus abundant.* Diss. VII. §. 13.

Sed etiam hactenus clarissimi Barthelii Scriptoris non minus *Catholici*, & Professoris Wurzeburgensis celeberrimi verba hæc: *Minus igitur succensendum esse aliis Regnis & provinciis ultramontanis, quod tribunal illud necdum adoptarint. Amarunt quippe pleræque nationes vel maxime Catholicæ suorum potius Episcoporum judicia hac in re experiri, quam extraneos judices extraordinarios, & non necessarios sibi super capita imponi, quos demum in tribunal ordinarium abituros esse metus non inanis fuerat. Reges & Principes non adeo affectabant peregrinis hominibus novæ jurisdictionis administris subditos suos derelinquere, imo ad horum internecionem absque ulla processus revisione famulitiam executionis operam commodare, de quibus timor fuerat, ne mandati regulas transgrediantur, culpasque ac suspiciones augeant, exaggerentque, ut fit, quod agant. Ipsi demum Episcopi, utut zelosi & Ecclesias suas omni labe hæreseos puras exoptantes, eidem tamen tribunali usque ab initio sese opposuerunt, scientes, quod mala, & incommoda, forsan hæresi ipsa non admodum minora, etiam in easdem Ecclesias suas induci possint per hypocrisin, superstitionem & ignorantiam, quæ ab immodico illo inquisitionis (si tamen vera sunt, quæ de Hispaniæ & Lusitaniæ Præsidibus feruntur) in suspectos præsertim exercendæ rigore vel nunquam, vel oppido difficulter separari posse iis videbantur. Præterea studuerunt potius doctrina solida populos instruere, rationibus congruis convincere, pastoribus ipsis sibi subordinatis invigilare, ac puritati potissimum moralis christianæ intendere, ne dissolutio morum in clero & populo aberrationem in fide induceret. Grave porro morali huic christianæ vulnus infligere videtur, ipsa illa in hæreticos præsertim suspectos tantum, & ex inordescentia in excommunicatione præsumtos, severitas; indeque si fides doctissimo* FLEURY *Disc. VIII. in Hist. Eccles.* §. 14. *sit habenda, nullæ terræ laxioribus Casuistis fæcundiores esse solent, ac illæ, in quibus tanto cum rigore inquisitionis tribunal est receptum. Pluribus denique aliis malis, seditionibus, & turbis publicis reipublicæ profanæ, imo & defectioni a fide Catholica, & Ecclesia Romana ansam & occasionem dare posse, imo dedisse, funestum nostris in partibus exemplum Batavi cum Provinciis Belgii fœderati exbibuerunt, qui vel solo inquisitionis a Rege Hispaniæ Philippo II. per Albanum Ducem armata manu introducendæ metu & a Regno Hispaniæ & a Religione Catholica desciverunt.* Tract. de Lib. Exercit. Relig. C. XI. §. 32. Quibus adnecti meretur illius Doctissimi Viri, qui sub nomine Lochstein inclaruit animadversio ista: *Ii, qui res temporales utpote absolute necessarias ad Christianam Religionem servandam considerant, se parum confidere in Divini Institutoris promisso monstrant, qui suam Ecclesiam usque ad consummationem seculi non deseret. Aut eorum exemplo, quo potissimum duci homines solent, doctrinæ, precibus & admonitionibus quandam efficaciam addere nesciunt. Aut ipsis hæc spiritualia media fortasse videntur pro ipsorum commoditate difficilia, adeo ut brevius velint seculari manu ictibusque homines ad spiritualem compellere obedientiam.* — *Fundamenta pro & contra spiritualem in re temporali Immunitatem. Secunda Indictio*, VIII. *Cap.* §. 7. Conf. Cl. de Riegger loc. cit. §. 245. usque 247. 284. 322. usque 329.

§. 475. Quæ quidem non in Religionis ipsius inversionem tendunt, attamen semper divino adversantur cultui (*a*) ex iis maxime omnium ecclesiasticam coercendi potestatem contra fideles excitant I. Blasphemia (*b*), II. Perjurium (*c*), III. Accessus mentis ad satanam cum conatu & fiducia aliquid ab eo obtinendi (*d*), IV. Simo-

nia (*e*), V. Sacrilegium; id quod *proprie* consistit in furto rei sacræ seu ejusmodi, quæ *immediate* ad cultum Dei destinata est (*f*) in *sensu* autem *ampliato* cunctas *sacrorum* violationes (*g*) nec non eas, quæ personis Ecclesiasticis cum gravi earumdem contemtu inferuntur (*h*) læsiones complectitur (*i*).

(*a*) Conf. supra §. 2. n.d. ubi cuncta, quæ interno externoque Numinis cultui repugnare ipsa sana ratio agnoscit, enumerata habes.

(*b*) Blasphemia est *dictum* vel *factum* in contemtum Dei seu *immediate* seu *mediate* (ducto scilicet argumento, aut per *interpositam personam*, veluti Virginem *Deiparam sanctosve*) & quidem jam majore jam minore atrocitatis gradu admissum. Unde jam facile colligere licet & varias Blasphemiæ species, & ipsius Blasphemiæ divisiones. Quibus merito quidem addenda est illa in Blasphemiam *simplicem* & *hæreticam*; quam dogmata excellentiis, proprietatibus & actionibus Divinæ naturæ detrahentia conficiunt. Verum ipsa ejusmodi hæretica Blasphemia ad delicta §. priori relata spectat; canonicas hujus criminis pœnas continet C. 10. XXI. quæst. 1. & C. 2. de Maled. Conf. Cl. de Riegger Lib. V. Decret. §. 384. & seq.

(*c*) *Perjurium* stricte sumtum est violatio juramenti rite præstiti. In id crimen non minus ac *Pejerationem* seu mendacium juratum (dum scilicet ejusmodi, qui sciens falsum dicit, se verum dicere jurat) nec non in eos, qui alios ad perjuria sollicitarunt, speciales Canonicæ pœnæ statutæ sunt. Can. 12. Distin. LXXXI. Can. 9. III. qu. 5. Can. 17. 18. VI. qu. 1. Can. 7. XXII. q. 4. Cap. ult. de temp. Ordin. Cap. 54. de Test. Conf. Cl. de Riegger l. cit. §. 386. & Cl. de Martini de lege Nat. posit. 548.

(*d*) Eo sane *Magiam* quam lubentissime admittimus, neque ullus negare potest, dari homines ejusmodi, qui diaboli vires & auxilium implorant, & conatu serio quidem, attamen irrito, commercia & pacta cum eodem inire ideo attentant, quod arbitrantur, suorum desideriorum, quibus in honores opes libidinem vindictam aliaque feruntur, expletionem sese ita obtenturos. Quid autem? Anne hoc crimen solo mentis accessu committitur, an non perversi ejusmodi homines perniciosissimis externis utuntur mediis? Profecto utuntur, atque ideo etiam eorum mentem cum *conatu* ad Satanam accedere diximus. Verum is ipse conatus ad producendos supernaturales effectus irritus est, atque si naturali & humano modo inde sequantur læsiones, istæ utique non ab arte quadam *magica* provenisse dici poterunt, sed quantumvis ille ad satanam mentis accessus valde delictum atque pœnam gravet, aliarum læsionum instar debebunt animadverti. Quod autem omnis ejusmodi tam stupidorum quam perversorum conatus ad quid arte magica seu ope diaboli obtinendum omnino sit irritus, si etiam non philosophemur, satis nos edocet

1. *Sacra Scriptura*, in qua legimus:

Sta cum incantationibus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, SI FORTE QUID PROSIT TIBI, AUT SI POSSIS FIERI FORTIOR. Isai. XLVII. 12.

Non erubescit loqui cum illo, qui sine anima est, & QUI IN OMNIBUS EST INUTILIS. Sap. XIII. 17.

Idola NEC MALE *possunt facere*, NEC BENE; Jerem. X. 5. Isai. VIII. 19. IX. 22. I. Reg. XV.

Ventus enim & INANE *sunt simulacra idololatrarum*. Isai. XLI. 29. I. Cor. VIII.

Prophetæ, qui IN PECUNIA DIVINABANT. Micheæ III. 11.

Et magicæ artis appositi erant derisus, & sapientiæ gloriæ correptio cum contumelia. Sapient. XVII. 7. Id quod contigit maleficis, quos contra Moysis miracula vocavit Pharao, Exod. VIII. 18. IX. 11. & quorum igitur imposturas cur a vero dæmonis concursu repetamus, nobis ratio non patescit. Atque ita universe, si IV. Reg. XXI. 23. Deut. XIII. 5. Isai. XLIV. 15. aliaque Scripturæ loca consulimus, de magia non quasi ea vere aliquid præstari posset, sed quod fallaciam, & malitiam comprehendat, nobis textus loquuntur. Hæc sane fallacia, atque malitia, nec non generatim superstitiones sub gravissimis ibidem prohibentur pœnis, quin propterea tantæ fallaciæ, malitiæ, atque superstitionis sectatoribus etiam tantas ope dæmonis quid præstandi vires fuisse inde deduci queat. Novimus quidem ulteriora magiæ patronorum refugia, scilicet ad I. Reg. XXVIII. 7. quo loco legimus Per *Pythonissam* in Endor suscitatam esse Samuelis animam, porro ad Isai. XXVIII. 15. ubi fit mentio eorum, qui cum inferno fecerunt *pactum*; denique Matth. IV. 1. & seq. qui de ipso Salvatore nostro a satana tentato habent. Enimvero non Pythonissæ viribus magicis, sed eidem & Sauli occulta Dei dispensatione Samuel sese Regi perhibuit. *S. Thom.* 20. qu. 95. art. 4. ad 2. Atque de iis, qui relicto Deo perversas gradiuntur vias, quod *cum inferno & morte quasi paciscantur*, emphaticus est sacræ Scripturæ tenor, sic S. Paulus ad Cor. X. 20. idololatras adpellavit *dæmoniorum socios*, sic ad Ephes. II. se ipsum olim cum dæmone per desideria carnis conversatum esse scribit. Quod demum *Christus ad ostendendam divinitatis suæ*

suæ gloriam extra omnem ordinem constituit, ex eo regulam & naturalem rerum ordinem construere ab omni ratione prorsus alienum est. Cl. de Riegger l. c.

2. CANONES.

Illud non est omittendum, quod quædam sceleratæ mulieres retro post satanam conversæ dæmonum ILLUSIONIBUS & PHANTASMATIBUS *seductæ credunt, & profitentur, se nocturnis horis cum Diana Dea Paganorum, vel cum Herodiade & innumera multitudine mulierum* EQUITARE SUPER QUASDAM BESTIAS *& multarum terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, ejusque jussionibus velut dominæ obedire, & certis noctibus ad ejus servitium evocari. Sed utinam hæ solæ in* PERFIDIA *sua periissent, & non multos secum ad* INFIDELITATIS *interitum pertraxissent. Nam innumera multitudo hac* FALSA OPINIONE *decepta hæc vera esse credunt, & credendo a recta fide deviant, & errore* PAGANORUM *involvuntur, cum aliquid divinitatis, au numinis extra unum Deum arbitrantur. Quapropter* SACERDOTES *per Ecclesias sibi commissas populo Dei omnia instantia* PRÆDICARE DEBENT, *ut noverint hæc omnino* FALSA ESSE, *& non a divino, sed a maligno spiritu talia* PHANTASMATA *mentibus fidelium irrogari — cum* SOLUS SPIRITUS *hoc patitur, infidelis mens hoc non in animo, sed in* CORPORE *evenire opinatur.* QUIS ENIM NON IN SOMNIIS ET NOCTURNIS VISIONIBUS EXTRA SE EDUCITUR, ET MULTA VIDET DORMIENDO, QUÆ NUNQUAM VIDERAT VIGILANDO? *Quis vero tam stultus & hebes sit, qui hæc omnia, quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitrentur? --- Omnibus itaque publice annuntiandum est, quod, qui talia & his* SIMILIA *credit, fidem perdit: & qui fidem rectam in Domino non habet, hic non est ejus, sed illius, in quem credit, id est, diaboli. Nam de Domino nostro scriptum est,* (OMNIA PER IPSUM FACTA SUNT, &c.) *Quisquis ergo aliquid credit posse fieri, aut aliquam creaturam* IN MELIUS *aut* IN DETERIUS IMMUTARI, *aut* TRANSFORMARI IN ALIAM SPECIEM, VEL SIMILITUDINEM, *nisi ab ipso Creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, procul dubio infidelis est, & pagano deterior.* Can. 12. XXVI. Quæst. 5.

Nec ideo quisquam credere debet, quoslibet magicis artibus aliquid facere posse sine permissu Dei (quia omnia, quæ fiunt, aut justo judicio facit, aut permissu suo ita fieri sinit) quod prædicti magi leguntur similia fecisse Mosi, qui virgam suam projecit, & conversa est in draconem, projeceruntque ipsi singulas virgas suas, quæ versæ sunt in dracones, sed devoravit virga Mosis virgas eorum. NON ENIM FUERUNT CREATORES DRACONUM, NEC MAGI, NEC ANGELI MALI, QUIBUS MINISTRIS ILLA OPERABANTUR. INSUNT ENIM REBUS CORPOREIS PER OMNIA ELEMENTA MUNDI QUÆDAM OCCULTÆ SEMINARIÆ RATIONES, QUIBUS CUM DATA FUERIT OPPORTUNITAS TEMPORALIS, ATQUE CAUSALIS, PRORUMPUNT IN SPECIES DEBITAS SUIS MODIS ET FINIBUS: ET SIC NON DICUNTUR ANGELI, QUI ISTA FACIUNT, ANIMALIUM CREATORES, *sicut nec agricolæ segetum, vel arborum, vel quorumcumque in terra gignentium creatores dicendi sunt, quamvis noverint præbere quasdam visibiles opportunitates, & causas, ut illa nascantur. Quod autem isti faciunt visibiliter,* HOC ILLI INVISIBILITER. *Deus vero solus est creator, qui causas ipsas & rationes seminarias rebus inseruit.* Ibid. c. 14. adde Can. 1. 5. 9. nec non Q. 7. Can. 14. 16. & 17.

3. SS. PATRUM.

Quorum *plurimi* magiam, ceu perniciosa gentilium mendacia & fraudes depingunt, ut patet ex verbis S. CHRISOSTOMI: *Omnis hæc observatio paganismi est*. Can. 13. XXVI. q. 7. & S. CLEMENTIS ALEXANDR. *Hæc omnia verissime delusiones erant hominum*. Admonit. ad gent. 2. Aliqui in detegendis magorum fraudibus difficultatem & periculum deprehendentes transmissa factorum singularium veritate satis esse putabant, ut gentibus ostenderent, ipsorum Deos, quorum ope se operari dicebant magi, non alios, quam dæmones esse posse juxta illud quod ait EUSEB. de præpar. Evang. V. 7. *Neque vero nostram hanc orationem esse putes, quippe qui nihil istorum a nobis intelligi aut experiri fatemur. Quid enim dicemus magiam, quod omnes pene fallaciam?* TERTUL. de anim. cap. 57. 8. Alii scripta sua illorum temporum præjudiciis accommodarunt, quin tamen *ausi fuerint aliquid temere definire*. S. AUGUST. de Civit. Dei XV. 23. sic & S. GREGORIUS M. procœ. l. I. Dialog. *protestatur, quod ejusmodi ex narratione virorum venerabilium hauserit*. 4. Nonnulli *calentibus adhuc Rhetorum studiis atque doctrinis quædam scholastico flore devinxerunt*, veluti ipse S. HIERONYMUS de se in Epist. ad NEPOTIAN. fatetur. 5. Denique alii quidem ipsi hisce rebus fidem adhibuisse videntur. Sed neque *quorumlibet disputationes*, ait S. AUGUSTINUS, *quamvis Catholicorum & laudatorum hominum, velut scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare*, atque

atque respuere, *si forte invenerimus*; *quod aliter senserint*, *quam veritas habet*, *divino adjutorio*, *vel ab aliis intellecta*, *vel a nobis*. Dist. IX. c. 10. Atque præcedente ibidem c. 5. idem S. Pater ait: *Alios autem ita lego*, *ut* QUANTALIBET SANCTITATE, DOCTRINAQUE *polleant*, *non ideo verum putem*, *quia ipsi ita senserunt*, *sed quia mihi per alios auctores vel Canonicas*, *vel probabiles rationes*, *quod a vero non abhorreat*, *persuadere potuerunt*.

4. CONCIL. *Bracarens.* I.

Quod Can. 8. *Si quis credit*, *quia aliquantas in mundo creaturas diabolus fecerit*, *&* *tenitrua & fulgura*, *& tempestates*, *& siccitates ipse diabolus sua auctoritate faciat*, *sicut Priscillianus dicit*, *anathema sit*. Apud Harduin, Tom. III. Col. 340.

5. *Antiquissimæ leges civiles.*

Quæ statuerunt de ejusmodi, qui magiæ rei postulari sunt,

Ne perdant vitam, *sed salventur in carcere afflicti usque dum Deo inspirante spondeant emendationem peccatorum*. Capitul. Caroli M. II. de a. 805. c. 25.

Et faciant pœnitentiam de his INCLITIS PRÆSUMTIONIBUS. Capitul. Pipini de a. 793. c. 31. Conf. Baluz. Tom. 1. col. 150. 174. 961. 428. 539. 251. 234. 1143. 1287. ubi cumprimis in oculos incurrent verba hæc: *Ferunt suis maleficiis aera posse conturbare*, *& grandines immittere*, *futura prædicare*, *fructus & lac auferre*, *aliisque dare*, *& innumera a talibus fieri dicuntur*. — SED DIVERSA FINGUNTUR SOLUMMODO PORTENTA.

6. *Testimonium virorum experientissimorum*.

Quorum unus instar omnium valet *P. Fridericus Spee*, quandoquidem ipse tot sagis ad rogum ductis adstitit, & tamen fatetur: *se quidem nullam ad rogum duxisse*, *de qua omnibus consideratis prudenter statuere potuerit*, *esse ream*. dub. XXX. in fin. aurei libelli, quod sub nomine *Theologi Romani*, & hac cum inscriptione *cautio criminalis*, *seu de processibus contra sagas*, prodiit Rinthelii 1631. Ex quo non referre non possum hæc porro ejusdem verba: *Omnino sentio cum ornatissimo quodam Viro*, *& amico meo*, *qui sic loqui solet*, *lepide & vere*: *quid*, *inquit*, *tam sollicite maleficos quærimus*? *Heus*, *inquit*, *judices*! *ostendam extemplo*, *ubi sint*! *agite*, *rapite* — — *Religiosos omnes*, *& torquete*, *fatebuntur*: *si qui negant*, *repetite ter quater*, *fatebuntur*; *si adbuc obstinati sunt*: *exorcisate*, *detondite*: *utuntur maleficio*, *obdurat eos dæmon*, *vos procedite*: *tandem dabunt manus* — *quod si adbuc plures vultis*, *vos ipsos ego torsero*, *& me vos deinde*, *non diffitebor*, *quod vos fassi eritis*, *sic omnes magi sumus*. Dub. XX.

7. *Elegantissima doctissimorum virorum opera*.

Inter quæ præter libellum nunc ante citatum eminet *Clariss. Francis. Constant. a Cauz* præstantissimum opus *de cultibus magicis*, *eorumque perpetuo ad Ecclesiam & Rempublicam babitu*, 1768. dein auctius 1771. sed & vide elegantissimam dissertationem, quam anno 1773. celeberrimus noster de Riegger hac eadem de materia in lucem dedit. Imo jam satisfaciet tibi ejusdem L. V. Decret. §. 388. usque 436. ubi & cunctas illas magiæ species percurrit, & hisce, quæ retuli, pluribusque solidissimis argumentis pro summa sua eruditione demonstrat universam magiam esse *paganæ superstitionis consectarium in Religionem christianam infeliciter traductum*, & a veteribus christianis hoc crimen esse habitum tanquam *mixturam ex idololatria*, *beresi*, *apostasia*, *sacrilegio*, *bypocrisi*, *curiositate*, *ambitione*, *bomicidio*, *veneficio*, *stellionatu*, *aliisque delictis conflatam*. Profecto dum magiam ipsi Ethnici *irritam*, *inanem*, ac *ridicula superstitionis opera* dixere, deprehendentes etiam *in iis*, *quæ umbram veritatis babent*, *non magicas*, *sed veneficas artes pollere*. Plutarch. lib. de superstit. Plin. Hist. nat. l. XXX. c. 2. Cicero de divinat. An nos *repleti in Christo*, *qui est caput omnis principatus & potestatis*, qui plane illam satanæ *potestatem*, cui quoad æternam mortem per peccatum invectam subjiciebamur, in cruce *triumpbans expoliavit*, nescio quibus omnibus magorum a dæmone obtinendis viribus fidem adhibebimus? an nos jura edocti, vel concipere poterimus *expressum*, *tacitumve pactum*, ex quo, dum de re *physice* aut *moraliter impossibili* fieret cum dæmone, jus atque obligatio nasceretur?

8. *Reflexio ad illa tempora & loca*, *quæ sagis plena fuerant*.

In illis sane temporibus & locis, in quibus tanta sciebantur de sagis, parum omnino sciebatur de litteris. Quidquod omni tempore hujusmodi potissimum ruri & inter ignaram plebem deprehensæ fuerant? Paucis! una cum crescente cultiorum scientiarum flore criminalium in sagas processuum numerus adeo decrescebat, ut dum priore seculo iisdem reponendis integræ non sufficiebant cameræ, moderno tempore unicum hic atque illic scrinium nil nisi *rubricam* habens conspiciatur.

9. *Te-*

9. *Testimonium antiquissimorum recentiorumque artis medicæ peritorum.*

Qui magos aut *arrogantes* adpellant *ostentatores*, aut tanquam *fanaticos Enthusiastas melancholicos* morbis *hypochondriacis*, & quadam *dementia* affectos *medicamentorum* potius quam *legum* feveritate tractandos esse existimant. Conf. Hypocrates de morbo sacro.

Quæ omnia probe perspexit *cæsarea* ad codicem criminalem *Theresianum*, quem nunc habemus; conficiendum tum constituta *commissio*, & qui ad hanc compilationem sua sensa, atque elaborata commissioni *referenda* habuit *Perillustris ac Doctissimus noster Josephus de Holger, J. U. Dr. & S. C. R. M. in supremo judiciorum Tribunali a Conciliis Aulicis*, Vir vere ingenuus, & tam litterariorum generatim, quam juridicialium meritorum plenissimus.

* Absit autem, ut negemus 1. *insidias diaboli adversarii nostri, qui tamquam leo rugiens circuit, quærens quem* a recta fide & religionis semita, atque adeo a Deo per peccata alienatum *devoret*. Ad Ephes. VI. 11. 1. Petri V. 8. Quibus insidiis etiam utroque hoc citato loco *Dei armatura & fortitudo in fide* opponenda esse dicitur. 2. Ut negemus illos speciales voluntatis divinæ concursus (ex quibus autem, vel ideo non generalis permissio Dei, utpote eidem, quem constituit, naturæ ordini sese accommodantis deduci potest) quandoquidem ejusmodi, quæ ad ostendendam suam in dœmonem potentiam & fidem miraculis firmandam speciatim fieri *Christus* permisit, Matth. VIII. 16. 28. & sequ. Marc. I. 32. V. I. Luc. VIII. 26. relata deprehendimus.

(*c*) De simonia cumprimis hæc sunt, quæ notes:

1. Eam esse *permutationem spiritualium cum rebus temporalibus*, seu potius, ut omnes simoniæ species, de quibus dicendum est, comprehendamus, *actum quemcumque eo conatu positum, ut per temporale obtineatur spirituale*, & ita dictam, quia insigniter ejusdem reus fuerat ille *Simon Magus*, qui potestatem conferendi dona Spiritus sancti sibi pecunia ab Apostolis comparare volebat. Actor. VIII. 14. seq. ut scilicet *ex venditione signorum, quæ dein per eundem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur*. Canon 8. §. Cauf. I. 1. q. 3.

2. Malitiam hujus criminis non tantum nobis declarari per ipsum a S. Petro Simoni Mago datum responsum: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam* DONUM DEI *existimasti* PECUNIA POSSIDERI. Porro 1. ad Timoth. VI. 5. & tot loca SS. Patrum, nec non Canones, qui id *execrabile flagitium, detestabile scelus, lepram spiritualem, capitale crimen, pestem, hæresin, & thesaurum criminum* compellant; sed ipso etiam innotescere rationis lumine, quandoquidem *spiritualia*, seu ejusmodi; *quæ directe & primario ad virtutem, & æternam animæ salutem procurandam comparata sunt*, æquiparare rebus profanis, & pecunia parabilibus injuria est toti illorum *naturæ*, illorumque auctori Deo adversa. Atque hinc etiam nullum sanæ rationis dubitare posse, simoniam *proprie talem* crimen esse *jure divino*, tam naturali, quam positivo prohibitum.

3. Dici quidem *jure ecclesiastico* simoniam quoque ejusmodi contractum, quo res *spiritualiter annexæ* cum aliquo commutantur temporali. Verum cum illæ ipsæ res, quæ spiritualibus tantummodo annexæ sunt, temporales maneant, atque adeo, si modo *spirituale* non simul in permutationem & augendum propterea pretium veniat, haudquaquam earumdem cum temporalibus commutatio involvat *repugnantiam*, *impropriam* hanc simoniæ adpellationem facile adparere. Sunt quidem, non negamus, illiciti actus etiam illi, quibus res spiritualibus annexæ aliter, ac earundem moderatores velint, alienantur. Sed cur non sub illicita ad alienationum genus proprio potuissent suo nomine vocari; quæ quæso nomen istud, quod ejusmodi alienationum *speciei* maxime detestabili tantummodo proprium est, generatim ad species alias non sine multarum idearum confusione protrahendi necessitas adfuit?

4. Consequi ex definitione ipsa simoniæ, ut eadem non adsit, nisi 1. spirituale, 2. res temporalis, 3. actus quiscumque eo conatu positus, ut spirituale per temporale obtineatur, intercedat.

5. Apertum Simoniæ pallium esse *sustentationis* titulum, cum ex eo, quod minister altaris de altari vivere possit, haudquaquam deducere liceat: sacra *solventibus* ministranda, *non solventibus* autem neganda esse; juxta illud, quod *gratis accepistis, gratis date*. Matth. X. 8. Tuta sane conscientia ille, qui altari servit, acceptat ea, quæ a fidelibus ultro offeruntur, imo fideles ipsi, & civiles eorumdem Rectores cuivis Religionis ministro de sufficiente sustentatione prospiciendi obligatione summa in conscientia tenentur. Quemadmodum supra (§. 123. n. b.) late demonstravi. Quidquod Religionis ministri *generatim* ejusmodi sufficientem sustentationem postulandi, atque hac penitus non obtenta *pulverem de pedibus excutiendi*, & necessariæ suæ conservationis causa alio *fugiendi* jus lege divina & positiva & naturali fundatum habeant? Matt. X. 14. 23. Luc. X. 10. 11. Attamen quomodo vel inde vel ex exemplo Christi & Apostolorum argumentum

tum formare licebit: etiam tum, quando sufficiens adest sustentatio, aut quando etiam unus alterve fidelium suæ ejusmodi obligationi non satisfacit, vel plane satisfacere nequit, eundem, nisi quid titulo *sustentationis* adferat, sacrorum perceptione esse excludendum: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos?* ait Apostolus, I. ad Cor. IX. verum subjungit illico: *sed non usi sumus hac potestate, sed omnia* SUSTINEMUS, *ne quod* OFFENDICULUM *demus Evangelio Christi — — Bonum est enim mihi magis mori quam ut gloriam meam quis evacuet — — ut Evangelium prædicans sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio*. Neque adfer quæso canones *consuetudinem* hac in parte probantes. Consuetudinem fidelium ultro offerentium, non autem consuetudinem sacramenta iis tantum, qui *exactam* portionem, aut pensionem solvunt, ministrantium iis canonibus, si recte inspicias, probari deprehendes. Vide Can. 1. I. qu. 2. Ex his autem statim simul concludere licebit, quid sentiendum de illorum in religiosum ordinem susceptione, qui si titulo sustentationis nihil adtulissent, certe non fuissent suscepti. Potius est, ut hac in parte non ipsi verba facientes, adferamus verba Canonum: *Simoniaca labes adeo plerasque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores* PRÆTEXTU PAUPERTATIS *volentes hujusmodi vitium palliare*. Cap. 40. de simon. adde C. 8. ibid. & Cap. 2. de statu Monach. quibus conformatum est hoc S. BONAVENTURÆ axioma: *penitus impurum est, ut personam recipiant amore pecuniæ, ita ut si possent pecuniam habere sine persona ista, non reciperent personam, sed ut habeant pecuniam, recipiunt personam*. Sed quid si monasterium inops? Profecto etiam in his exactiones titulo sustentationis obtinere nequeunt, dum C. 1. de institut. Cap. un. §. 4. de stat. Regul. in VI. Concil. Trid. sess. XXV. C. 3. de Regul. statutum habetur, ut non unquam suscipiantur plures, quam de bonis Monasterii sine penuria sustentari possunt.

6. Inanes hinc quoque esse titulos, 1. *Redemptiones altarium*, 2. *pactum non de professionis religiosæ, sed juris hæreditarii per religiosum in monasterium transfusi pretio*. 3. Si quid detur non per modum pretii, sed *motivi* tantummodo. 4. Redemtionem *vexæ*, si jus dubium sit. Enimvero *quisquis alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*. Can. 7. I. q. 3. Incassum igitur Simoniam effugiunt illi, qui beneficium ea conferunt lege, ut saltim pro jure percipiendi proventus temporales ipsis quidquam solvatur. Speciatim autem redemptio altarium tot canonibus proscriptus abusus est eorum Episcoporum, qui monasteriis possessionem Ecclesiarum & redituum beneficialium a laicis oblatam ita concessere, ut Vicario deinde quocumque mortuo certa ipsis persolvatur pecuniæ quantitas. Can. 4. I. qu. 3. Quod pactum de jure hæreditario adtinet, quis quæso non hic simoniæ pallium conspicit? Quid enim? Si Monasterium neque *sustentationis* titulo, ut paulo ante vidimus, aliquid exigere potest, quo jure sub spe hæreditatis & quidem cum pacto circa eandem quemquam inter suos recipiet? Advertit profecto rectissime Cl. noster de Riegger hoc casu a monasteriis Simoniam committi æque, ac *committitur ab eo, qui beneficium proximo cognato ea lege confert, ne unquam collatori suo spem hæreditatis legitimæ intervertat*. Nihil denique interest, num per modum pretii aut motivi quidquam dari supponas, sufficit enim, *si is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri: sine dubio tam ille, quam isti apud districtum judicem, qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum, culpabiles judicantur*. Cap. 34. de Simon. Hinc etiam Can. 9. I. q. 3. omnes istæ reprobantur largæ eleemosynæ, quæ aut in ædificationem ornamentumque templi, aut in sustentationem alicujus familiæ monasteriive, ut conferendi beneficii sint motiva, dispensantur. Addidi circa redemptionem vexæ, *si jus dubium sit*. Ita nimirum semper jus spirituale, quod quis antea certum non habuit, temporali comparatur pretio. Secus igitur est, si quis jam antea certo nitatur jure, & non nisi motam sibi ab iniquo litigatore controversiam, aut injuriam rei cuicumque spirituali ab impiis imminentem temporali quodam medio, neque rei spiritualis æstimationem neque adquirendum sibi lucrum respicipiente, depellat. C. 28. de Elect.

7. *Munera*, quibus rei spiritualis comparatio intenditur, posse non tantum venire a *manu*, si scilicet quispiam quidcumque largiatur ex iis, quorum dominio gaudet; verum etiam a *lingua obsequiove*. Hoc sane contingit, dum obsequium quodcumque exhibetur ea aut expressa aut tacita conditione, ut data occasione hujus ipsius obsequii intuitu obtineatur beneficium. Illud autem, si quis ad preces alterius beneficium eo confert animo, ut sibi hac ratione aut impetrantis gratiam, aut per eundem alterius cujusdam favorem vel conservet, vel consequatur.

8. Simoniæ formam consistere in permutatione eo modo eoque fine facta, ut temporali pretio vel motivo spirituale quidquam compa-

re-

retur, atque adeo non abesse simoniæ labem, si quis fortassis ficta rei temporalis promissione rei spiritualis compos redditur. Enimvero usque verissimum manet ex temporalis lucri motivo collationem rei spiritualis esse consecutam.

9. Dividi Simoniam 1. in *mentalem*, quæ non inde nomen habet, quasi in sola de committendo Simoniæ delicto cogitatione consisteret, sed quæ supponit quemquam vere jam aliquid temporale eo fine offerentem aut dantem, ut alter ita ad spirituale reddendum moveatur; quin aut vicissim consentiat alter, aut hanc dantis intentionem animadvertat. Profecto si reciprocum dantis & accipientis pactum deposcis, Simonia a Simone Mago commissa esse haud dici poterit. 2. *Conventionalem*, & quidem vel *puram*, si neutra ex parte pactum impletum, vel *mixtum*, si traditio ex alterutra tantum parte secuta sit. 3. *Realem*, ubi traditio utrinque accessit.

10. Simoniam, quam dicunt confidentialem, propterea toto canonico jure non memorari, quia speciatim grassari posterioribus demum temporibus cœpit. Significatur autem hoc nomine ea Simoniæ species, quæ committitur ab iis, qui beneficium ea cum *confidentia* & lege in alterum transferunt, ut hic modica pensione contentus maiorem iis reddat redituum partem. Quod sane a Simonia ipso divino jure prohibita excusari nullatenus potest. Contingit autem *Confidentiale* pactum in beneficiis etiam alio modo, & quidem triplici, scilicet cum reservatione vel accessus vel ingressus vel regressus (§. 451. n. c.) Patet in has Simoniæ species non incurrere eum, qui beneficium simplex sibi oblatum ea acceptat conditione, ut intra statutum tempus aut legi residentiæ se subjiciat, aut si id fieri nequit, iterum beneficio renunciet, neque illum etiam, qui ob ægritudinem aut aliam justam causam resignaturus, de proventibus beneficii quidquam ad sustentationem sibi cum eorum, ad quos dispositio ejusmodi pertinet, consensu decernendum postulat.

11. Etsi ceterum *ipse corpora* consecratione vel benedictione affecta & quidem ad usus sacros *integra*; ad profanos autem prius *confracta* emi & vendi queunt, (modo consecrationis aut benedictionis intuitu non augeatur pretium) *oleum & chrisma consecratum* tamen nulla ratione permutari sinunt Canones 102. 105. 106. I. q. 1. C. 36. de Simon.

12. Quantum Ecclesia hoc abominetur crimen, ejusdemque vel umbram horreat, satis posse colligi inde, quod 1. eum, qui vix Monachus factus, in Abbatem electus est, præsumit simoniace electum, donec ab hac se purgaverit præsumtione. C. 37. 38. de Elect. 2. in ordinationibus nec sponte oblatorum acceptionem Concilium Tridentinum permittit. 3. Etiam is, qui aliquid temporale pro sui ordinatione electione vel susceptione datum esse ignorat, exercendi ordinis, retinendi beneficii, locive in monasterio adquisiti non habetur capax. C. 25. 26. de Simon: nisi in fraudem & odium promoti. C. 27. ibid. aut ipso expresse contradicente. Cap. 33. ibid. in factum esse constet.

13. Canonicas Simoniæ pœnas non quidem in eam, quæ *mentalis* est, statutas haberi C. 4. & 34. de simonia; *conventionalem* autem non solum *mixtam*, verum etiam *pure talem* iisdem cum *Reali* subjacere coercitionibus. Enimvero non tantum ad *data*, sed ad *promissa* quoque collineant. C. 5. I. q. 3. C. 37. 45. de Simon. Concil. Trid. Sess. XXIV. Cap. 14. de Reform. sed & hoc notandum est generatim, in casu Simoniæ vel circa ordines vel beneficiorum collationem vel ingressum in Religionem commissæ, pœnas a canonibus statutas & ordinarias *ipso facto*; in casibus reliquis *accedente judicis sententia* incurri.

14. Speciatim Simoniæ pœnas esse istas, ut si committatur,

1. Circa ordines; *ordinatus* ab ordinibus aliis suscipiendis & susceptorum exercitio; *ordinans* autem a collatione ordinum quorumcumque & cunctorum pontificalium executione suspendatur, cap. 37. 45. de Simon Cap. 2. ibid. Extravag. Com. Quæ pœna est latæ sententiæ, atque hinc quidem gravior in hoc *illa antiqua depositionis pœna*, quæ ferendæ tantummodo erat Sententiæ; mitior tamen eatenus, quatenus non æque ac depositio loco ratione ordinis debito privat.

* Ipsarum hujusmodi ordinationum valorem. Can. 107. 108. I. q. 1. nec non communi theologorum doctrina comprobatum deprehendimus.

2. Circa beneficia & dignitates Ecclesiasticas. Omnis provisio per electionem, præsentationem aut aliam dispositionem simoniace facta & sit ipso jure nulla, & *provisum* tam ad idem beneficium, etsi de novo obtinendum, quam ad alia beneficia reddat inhabilem. Cap. 12. 59. de Elect. C. 27. de Sim. Quapropter fructus, qui ex beneficio simoniace obtento mala fide percipiebantur, omnino restitui debere non obscurum est corollarium. Cap. 2. de Sim. Extrav. Com. Constit. Pii IV. *Romanum* & Pii V. *Intolerabilis*.

3. Circa ingressum in Religionem *Professus simoniace* in eo monasterio manere nequeat; imo si sponte, ut reciperetur, pecuniam dedit, in arctius detrudatur monasterium. C. 19. 25. de Simon. Cap. 1. ibid. Extravag. com.

Prælatus regularis de Simonia condemnatus deponatur. Cap. 30. ibid. *Universitates & conventus* hac in parte delinquentes suspensionem ab omni officio, administratione jurisdictionis, executione juris capitularis, summo Pon-

Pontifici reservatam ipso facto incurrant. Cap. 1. 2. de Simon. Extravag. com.

* His pœnis generatim non tantum *manifestam* sed *occultam* quoque Simoniam subjici; porro in mediatores æque ac authores his Simoniæ casibus excommunicationem, quæ extra mortis articulum a solo summo Pontifice tolli potest, esse decretam, edocent nos C. 20. 37. de Simon. C. 1. & 2. ibid. Extravag. com.

15. Quemadmodum nulla dispensatio efficere potest, ut, quod naturaliter & intrinsece turpe est, reddatur licitum, ita quoad Simoniam jure divino prohibitam non unquam ulli etiam Pontificiæ dispensationi fore locum.

16. Aliud autem dicendum de pœnis simonia commissa sustinendis. Etenim in his Ecclesiæ necessitas aut utilitas *adgratiationem* subinde etiam postulabit. C. 2. 3. I. q. 5. Et tum quidem hodierno more in casibus *occultis*, quibuslibet dispensat Episcopus, in *pubblicis* solus Papa. Concil. Trid. Sess. XXIV. C. 16. de Ref.

17. Delictum Simoniæ non tantum, quatenus peccatum est, sed etiam quatenus inhabilitatem ad sacrorum exercitium, beneficiorum retentionem, valorem religiosæ Professionis, aliosque ecclesiasticos effectus involvit, & canonicis animadvertitur pœnis, profecto proxime Ecclesiastico subesse tribunali. Attamen cum hæc omnia non obstent, quominus is, *qui est Minister Dei, & vindex in iram, ei, qui malum agit*, & Canonum observantiam urgeat, & civili etiam roboret sanctione, uti satis alibi jam demonstravimus, hinc & quoad quæstionem facti & quoad civiles pœnas competens etiam esse seculare forum, nullus, qui non angusti est ratiocinii, negaverit.

Conf. Cl. de Riegger, loc. cit. §. 339. usque 384.

(*f*) Perinde est seu res sacra ex loco *etiam sacro* seu *non sacro* auferatur; perinde, an locus sacer *publicus privatusve* sit. Cap. 21. XVII. q. 4. Lib. 6. pr. L. 9. §. 1. ad L. Jul. pecul.

(*g*) Quales sunt, quando 1. sacerdotibus in Ecclesia rem divinam facientibus, aut cultui ipsi vel loco aliquid injuriæ infertur. 2. Sacramenta, indigne ea suscipiendo administrandove profanantur. 3. Demoliuntur, aut disripiuntur ipsa sepulchra, 4. infringuntur, vastantur, aut incenduntur monasteria & loca Deo dicata. 5. Res Ecclesiasticæ usurpantur. Ad Ecclesiasticarum rerum usurpatores autem, quin hoc ipso sacrilegium committatur. L. ult. Cod. de Priv. cor. qui in sacr. palat. milit. l. 3. cod. de crim. Sacrileg. referri sane non potest Imperans de rebus Ecclesiasticis pro salute Reipublicæ ex divino, atque igitur sacro omnibus jure disponens. Sed & ii jure nostro generatim sacrilegi dicuntur, qui ceu Ethnici, Apostatæ, Hæretici, Schismatici, Magi, Blasphemi, Perjuri, votorum religiosorum præsertim castitatis, nec non alieni thori violatores, aliaque ratione divinæ legis sancita despectui habent, atque offendunt: L. 1. 2. 4. C. de crim. Sacril. L. 10. Cod. de Episc. L. 30. Cod. ad L. Jul. de Adult. Novel. CXXIII. Can. 31. XXII. q. 4. Can. 37. XXVII. q. 1. Can. 50. XXVIII. q. 2. porro & speciatim, qui sine justa causa & indistincte fulmen excommunicationis projiciunt, & sacra abutuntur potestate. Can. 5. XXIV. quæst. 3.

(*h*) Veluti 1. si Ecclesiæ Romanæ Cardinales, Nuntiosve Apostolicos quis hostiliter insequatur, percutiat aut teneat captivos, c. 5. de pœn. in VI. Id tamen secundum necessariam in divino naturali & speciatim civitatum jure præceptam defensionem profecto non absque exceptione est intelligendum, 2. si Clericis vel Monachis violentæ injiciuntur manus, atque gravis injuria realis infertur, c. 29. XVIII. q. 4. c. 11. de æt. & qualit. Ord. præf. c. 21. §. 1. de sent. Excom. in VI. nisi ipsi Clerici, vel parentes, vel propinqui minoribus ordinibus initiatos leviter & correctionis causa percusserint, c. 10. 54. de sent. Excom. Absolutio ab Excommunicatione, quam quis ex cit. Can. *Si quis suadente*, 29. XVIII. q. 4. incurrit, ab initio absque distinctione erat Pontifici reservata, cap. 1. de sent. Excom. postea autem si percussio aut *levis*, aut *mediocris* etiam, aut *occulta* esset, Episcopis absolvendi licentia concedebatur, cap. 7. 17. de sent. Excom. Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 6. de Reform. Quidquod Prælati regulares pro utroque foro suos Religiosos, ob quamcumque percussionem Religiosi ejusdem sui Ordinis, absolvendi potestatem acceperint, c. 2. 32. ibid. Neque etiam pro obtinenda a Pontifice absolutione hodie amplius, ceu olim, personalis accessus exigitur, c. 18. 19. 22. 23. ibidem.

(*i*) Generatim eos, qui ratione personarum, vel rerum, vel locorum Ecclesiasticorum sacrilegi sunt, si post trinam admonitionem satisfacere detrectant, publice vitando per Episcopum denunciari jubet, c. 21. 35. XVII. q. IV. cap. 16. de for. compet. Porro nisi satisfecerint, sepultura privari, c. 2. de rapt. neque ad pœnitentiam quidem, nisi satisfactione præstita, admittuntur. *ibid.* De Pœnitentia sacrilegis imponenda, vid. cit. caus. & quæst. cap. 22. 24. 28. Quod autem de pecuniaria pœna, cap. 21. ibid. dicitur, hanc pœnam certe non spiritualem esse, sed civili arbitrio dependere pridem didicimus. Obtinere autem & in sacrilegii crimine secularis judicis auctoritatem, eadem, quæ paulo ante numero 17. de simonia in mentem revocavimus, nos nec ultra differere, taceo dubitare, sinunt. Conf. Cl. de Riegger, l. c. §. 436. usque 441.

§. 476.

§. 476. Delicta proximum lædentia, in quæ speciales canonicas pœnas statuere Ecclesia non neglexit, sunt 1. homicidium (*a*), 2. mutilatio (*b*), 3. duellum (*c*), 4. Torneamenta (*d*), 5. bella injusta (*e*), 6. Injuria (*f*), 7. Incendium (*g*), 8. furtum (*h*), 9. Rapina (*i*), 10. damnum injuria datum (*k*), 11. falsum (*l*), 12. usura (*m*).

(*a*) Intellige injustum; *cum enim homo juste occiditur, lex eum occidit*. vid. caus. XXIII. Q. IV. can. 18. 45. & Q. V. Can. 9. 13. 16. 19. 41. cap. 18. §. 4. de homic.

* Ad *moderamen defensionis inculpatæ* animadvertas requiri, ut aliquis occidat 1. injustum sui aut aliorum adgressorem, & quidem 2. talem, qui seu vitæ sive membris, Pudicitiæ, aut rebus cum gravi damno nostro insidietur. 3. in continenti. 4. non suppetente alio leniori medio injuriæ avertendæ; vid. caus. XXXIII. Q. III. can. 6. 7. cap. 3. & 35. de sent. Excom. Cap. 6. eod. in 6. cap. 2. 3. & 18. de homic. Ex quibus Principiis merito ab Alexandro VII. in Decret. de an. 1665. damnatæ sunt Theses sequentes: THES. 17. *Est licitum religioso vel clerico calumniatorem gravia crimina de se vel sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi religioso vel ejus religioni publice & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur*. THES. 18. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare*. Pari doctrinæ purioris zelo INNOCENTIUS XI. *in Decreto de an.* 1679. confixit sequentes. THES. 30. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam vel ictum fustis fugiat*. THES. 31. *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei*. THES. 32. *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus*. THES. 44. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia*. *Conf.* DOMIN. VIVA. *Damnat. Thes. ad Thes. cit.*

** Exempla *homicidii dolosi* referuntur in cap. 6. & 18. de homic. in Dist. I. Can. 8. Dist. I. de Pœnit. can. 23. nec non in Caus. XXIII. Q. VIII. Can. 38.

*** Exempla *homicidii culposi* vid. in c. 7. 8. 15. 16. 19. de homic. cap. fin. eod. in VI. Dist. L. c. 50. 51.

**** Pœna canonica criminis homicidii tam *dolosi* quam *culposi* hæc est, ut præter irregularitatem (§. 286. n.g.) *laicus* incurrat pœnam excommunicationis, nisi pœnitentiæ satisfactione admissum diluerit. Caus. XXIV. Q. III. Can. 20. *Clericus* ab ordine & officio deponatur & in arctum monasterium includatur, imo si iterando crimen incorrigibilis sit, degradatus tradetur curiæ seculari. Vid. C. 10. de jud. Dist. 81. Can. 12. Dist. 50. Can. 7. cap. fin. de homicid. Insuper ejusmodi inhabilem ad beneficia Ecclesiastica declarat Concil. Trident. sess. XIV. Cap. 7. de ref. Atque homicidii dolosi reos pridem asylo privarunt etiam Benedictus XIII. Const. *Ex quo divina* & Benedictus XIV. Const. *Officii nostri* (§. 129. n. 2.)

***** Quamvis homicidio etiam justo irregularitas annexa sit (§. 287. n. g.) adeo, ut judex, assessores, accusatores denunciantes, advocati adversus reum, testes, notarii sententiam scribentes aliive ad ejus executionem cooperantes non liberentur. Vid. caus. XXIII. Q. VIII. Can. 29. 30. Cap. 10. de Excess. Præl. Dist. I. Can. 8. Cap. 2. 21. 24. de homicid. Cap. 2. eod. in 6. Cap. 5. 9. Ne Cleric. vel Mon. Dist. 51. Can. 1. & 4. Dist. 50. Can. 6. cessat tamen irregularitas, 1. in casu moderaminis inculpatæ d fensionis; Cap. un. de homicid. in Clem. 2. si patriæ necessitas ipsius Cleri armata manus postulaverit; Cap. 2. de Immunit. Eccles. 3. apud Episcopos & Prælatos, qui ea, qua pollent potestate, judicia criminalia constituunt; cap. fin. ne Cler. vel Monach. in 6. 4. qui de crimine civiliter agunt cum expressa protestatione se non pœnam sed damni reparationem intendere. Cap. 2. de homic. in 6. 5. judices Ecclesiastici, qui cum protestatione Clericum degradatum curiæ tradunt. Cap. 27. de verb. signif. §. 111. n. 2.)

****** De pœnis earum, quas homicidii qualificati species dicimus, canones (quorum quidem vis ex receptione & salvis principum juribus æstimanda est) habentur sequentes:

1. De parricidio Dist. 1. de Pœnit. Can. 19. Caus. XXIII. Q. II. Can. 15. Dist. LVI. Can. 3. Cap. 1. 2. de his, qui filios occid. Caus. II. Q. V. can. 2. & speciatim de parentibus, apud quos infantes adhuc tenelli in suo lecto collocati reperiuntur mortui, cap. 7. de Pœnit.

2. De expositione infantum Dist. LXXXVI. Can. 21. Dist. LXXXVII. Can. 9. cap. un. de Inf. & lang. expos. vid. quoque l. 16. Cod. de Nupt. L. 3. 4. Cod. de Inf. expos. Novel. 153.

3. De procuratione abortus & sterilitatis Cauf. II. Q. V. can. 20. Concil. Trul. can. 91. Tertul. Apolog. Cap. 9. S. Basilius Epist. ad Amphil. can. 2. & 8. Cap. 5. de homic. quæ omnia testantur olim inter fœtum *formatum* seu *animatum* & *non formatum*, seu *inanimatum* quoad pœnam non fuisse distinctionem, quæ invaluit postea, vid. Cauf. XXXII. Q. II. Can. 8. & 9. cap. 20. de Homicid. Bulla Sixti V. 87. *Effrænatam* & Gregorii XIV. 8. *Sedes Apostolica* Tom. II. in Bullar. Rom. fol. 702. & 766. Innocentius XI. in Decret. de an. 1679. sententias damnavit sequentes THES. 34. *licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur*. THES. 35. *Videtur probabile omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi*.

4. De assassinio seu homicidio, quod ex alterius mandato & non gratis peragitur, & ab *Assassinis*, Mahometanis Phæniciæ aut Ciliciæ populis, nomen trahit. Vid. cap. 1. §. 1. de homicid. in 6.

5. De Autochiria, seu actu, quo quis morti suæ causam necessariam præbet, vid. Cauf. XXIII. Q. V. can. 9. & 12.

(*b*) Vid. Can. Apost. 21. 22. 23. cap. 5. ne Cler. vel Monach. Cap. 4. de raptor. & incend.

* In veterum Canonibus omnes apertæ inimicitiæ, jurgia, altercationes, lites & odia tanquam gradus inferioris homicidii excommunicatione plectebantur. Vid. Constitut. Apost. L. IV. cap. 6. Concil. Arelat. II. Can. 31. Dist. 20. Can. 2.

(*c*) De duellis tam *judicialibus* quam *extrajudicialibus*, quæ sunt vel *publica* adhibitis *secundantibus* seu testibus pugnæ, quos etiam *Patrinos* vocatos legimus, vel *privata* vid. cap. 1. de corp. vit. ord. cap. 1. & 2. de Cler. pugn. in duell. Concil. Trid. sess. XXV. cap. 19. de Reform. ubi etiam in spectatores pœna excommunicationis statuitur, & decedentes in conflictu sepultura Ecclesiastica privantur. Gregor. XIII. Constit. *ad tollendum* de anno 1582. Clem. VIII. in Constit. *Illius vices* de a. 1592. quæ excommunicationem Papæ reservatam, & interdictum loci certaminis addidit. Benedicti XIII. Const. *Ex quo divina* de an. 1725. Benedicti XIV. Const. *Detestabilem* de a. 1752. ubi privatio sepulturæ demta Episcopis dispensandi facultate extenditur etiam ad eos, qui extra locum conflictus ex vulnere moriuntur, etsi pœnitentiæ signa dederint, & absolutionem acceperint; nec non sequentes propositiones damnantur: 1. *Vir militaris, qui nisi offerat vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel perpetuo carere deberet, culpa & pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum. Eandem hanc thesim* ALEXANDER VII. *in suo Decreto de an.* 1665. *Thes.* 2. jam damnaverat. 2. *Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam*. 3. *Non incurrit ecclesiasticas pœnas ab Ecclesia contra duellantes latas Dux & Officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ & officii*. 4. *Licitum est in statu hominis naturali acceptare & offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit*. 5. *Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis malæ ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia vel malitia magistratus justitia aperte denegatur*.

(*d*) Seu ludi equestres cum periculo vitæ, vel saltem membrorum conjuncti. Vid. cap. 1. & 2. de torneamentis, ubi in hujusmodi similiter privatio sepulturæ decernitur. Accessit pœna excommunicationis & interdicti, sed has posteriores pœnas Joannes XII. iterum sustulit. Vid. cap. un. ibid. extrav.

* Extant non minus canones, quibus lanistæ, gladiatores, imo spectatores cruentorum ejusmodi ludorum a communione repelluntur. Vid. Lactant. L. VI. cap. 20. n. 11. Tertul. de Idol. Cap. XI. Constit. Apost. lib. VIII. c. 32.

** Porro Pius V. Taurorum agitationes hodie adhuc in Hispania usitatas, ceu *dæmonum & non hominum spectacula a pietate & charitate christiana aliena* damnavit, cujus constitutionem tamen Gregorius XIII. & Clemens VIII. temperarunt. Vid. Ubald. Giral. i expos. Jur. Pontif. ad Cap. 2. de Torneam. Cl. de Riegger l. c. §. 458.

(*e*) Potissimum de nimium crudeli armorum genere inter christianos tollendo solliciti erant Pontifices, dum sub anathemate prohibuerunt hanc artem *sagittariorum*, quæ in eo sita erat, ut plures sagittæ simul & semel ex arcubus emitterentur, quam *Balistariorum*, qui ex Balistis & catapultis saxa in hostes jaciebant. Vid. Cap. un. de sagitt. verum quamvis Ecclesia, veluti omnia peccata, ita etiam excessus bellicos in linea peccati pro foro conscientiæ cognoscere possit, attamen num necessitas ac salus Reipublicæ bellum exigat aut non; & qua ratione hostis vincendus sit, non ad forum Ecclesiasticum, sed ad forum politicum, atque igitur etiam ad ministros ac consiliarios status ac rei militaris, non ad consiliarios conscientiæ qua tales pertinet. Infelicem belli consilia-

rium

rium exhibet Cl. de Martini in Exercit. Jur. Ecclef. Cap. VI. §. 243. exemplo *Cardinalis Juliani, qui Uladislao Hungariæ Regi, ut cum ad pacem cum Amurathe initam violandam permoveret, anno 1444. expofuit*: CUM INFIDELIBUS NULLIUS, OMNINO REI COMMERCIUM INIRE LICUIT ET INITUM NON TENET INIUSSU PONTIFICIS MAXIMI. *Callimach. in reb. Uladiſ. lib. III. Sed etiam plura* ait idem Cl. noſter de Martini *occurrunt in Jure Canonico capita: veluti Can. 34. X. de Electione Clem. unic. de ſacr. unct. Extravag. unam ſanctam inter Com. de major. a jure publico univerſali aliena, & porro ex hujus principiis corrigenda.*

(*f*) De injuria, quæ eſt quodvis dictum vel factum in contumeliam alterius dolo directum, & quæ poteſt eſſe vel verbalis vel realis, vel ſimplex vel atrox, vel in facto vel in omiſſione eorum, quæ fieri oporteret, conſiſtens vid. cauſ. VI. Q. III. Can. 16. Diſt. I. de Pœnit. Can. 24. Cauſ. XV. Q. I. c. 2. cap. 15. de exceſſ. cauſ. XXIV. Q. III. Can. 3. & Diſt. 46. Can. 5. ubi dicitur: *Clericus maledicus maxime in ſacerdotibus cogatur ad poſtulandam veniam, ſi noluerit, degradetur, nec unquam ad officium abſque ſatisfactione revocetur.* Ex quo canone *deprecationis chriſtianæ* ſi non natales, certo incrementa peti debent. Qui in proximum ſuum maledicta criminationes vagas effutiunt, aut neſcio cujus obtinendi proprii lucri vel evitandi damni vel cujuſdam reſpectus humani cauſa adverſus aliquem calumniatores, falſi teſtes, ac proditores exiſtunt, de iis ſane quam maxime verum eſt illud in cauſ. VI. Q. I. Can. 15. contentum deciſum, *quod deteriores ſint his, qui ſubſtantiam aliorum prædiaque diripiunt.*

* Acceſſit ſubinde *palinodia* ſeu *decantatio*, aut ſaltem declaratio honoris, ſi dubium ſit, an culpoſe an doloſe fama alterius violata ſit.

** Cum in legibus civilibus dicatur: *nec lubricum linguæ ad pœnam facile trahendum eſt*, & ipſi ſummi Imperantes hujuſmodi injurias, quamvis majeſtatem laceſſant, non vindicent, l. 7. §. 3. ad l. Jul. Maj. quid mirum, quod Canones Epiſcopos minus ad vindictam pronos eſſe, & propriarum injuriarum obliviſci, atque adeo eas tam *verbis* quam *opere* ad patientes Chriſti pedes deferre jubeant. Vide cauſ. XXIII. Q. IV. Can. 27. *Canones digniſſimi*, ait Cl. de Riegger l. c. §. 462. *quos judex laicus defendat* provocans ad l. 10. Cod. de Epiſc. & Cler. ubi dicitur: *nec expectet, ut Epiſcopus injuriæ propriæ ultionem depoſcat, cui ſanctitas ignoſcendi gloriam dereliquit.*

*** Speciatim de libellis famoſis ſtatutum eſt, *ut ſi qui inventi fuerint ejuſmodi in Eccleſia ponere, anathematizentur.*

(*g*) Vid. cauſ. XXIII. Qu. VIII. Can. 31. & 32. Cauſ. XVII. Qu. IV. Can. 14. Cap. 5. & 6. de Injur. Cap. 19. de ſent. Excomm. Cap. 5. de raptor.

(*b*) In jure canonico quidem furti nomine *omnis illicita rei alienæ uſurpatio* venit. Vide cauſ. XIV. Q. V. C. 13. Cauſ. XXXII. Q. IV. Can. 11. videlicet juxta adæquatam interpretationem præcepti divini *non furaberis*; verum ſtrictiſſime etiam acceptum, nempe pro *ablatione doloſa rei alienæ invito domino lucri faciendi cauſa* facta ſpecialibus perſtringitur Canonibus, quibus nequaquam ſocii aliive tanquam cauſa mediata ad furtum concurrentes prætereuntur. Vid. cauſ. XIV. Q. VI. Can. 4. 5. 6. 8. Cap. 18. de Reſtitut. ſpol. Cap. 4. de furt. ubi furti reis etiam ii accenſentur, qui furti conſcii domino quærenti non indicant; cum tamen jure civili multum interſit, furem quis celet, an non indicet. Vid. l. 48. §. 1. de furtis.

* Quæ *Deo jubente*, aut ceteroquin in neceſſitate *extrema* ſurripiuntur, in hiſce furtum commiſſum eſſe dici nequit. Vid. Exod. III. 22. Cauſ. XIV. Q. V. Can. XII. Diſt. X. de conſecr. Can. 26. Nequaquam tamen cum extrema neceſſitate neceſſitas *gravis* confundi debet. Vid. Cap. 3. de furt. Hinc quoque Innocentius XI. anno 1679. damnavit propoſitiones ſequentes. THES. 36. *Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.* THES. 37. *Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.*

** De jure canonico furtum illud vocatur *manifeſtum*, de cujus auctore conſtat, & illud *occultum*, cujus author omnium notitiam fugit. De remedio extraordinario pro revelando auctore criminis partim infra occaſione excommunicationis, partim in Jure Conſiſtoriali dicetur. Ceterum hoc quoad pœnam inter manifeſtum & occultum furtum intercedit differentia, quod fur *manifeſtus* ad ſacros ordines promoveri non poſſit, id quod *occulto* poſt ſatisfactionem ad pœnitentiam peractam conceditur in Cap. fin. de furt. De reliquis furti pœnis, quæ in Canonibus leguntur, vid. Cauſ. III. Qu. V. Can. 9. Cauſ. XIII. Qu. II. Can. 21. Diſtinct. 81. Can. 12. Cap. 2. de furt. Cap. 6. de Pœnit. Cap. 10. de jud. quæ omnia tamen ſalvis civilibus ſtatutis intelligenda ſunt. Cumprimis autem nota, illud, quod in cit. cap. 2. de furt. dicitur: *ſi comprehenſi aut vulnerati Presbytero vel Diacono confeſſi fuerint, communionem eis non negamus*, eſſe errorem a Decretalium compilatore retentum ex Gratiani Cauſ. XIII. Q. II. Can. 31. cum in Concilii Triburienſis Canone 31. unde hæc deſumta ſunt, non *Presbytero vel Diacono*, ſed *Deoque & ſacerdoti* reperiatur. Conf. Harduin. Tom. VI.

 col.

col. 449. & Justus Heningius Boehmerus in Corpore Juris ad cit. Cauf. XIII. Q. II. can. 31.

*** Speciatim vide *de Peculatu*, qui in res Ecclesiæ commissus in sacrilegium abit. Cauf. XXIII. Q. IV. Can. 3. *de Plagio*, Cap. 1. de furt. *de Abigeatu*, Dist. I. de Pœnitent. Can. 19.

(*i*) De rapina seu furto, quod committitur vi personæ illata vide Cauf. XIV. Q. V. Can. 13. Cauf. XXIV. Q. III. Can. 23. Cauf. VI. Qu. III. Can. IV. Cap. 1. 2. 3. de raptor.

* Imo, si quis rem suam esse sibive deberi existimans, contemto judice eandem occupet vel vi extorqueat, amittit jus suum, etsi occupantis fuisse deprehendatur; & si reperiatur aliena, præter restitutionem etiam rei æstimationem præstare tenetur, ex l. 3. quod met. Cauf. l. 7. Cod. unde vi, quæ pœna etiam legitur in Cauf. XVI. Q. VI. Can. 2. & in Cap. 1. 8. de Præb. in 6.

** Quæ de spolio jus nostrum plura habet, in jure Consistoriali exponentur.

*** De jure Canonico habentur rapinæ rei 1. concussores, qui per simulationem juris terrorem incutiunt pecuniæ extorquendæ gratia. Vid. Cauf. XXIII. Qu. 1. Can. 5. 2. Officiales publici, qui in crimen repetundarum incidunt, & justum judicium vendunt. Cauf. XI. Qu. III. Can. 66. 71. 3. Captatores & Hæredipetæ, qui variis actibus in damnum legitimorum hæredum voluntates moribundorum demulcent, de quibus sincere Ambrosius ferm. VII. de Cleric. ita conqueritur: *Nemo hos invasionis arguit, violentiæ nullus accusat? quasi non interdum majorem prædam a viduis blandimenta eliciant quam tormenta? Non interest apud Deum, utrum vi, an circumventione quis res alienas occupet, dummodo quoquo pacto tenet alienum?* Conf. Cl. de Riegger l. c. §. 477. & reflecte mentem ad ea, quæ diximus supra (§. 468. n. 2.).

(*k*) Damnum injuria datum est *omnis patrimonii nostri deminutio sine jure & citra alterius lucrum facta*, atque vel dolo vel culpa etiam levissima inferri potest, vid. cap. 2. 3. 4. 5. 6. 9. de injur. & damn. dat. cap. un. de commod. cap. 2. de depos. cap. 1. 2. 3. de N. O. N. qui canones potissimum statuta civilia imitantur.

(*l*) Falsum seu dolosa veritatis immutatio committi potest. 1. *sermone*, vid. Cauf. XXII. Q. II. Can. 4. 5. 8. 9. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. sed & conf. Cl. de Martini Posit. de leg. Nat. cap. XI. 2. *scripto*, vid. cap. 4. 5. de crim. fals. Dist. 19. Can. 3. cap. 2. 4. & 7. de rescript. constitut. Innocentii X. *in supremo justitiæ* de anno 1653. 3. *facto*, vid. cap. 2. de Emt. vend. cap. 3. de crim. fals. cap. un. ib. Extrav. comm. ubi de Alchimistis, quorum stultitia quidem non tantum nihilo, sed ut cum mathematicis loquar, minus nihilo, debitis ac paupertate alioqui punitur, adeo, ut mirum sit, quod viros, qui ceteroquin doctrina, eruditione, peritia, ac dignitate graves essent, se hujusmodi aureis laqueis alligatos conspectui risuique dare velint.

(*m*) Quemadmodum pro usu rei, quem nemo utique tenetur alteri gratis dare, non repugnat solvere tantum, quantum ipse usus æstimabilis est, ita etiam non repugnat, ut debitor creditori solvat pro usu sortis & quantitatis huic eidem usui quidpiam proportionatum, id quod *usura* est; secus etiam in rebus non fungibilibus *locatio conductio* repugnaret, & solum *commodatum* obtinere deberet. Enimvero recte habent adversarii, si dicant intuitu *mutui* nihil peti posse. Nam is, qui *mutuum* celebrat, rem fungibilem *gratis* dat ea lege, ut post certum tempus in eodem genere reddatur. Inde autem non sequitur a quocumque *mutuum* celebrari debere, & non posse celebrari contractum *fœnoris*, ubi usus rei fungibilis gratis non datur. Ita sane secundum principia Jurisprudentiæ naturalis rem perpendere oportet. Verum sine dubio ad id requiritur Jus Naturæ didicisse ex systemate tali, quale nobis Cl. noster Carolus Antonius de Martini suppeditavit, & non ex hujusmodi, cujusmodi ante eum scripsere illi Juris Naturæ & Ethicæ Professores, qui nihil minus quam genuinæ Ethicæ ac naturalis Jurisprudentiæ notionem habebant. Ex defectu sane genuinæ notionis usurarum venit illa usuræ definitio, quod sit LUCRUM *ultra sortem* RATIONE MUTUI, *& propter* OFFICIUM MUTUATIONIS *perceptum*, in qua commissum triplicem errorem Juris apud nos in primum annum auditor illico subducet. Ejusmodi tyro etiam promte ac solide respondebit 1. ad leges hebraicas, Exod. XXII. 25. Deut. XXIII. 19. 20. Levit. XXV. 35. Ezech. XVIII. quas ratio reipublicæ hebraicæ, non autem universe jus naturæ postulabat, cum secus, Deut. XXIII. 19. 20. XV. 6. XXVIII. 44. fœnus nec permitti potuisset inter hebræum & peregrinum, utpote cujus jus pervertere, cui vim inferre, quem non ut fratrem habere prohibetur. Ex. XXII. 21. XXIII. 7. Deut. XXIII. 7. XXVII. 19. 2. ad præcepta Salvatoris: quod gratis accepistis, gratis date, Matth. X. 8. MUTUUM *date nihil inde sperantes. Cuivis petenti abs te da, & ab eo, qui tollit res tuas, non repetito*, Luc. VI. 30. 35. quæ partim de casu, quo pauperibus ac miseris misericorditer, atque adeo ex officio charitatis gratis succurrendum est, partim de forensibus eo tempore legibus, partim de spiritualibus, uti gratis accepta sunt, ita gratis distribuendis, prolata fuere. Conf. Grotius in Annotat. ad Evangel. Luc. VI. 35. ubi scilicet sententiam relinquit, quam prius de Jur. B. & P. Lib. II.

cap.

cap. XII. §. 20. habuit, 3. ad effata Patrum, quæ pariter & contra usuras *mordentes*, & contra violationes legum hisce oppositarum potissimum directa conspiciuntur. Vid. Caus. XIV. Qu. IV. Can. 1. 4. 8. 9. Dist. 88. Can. 11. 4. ad tot alias constitutiones in corpore Juris Canonici contentas, quæ si iterum excipias, quæ adversus mordentes usuras recte statuta sunt, ceterum recepta erronea usurarum definitione *usuras impugnarunt sub ea ratione, sub qua nullibi sunt*, ut ait Cl. de Riegger L. V. §. 502. Denique 5. etiam ejusmodi tyro jam ridet illos medii ævi Canonistas & Doctores casuum, qui ultra sortem aliquid percipiendum, admiserunt, tantummodo non accipiatur titulo *usuræ*, sed titulo vel *ejus quod interest*, vel *periculi amittendæ*, aut *difficulter repetendæ sortis*; vel *Emtionis venditionis annuorum censuum*, vel *contractus trini*, qui scilicet comprehendit & *societatem* & *assecurationem* & *conventionem de lucro certo minore pro incerto majore*, veluti si quis pro mercatura exercenda det certam summam pecuniæ Petro, eique relinquat lucrum ea conditione, ut idem quoque suscipiat periculum, & tantummodo aliquam de lucro portionem præstet; quamquam varii Pontifices jam hunc jam illum modum, ceu pallium usurarum suspectum damnavere. Quid quod creditor pecuniæ trajectitiæ ob hujus periculum recipiens aliquid ex cap. 19. de us. usurarius habeatur? vid. Gonzalez ad hoc c. Nos itaque, venerationem omnem habentes Canonibus, quibus usuræ mordentes damnatæ sunt. Vid. Concil. Eliber. Can. 20. apud Harduin. T. 1. col. 252. Caus. XIV. Q. IV. C. 7. 10. 11. Dist. 88. C. 9. §. 1. &c. Canonibus reliquis spuriæ usurarum notioni superstructis non immoramur, sed lectorem ad Perill. D. de Martini Posit. de lege Nat. cap. XIX. Posit. 540. & ad leges civiles, a quibus determinatio usurarum dependet, remittimus; dicturi quidem porro aliqua de contractu fœnoris in jure Consistoriali.

* Pœnæ in manifestum usurarium de jure Canonico statutæ sunt, ut 1. oblationes ejus non recipiantur; 2. nec audienda ejus confessio nec absolvendus sit; 3. non admittatur ad Communionem altaris; 4. sepultura ecclesiastica privetur; 5. infamis sit ipso genere facti; 6. Ecclesiastici officii periculum patiatur. 7. ab obtinenda dignitate excludatur. 8. adpellans non sit audiendus. 9. nullus interesse debeat illius testamento, vid. cap. 1. 3. 11. de usuris. Cap. 2. eod. in 6. Cap. 11. de excessib. Prælat. Caus. III. Q. VII. c. 2. Imo etiam ii, qui oblationes usurariorum recipiunt, eos tolerare & sepelire præsumunt, iisdem fere censuris innodantur, vid. cit. cap. 3. de usur. & cap. 1. & 2. eod. in 6. & conf. Cl. de Riegger l. c. §. 495.

** Canones antiqui, qui clericis usuras prohibuere, potissimum 1. in usuras a pauperibus exactas. 2. in usuras etiam a divitibus exacta, eatenus respexere, quatenus exercitio fœnoris clerici in negotia & studia secularia implicantur. Vid. Concil. Nic. I. cap. 17. apud Grat. Dist. 47. c. 2. & Caus. XIV. Q. IV. Can. 1. & conf. Cl. de de Riegger l. c. §. 490.

*** Hinc nemo labem usurariam ob quidpiam pro usu sortis non ultra leges acceptum inurere poterit *Montibus pietatis* sive *Pignorationis Locis*, quæ quidem, si eorum prima initia contra violentas judæorum in Italia exactiones constituta spectes, sunt *collationes pecuniarum a ditioribus in locum publicum auctoritate publica hunc in finem factæ, ut indigentes dato certo pignore mutuum pro necessitate sua sublevanda accipere queant, vel gratis vel dato tantum certo pretio pro opera officialium compensanda & conservando monte*. Vid. Constit. Leonis X. *inter multiplices*, & Sixti IV. constit. de a. 1479. in qua multis gratiis ad pium hoc misericordiæ opus divites invitantur.

**** Ex delictis, quibus patrimonium alterius læditur, obligatio duplex oritur, videlicet ad pœnam, & ad restitutionem, adeo, ut de jure canonico obligatio reparationem damni per defuncti delictum dati *ex defuncti bonis* præstandi ad hæredes transeat, sive lucrum ex damno dato ad eos pervenerit sive non, atque ad id per districtionem Ecclesiasticam compelli queant. vid. cap. 5. de Raptor. incend. c. 28. de sentent. Excomm. caus. XVI. Can. 3. cap. 3. de Pign. cap. 9. de usur. cap. ult. de sepult. Profecto si defunctus injunxit, ut hæres damnum resarciat; an non id ex bonis defuncti resarciri debet? Cap. 2. de jurej. sed an non etiam id semper defunctus voluisse censendus est? Caus. XIV. Q. VI. can. 1. cap. 4. de Rieg. Jur. in 6. Juris naturalis igitur simplicitas magis in hisce canonibus deprehenditur ac in lib. 26. 58. de oblig. & act. l. un. Cod. ex delict. defunct. in quant. ten. Her. l. 3. de calumn., quæ obligationem damnum delicto datum reparandi *personalissimam* esse & morte delinquentis extingui sinunt, ut adeo hæredes ad nihil teneantur, nisi aut lis cum defuncto fuerit contestata, aut lucrum in bonis hæreditariis deprehendatur. Verum & harum legum vis, etsi non pro statu naturali absoluto obtineret, in statu tamen hypothetico consociationis civilis pro ejusdem ratione ac bono obtinere ac jure eminentis dominii firmari potest. Ceterum Innocentius XI. in Decret. de a. 1679. circa obligationem restituendi merito damnavit theses sequentes. Thes. XXXVIII. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis*. Thes. XXXIX. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

§. 477

§. 477. Coercentur quoque a canonibus *Delicta carnis* seu *Moechiæ* (*a*) singula; nempe I. fornicatio (*b*) II. stuprum (*c*) III. concubinatus (*d*) IV. Adulterium (*e*) V. Incestus (*f*) VI. concubitus sacrilegus (*g*) VII. sodomia (*h*) imo etiam ea, quæ hujusmodi delictis pandunt viam, veluti lenocinium (*i*) Raptus (*k*) &c.

(*a*) Vid. Cauf. XXXII. Q. IV. Can. 11.

(*b*) Est *concubitus naturalis soluti cumsoluta meretrice, cujus scilicet publice venalis est turpitudo*. Cauf. XXXVI. Q. I. can. 2. Dist. XXXIV. cap. 16. Dist. LXXXVIII. Can. 10. Cauf. XXVII. Q. I. Can. 20. Cauf. XIV. Q. VI. Can. 4. Cauf. XXII. Q. VII. Can. 15. & Q. V. can. 12. Innocentii IV. Constit. *sub catholicæ* §. 18.

* Olim fornicatoribus septem annorum pænitentia injuncta fuit. S. Basil. can. 52.

** Merito Innocentius XI. in decreto de an. 1679. proscripsit sententiam hanc Thes. 48. *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur*.

(*c*) De pœna stupri, seu *concubitus soluti & solutæ virginis vel viduæ honeste viventis, & quæ cum illo nec consanguinitatis nec affinitatis vinculo connexa est*, jam dictum supra (§. 344. n. c.) Id tantummodo nota: illud *aut ducere aut dotare* introductum esse interpretatione doctorum & consuetudine, cum cap. 1. de adult. præcisa necessitas ducendi imponatur stupratori, & is vi cap. 2. ibid. corporali castigatione, excommunicatione, & & detrusione in monasterium adigi queat, sed & reflecte ad ea, quæ diximus in §. 347. not. 2.

* Patet dotem, quæ a stupratore stupratæ danda est, vere dotem non esse, cum & statim debeatur & non restituatur, etsi matrimonium non sequatur, sed proprie esse restitutionem damni, quod stuprata patitur.

** Patet porro cessare rationem restituendi damni, atque adeo obligationem dotandi stupratam 1. si ea stupratori non velit nubere, 2. si ipsa stupratorem sollicitavit, 3. si non sit honesta sed meretrix, aut saltem secunda tertiaque vice corrupta, 4. si ab alio in matrimonium ducta est, & æque bonam conditionem etiam gravida invenerit. Cl. de Riegger l. c. §. 515.

*** Parum autem ceteroquin refert, seu stuprata inops an dives sit, cum etiam huic satisfieri debeant, seu stuprator laicus sit, seu clericus, (tantummodo non sit Monachus, cujus monasterium bonorum est incapax) seu maritus, seu incestuosus, seu sponsus. Cl. de Riegger l. c. §. 516.

**** Tenetur præterea stuprator alere partum ex se editum, etsi coitus damnatus intercesserit. Vid. cap. 5. de eo, qui dux. in matr. etsi clerici sint *beneficiati*, qui nil nisi reditus Ecclesiasticos habent: non obstante Constit. Pii V. *Quæ ordini* de a. 1571. in qua prohibentur suis filiis illegitimis quidquam de bonis patrimonialibus aut clericalibus relinquere. Conf. Benedict. XIV. de synod. Diœcef. L. XIII. Cap. 24. n. 21. Hæc quidem potissimum dependent a jure civili, cujus leges communes vid. in authent. ex complexu cod. de incest. Nupt. & Nov. 89. cap. 15. quo etiam respicit Cap. 13. in fin. qui fil. sint legit.

(*d*) Si sub concubinatu intelligatur talis conjunctio maris & fæminæ, ut 1. pars utraque sit soluta, 2. accedat fides mutua, quod nec alteri cuidam se jungere, nec a procreatione liberorum abhorrere, & 3. usque ad mortem ita conjuncti manere velint, sed tantum 4. ob disparem conditionem aliave, salvo contractu aliis civilibus effectionibus solemni connubii, veluti jure dotium successionum dignitatum &c. destituantur, ejusmodi *concubinatus individuus* nec lege divina prohibetur, nec humana lege prohibitus fuit Dist. 34. c. 4. usque ad sanctionem Concilii Tridentini sess. XXIV. cap. 1. de reform. per quam matrimonia sine solemnitatibus legitimis inita irritantur (§. 364. n. h.) At *concubinatus dividuus* cum matrimonium sit indissolubile ex præcepto divino, & extra matrimonium non sit legitima conjunctio, divino humanoque jure semper erat prohibitus (§. 363. n. d. 369.) adde Dist. 43. can. 6. Cauf. XXXII. Q. II. can. 5. Trid. sess. XXIV. cap. 8. de ref. cap. 1. & 2. de concub. in VII. Conf. etiam Cl. de Martini Jur. Nat. Posit. 699. Quapropter Alexander VII. in Decret. de a. 1666. merito damnavit hanc propositionem Thes. 41. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo Regalo, dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, alias epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur*.

(*e*) Adulterium secundum leges Mosaicas Lev. XX. 10. Deut. XXII. 22. & Romanas L. 6. §. 1. L. 34. §. 1. ff. l. 18. cod. ad leg. Jul. de adult. committebatur tantum concubitu cum alterius uxore, atque igitur non a marito cum virgine vel vidua. Sublata autem polygynæcia Matth. XIX. 9. 1. ad cor. VII. 2. adulterium nunc indistincte est *concubitus inter personas non conjuges, quarum saltem altera est matrimonio juncta*, unde etiam divisio in adulterium *simplex* & *duplicatum* intelligitur. Hinc etiam recte ab Innocentio XI. in Decret. de a. 1679. damnata hæc propositio

in

in THES. 50. *copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium*.

* Etsi ad pœnam in foro externo non trahatur pater, qui filiam adulteram & adulterum, & maritum adulterum deprehensum occidit. l. 20. seq. l. 24. ad l. Jul. de adult. Nov. 117. Cap. 15. id *pro foro interno* tamen non admittitur. Caus. XXXIII. Q. II. Can. 6. ceterum leges civiles Patrem judicem domesticum liberorum & maritum judicem domesticum uxoris non minus constituere possent, ac olim jus tale in Patria & in dominica potestate continebatur, quapropter ibidem c. 7. fertur in eum qui uxorem absque lege sine causa & probatione interfecit & etiam c. 5. ad legem civilem respicit. Quæ omnia probe consideranda sunt ab iis, qui statim absque solido fundamento leges civiles incusant iniquitatis & peccati, quod per canones corrigi debuerat.

** Veterum canones crimen adulterii pœnitentia quindecim, imo & 30. annorum pro circumstantiis plectebant; S. Basilius Can. 7. 58. & clericis adulteris nec in finem tribuebatur communio. Concil. Illiber. Can. 18. Caus. XXXII. Q. VII. 16. de Jure communi *adulteri laici* excommunicantur cap. 6. de adult. *Clerici* depositione ab officio, incarceratione, infamia, & pœnitentia inter laicos agenda coercentur. Dist. 81. can. 10.

(*f*) De incestu seu *concubitu inter personas ob consanguinitatem vel affinitatem veram & carnalem jungi vetito*, vid. Caus. XXXVI. Q. I. can. 2. XXXV. Q. III. Can. 9. cap. un. de consang. & affin. in Clement. Dist. 82. Can. 5. cap. 4. de jud.

* Cognatio igitur *legalis* vel *spiritualis* non obstante Caus. XXXIII. Q. II. can. 17. ad matrimonia quidem dirimenda (§. 362. n. d.) non autem ad pœnas incestus pertinet.

(*g*) Concubitus sacrilegus est concubitus religiosi professi, vel Clerici in Sacris constituti cum femina soluta; aut monialis per castitatis votum Deo consecratæ cum masculo soluto. Vid. Caus. XXVII. Q. 1. can. 6. 28. & reflecte mentem ad dicta superius (§. 335. n. f.)

(*h*) Sodomia est *omnis libidinis extinctio, quæ fit alia via, quam quæ natura monstrat*. Hujusmodi delictorum reis juxta veteres canones nec in fine communio dabatur, Concil. Illiberit. can. 71. Pœnas de jure communi Ecclesiastico, vid. In cap. 4. de excess. Prælat. & in constitutionibus Leonis X. *supremæ*, Pii V. *Cumprimum*, Ejusdem *Horrendum*.

(*i*) Lenocinium est *omne factum, quo quis prostitutionem alienæ pudicitiæ adjuvat*. Neque hujus delicti reis a veteribus communio in fine dabatur.

* Dignissima lectu est Novell. XIV.

(*k*) Cum raptus sit *abductio personæ honestæ voluntati ipsius adversa, & animo libidinem explendi, seu vi physica seu morali ac blanditiis facta*, l. un. cod. de R. N. patet raptum non committi 1. in meretricem, 2. propriam conjugem, aut 3. sponsam, lib. 1. cod. Theod. de Rapt. Caus. XXVI. Q. II. Can. 49. Caus. XXXVI. Q. I. Can. 2. atque semper clausula *nisi prius desponsaverit*, Can. 5. ibid. Q. II. subauditur cap. 6. de raptor. Et hinc etiam raptor meretricis aut sponsæ propriæ non incurrit pœnas in veros raptores statutas, quamquam ex mente Concilii Tridentini libertati matrimoniorum consulere volentis eodem raptus impedimento laborent.

* In cit. leg. un. de R. N. raptoribus accensetur etiam is, qui propriam sponsam abstulit, sed eruditi textum corruptum esse & loco *suam* ajunt *non suam* poni debere. Conf. Boehmer J. E. P. ad Tit. de Raptor. §. 139.

** Olim pro raptu habebatur, etsi consenserat rapta, tantummodo dissenserint ii, quorum potestati illa subiiciebatur. Caus. XXXVI. Q. I. can. 3. Q. II. Can. 6. verum Pontifex in cap. 6. de Rapt. *quod iste raptor dici non possit, quia habuit mulieris consensum*.

*** *Neque interest*, ait Cl. de Riegger l. c. §. 528. *an stupri an matrimonii intentione quis rapiat, cum ipsa abductio libidinem prodat, & res pessimi exempli sit, scelere tam insuetato sibi uxorem quærere*.

**** De antiquis raptorum pœnis, vid. Caus. XXXVI. Q. I. can. 3. Caus. XXVI. Q. I. Can. 30. Caus. XXXVII. Q. II. Can. 1. 4. 5. 6. cap. 4. de purg. Can. Novissimam constitutionem habemus contra raptores in Concil. Trid. sess. XXIV. cap. 6. de reform. Quibus tamen pœnis ex stylo Curiæ Romanæ & multorum interpretum doctrina non subjiciuntur raptores, si non in ordine ad matrimonium contrahendum rapuerunt. Conf. Giraldi Expos. Jur. Pontif. ad cap. 7. de Raptor.

§. 478. Delicta clericorum, in quæ præcipue Canones additis sanctionibus invehuntur, notantur sequentia: 1. Venatio (§. 284. n. e.) (*a*). 2. Rixæ & Percussiones (*b*). 3. Furtiva ordinum susceptio (§. 297. & seq.) (*c*). 4. Promotio per saltum (§. 295. n. f. (*d*). 5. Exercitium ordinum aut suspensorum aut non susceptorum (§. 286. n. d.) (*e*). 6. Apostasia irregularitatis (*f*) (§. 450.). 7. Apostasia obedientiæ (§. 335. n. o.) (*g*). 8. sollicitatio ad turpia in sacramentali confessione (*h*). 9. Excessus seu actus quicumque, per quos Episcopi (*i*) aut Prælati inferiores

res (*k*) aut alii clerici (*l*) in obeundis suis officiis vel minus vel nimium agunt: 10. Neglectus residentiæ in beneficiis (*m*) &c. &c.

(*a*) Vid. præter eas sanctiones, quas retulimus (§. 284. n. e.) Dist. 34. Can. 1. Dist. 86. Can. 13. cap. 2. de cler. venat. cap. 1. §. 3. de stat. Monach. in Clemen. Concil. Matisc. II. Can. 13.

* Capitul. Reg. Franc. contra Clericos venatores, vid. apud Baluz. Tom. I. Col. 147. 158. 1149. 191. 369.

(*b*) Vid. Dist. 86. cap. 25. Dist. 45. cap. 1. Caus. I. Q. VII. Can. 2. cap. 1. 3. 4. de Cler. percuss.

* Moderata correctio licet & clericis & superioribus Ecclesiasticis vel religiosis in suos subditos, maxime præceptoribus in clericos adolescentes in minoribus constitutos, ita tamen, ut executionem clerico vel Monacho committant, ne censuram canonis incurrant, de qua mox plura dicemus. Vid. Dist. 35. Can. 9. Dist. 45. Can. 8. Caus. XI. Q. I. Can. 6. Et quidem in modica correctione excluditur adpellandi venia per Cap. 3. 26. 31. de appellat.

** Alicubi admissio canonicorum ad capitulum exemplo *manu missorum vindicta* (vid. Digest. L. XL. T. II.) prævio eodem *virgarum* ritu celebratur, verum ad hujusmodi quadrat, quod dicitur in l. ult. Cod. de emancip. *inspeximus vanam observationem custodiri*, & *venditiones in liberas personas figuratas*, & *circumductiones inextricabiles* & *injuriosa rhaphismata*, *quorum nullus rationabilis invenitur exitus*. Minus sane conveniret adhibere in clericorum promotionibus quidquam in veram percussionem degenerans ex ritibus, quos tribus opificum, jam non ubique, ut antehac, adhibere solent.

(*c*) Præter canones (§. 297. n. d.) citatos vid. Cap. 1. 2. & 3. de eo, qui furtiv. ord. suscep. suspensionem hisce canonibus contentam reservavit sibi Sixtus V. in constit. *Sanctum* & *salutare*, sed id revocavit Clem. VIII. in constit. *Romanum Pontificem*.

* Si Episcopus simul dicat, sibi intentionem non esse tales ordinandi, procul dubio ordinatio est nulla. Conf. Benedict. XIV. de sacrif. Miss. L. III. cap. 10. n. 7.

(*d*) Præter canones (§. 295. n. f.) citatos vid. Dist. 52. c. 1. Dist. 9. ean. 2. 4. 5. Concil. Trid. sess. XXIII. cap. 2. de sacr.

* Facultatem absolvendi Episcopis a Sixto V. in constit. eit. ademtam restituit Clemens VIII. in eit. constit.

(*e*) Præter canones (§. 286. n. f.) relatos vid. Cap. 2. 3. 4. 6. de Cler. Excom. Caus. XI. Q. III. can. 6. cap. 1. de sent. & re judic. C. 9. 18. 20. de sent. Excom. in VI. Cap. 2. de Cler. non ordin. ministr. Benedicti XIV. Epist. encyclic. *Inter præteritas* §. 4. de ann. 1749. Constit. *Sacerdos* de ann. 1757. Clemen. XIII. constit. *Gravissimum* de an. 1760.

(*f*) Præter sanctiones jam insinuatas in (§. 450. n. e.) vid. Caus. XXVII. Q. IV. can. 23. Caus. XXIV. Q. III. can. 6. Cap. 25. de sent. Excom.

(*g*) Vid. Concil. Trid. sess. XXIII. c. 5. & 8. sess. XXV. cap. 19. de Regul. sed reflecte ad ea, quæ diximus (§. 335. not. o.)

(*h*) Hujusmodi criminis rei *non Patres spirituales sed proditores animarum execrabiles* in jure nostro vocantur. Hinc cautum est, *ut* 1. *omnes locorum ordinarii* & *hereticæ pravitatis inquisitores*, 2. *Contra omnes* & *singulos sacerdotes quomodolibet exemtos*, *cujuscumque dignitatis* & *status aut quocumque privilegio muniti sint*, 3. *qui ad inhonesta* & *turpia in actu sacramentalis confessionis*, *sive antea vel post immediate*: *sive occasione confessionis*, *sive extra eam simulantes se confessiones audire*: *sive inter se*, *sive cum aliis perpetranda solicitant*, 4. *tanquam de heresi valde suspectos procedant*, & 5. *præcedente degradatione secularis judicis arbitrio puniendos curiæ tradant*, 6. *utque eodem modo procedatur contra confessarios*, *qui suos pœnitentes*, *quos noverint fuisse ab aliis solicitatos*, *de obligatione gravissima denunciandi solicitantes admonere negligunt*. Gregorii XV. Constit. Universi Dominici *de ann.* 1622. Benedictus XIV. *Constit.* Sacramentum Pœnitentiæ, de an. 1741. Etsi Pastoralis *de an.* 1742. Apostolici *de an.* 1745. *Giraldi Exposit. Jur. pontif. Tom. II. P. I. in Append. ad Tit. de Hæretic.* Conf. Cl. de Riegger l. c. §. 530.

* Cum confessarius debeat esse Judex, medicus, & consiliarius spiritualis, ad quod triplex gravissimum *virile* munus, & debita scientia doctrinæ moralis tam naturalis quam positivæ, cujus utriusque Jus Naturæ, Theologia & Jus Canonicum præcipua fundamenta sunt (§. 85. n. c.) & singularis prudentia & præcipua virtus requiratur, iterum patet verum esse, non quemvis nec justo citius, nec propterea solum, ut mox celebrando missas & confessiones excipiendo fortasse monasterio usui sit, ad tam sacrum, atque vel ideo, quia adeo, secretum est, cautione maxima indigens tribunal adhiberi debere. Non sine causa hæc sane dicta sunt: *nemini cito manus imposueris*. Neque sine causa veteres in sacerdotibus ordinandis eam ætatem in regula requirebant, de qua dixi supra (§. 288. n. d.)

(*i*) *Episcoporum excessus sunt* 1. *Si clericos suos indebitis oneribus* & *exactionibus gra-*

gravent, *cap. 7. de Excess. prælat. cap. 6. de cens. 2. Si eos vexent censuris aliisque pœnis illegitime inflictis. 3. Si eos inhoneste tractent, vel despicatui ut servos mercenarios habent. 4. Si permittunt, ut unus Presbyter duas habeat ecclesias matrices, quarum una ad sustentationem sufficiens est, cap. 1. de Excess. prælat. 5. Si jura illorum diminuunt, tolluntque aut eripiunt ecclesias ipsis subjectas, cap. 2. ibid. 6. Si indignis beneficia conferant, cap. 2. ibid. 7. Si monasteriis & ordinibus regularium præcipiant, aut probibeant aliquid contra tenorem privilegiorum papalium, cap. 16. 17. ibid. cap. un. ibid. in Clement.* Conf. Cl. de Riegger §. 541. ubi addit 8. *inter excessus Episcoporum etiam generatim numerari, si Episcopi authoritate sua utentes monarchiæ pontificiæ præjudicium facere a curia Romana dicantur.*

(*k*) *Prælati Episcopis inferiores excedunt 1. qui, cum beneficii collationem habeant, illud pro suo usu retinent, & se ipsos intrudunt, cap. 3. de Excess. Prælat. 2. qui Ecclesiam suam vel sibi subjectam alteri uniunt, sine consensu episcopi, non obstante confirmatione metropolitani, qui in Diœcesi sui suffraganei absque istius consensu non debet aliquid hujusmodi attentare, cap. 8. ibid. 3. qui suis finibus non contenti manus ad ea, quæ sunt episcopalis dignitatis, extendunt de causis matrimonialibus cognoscendo, injungendo publicas pœnitentias, concedendo etiam indulgentiarum literas & similia præsumendo, cap. 12. ibid. speciatim in cap. 7. 15. ibid. cap. 3. de pœnit. archidiaconorum excessus referuntur, qui cum nimii esse cæperunt, tandem in plerisque Ecclesiis eorum potestas suppressa fuit.* Conf. Cl. de Riegger l. c. §. 542.

(*l*) *Inferiores & subditi clerici excedunt 1. Si plures absque consensu prælati sibi jura collegii vindicant, cap. 14. de Eccles. prælat. 2. Si Vicarius sibi arroget personam & titulum rectoris principalis, cap. 6. ibid. 3. Si cum malefecerit quis, gloriatur, & in rebus pessimis exultat, cap. 9. ibid. 4. Si ab Episcopo indictas festivitates, censuras ab eo promulgatas non observant, cap. fin. ibid. Concil. Trid. sess. XXV. cap. 12. de Regul. 5. Si contra præstitum juramentum canonicæ obedientiæ superiori reluctantur, cap. 15. ibid. 6. Si quis alienos subditos in matrimonium conjunxerit. Conc. Trid. sess. XXIV. Cap. 1. de ref. Matrim. 7. Si quis presbyter missam incompletam relinquit, Can. 57. Dist. I. de consecr. aut celebrat quin in ea communicet. Can. 11. dist. 2. ibid. 8. Si privilegiis sibi concessis abutantur. Cap. 3. 7. de Privil. & Excess. privil.* Conf. Cl. de Riegger l. c. §. 543. Cum quo etiam concludimus: *sufficiat nobis ista excessuum exempla recensuisse, omnia enim enarrare supervacaneum foret, cum tot sint excessuum genera, quot officiorum, quæ tamen non sub una rubrica, sed per Decretalium libros omnes dispersa recurrunt.*

(*m*) Episcopus, qui neque obtenta facultate neque suffragante ratione profectus, tertio mense non redit, amittit omnes fructus Episcopatus tempori, quod supra est, respondentes, & hinc ultra spatium semestre si remaneat, redituum unius anni pars quarta perit; quodsi per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum amittit. Crescente vero contumacia Archiepiscopus suffraganeos absentes, Archiepiscopum absentem suffraganeus Episcopus antiquior sub pœna interdicti in Ecclesiam ingressus summo Pontifici denunciare debet. Vid. Concilium Trid. sess. VI. cap. 1. sess. XXIII. cap. 1. de reform. ubi etiam parochi cæterique curati non residentes privantur fructibus pro rata temporis, si absint ultra bimestre, ultra quod tempus citra gravem causam ipsis licentia dari prohibetur. Ex quibus verbis patet, Episcopis inferiores nec per bimestre absque data licentia abesse posse.

* Statutæ istæ pœnæ ante omnem sententiam declaratoriam obtinent, & hinc illico fructus in conscientia restituendi sunt.

** Impendendi sunt ejusmodi fructus in fabricam Ecclesiæ, vel pauperes aliasque pias causas.

*** Obligatur quoque curatus, cui causa per Episcopum cognita & probata abesse licet, ut vicarium idoneum ab ipso ordinario adprobandum cum debita mercedis adsignatione relinquat.

**** Causæ ad absentiam Episcopi necessariæ, si non repentinæ sint vel notoriæ, disquiruntur a summo Pontifice vel Metropolitano vel suffraganeo antiquiori residente.

***** Tam probatio causæ legitimæ absentiæ, quam ipsa licentia in scriptis, & hæc quidem etiam gratis fieri debet. Vid. Concil. Trid. l. c.

****** De residentia canonicorum jam dictum supra (§. 326.).

CAPUT III.

De Pœnitentiis & Remissionibus.

§. 479. *Pœnitentia interna* de quibuscunque delictis commissis agendæ necessitatem jam ipsa cognoscit ratio. (*a*) Eadem necessitatem *pœnitentiæ* etiam *externæ* quam optime comprehendit (*b*). Attamen certum externe simul pœnitendi modum, quo divinæ justitiæ satisfieri queat, ignoraret hodiedum, nisi aperuisset revelatio (*c*). Hoc autem aperto, & quidem ceu Sacramento novæ legis subinde per Christum determinato (*d*) iis, qui vera cum contritione & confessione peccatorum suorum, ut ad *pœnitentiam* agendam admitterentur, enixe petebant (*e*), eamdem non tantum *privatam*, sed etiam si hujusmodi graviorum criminum rei, *publicam* (*f*), per undecim Ecclesiæ secula imponebant Episcopi (*g*); usque dum scilicet per recentiores *indulgentiarum* species (*h*) & cumprimis *Jubilæi* origine (*i*) porro occulta occultorum criminum *pœnitentia* presbyterorum arbitrio relicta (*k*), ac denique per *papales reservationes* (*l*) multa inducta fuerat mutatio (*m*).

(*a*) Enimvero jam solo rationis lumine nobis obligatio ad aversionem omnis mali, ad amorem Numinis, ad timorem filialem erga idem innotescit. Quæ omnia num aderunt, si abest *dolor animi, quo mala commissa plangimus cum serio proposito illa rursus non committendi*? c. 1. 4. Dist. III. de Pœnit. Sed vel ideo, quod ex amore & timore filiali erga supremum Numen, ex obligatione quodcunque malum huic summo bono oppositum, atque adeo etiam *malum a nobis commissum* aversandi, consequi debeat pœnitentia; jam simul patet, haudquaquam *novam tantummodo vitam* nulla temporis præteriti ratione habita, aut dolorem *sui ipsius causa* sufficere. Conf. Cl. de Martin. de lege nat. posit. 311.

(*b*) Quomodo enim non ex ipsa læsionis justitiæque notione quilibet satisfactionis, nisi a læso remissa esse constet, præstandæ necessitatem intelliget? Conf. de Cl. Martini Diss. de Leg. nat. c. VI. §. 237.

(*c*) Scilicet *si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit justum, & justitiam, vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor; in justitia sua, quam operatus est, vivet. Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur e viis suis, & vivat? — Convertimini, agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum, — quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: revertimini, & vivite*. Ezechiel. c. XVIII. v. 21. 22. 23. 30. 31. 32. Sed & prædicatam pœnitentiam, & eidem, si vera sit, promissam veniam deprehendimus, quoque Deut. IV. 29. & seq. XXX. 2. & seq. I. Reg. VII. 3. II. Paral. VII. 14. XXXIV. 26. & seq. Job XXIII. 22. Psalm. VI. 7. XXXI. 5. & seq. Ecclesiastici XVII. 20. & seq. Isai. I. 16. XXX. 18. & seq. XLV. 22. LV. 7. LIX. 20. Jerem. III. 10. & seq. XVIII. 8. XXIX. 12. Osee XIV. 2. Joel II. 12. Zach. I. 4. Malach. III. 7. Matth. III. 8. Luc. III. 8. XV. 18. Actor. II. 38. III. 19. XXVI. 18. 20. II. ad Cor. VII. 9. & seq. II. Petri III. 9. &c. &c.

(*d*) Matth. XVI. 19. XVIII. 18. Luc. XVII. 3. 4. Joan. XX. 23. Concil. Trid. sess. XIV. c. 1. & 2. de S. Pœnit. Sacram. & Catech. Rom. de Sacram. Pœn. §. 11. Hujus Sacramenti quasi materia (quæ scilicet veræ quidem materiæ rationem habet, attamen non ejus generis materia est, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo & chrisma in Confirmatione) sunt 1. Contritio, 2. Confessio, 3. Satisfactio. Quæ ipsa ex supra citatis locis & speciatim etiam Matth. III. 8. Luc. III. 8. Act. II. 38. VIII. 22. nec non Jac. V. 16. I. Joan. Ap. I. 8. 9. Concil. Trid. l. c. C. IV. V. VIII. abunde adparent. Publicas peccatorum confessiones novimus quidem factas, attamen id non de necessitate, sed aut voluntate confitentium propria, aut consilio sacerdotum accidisse nos edocent *S. Chrysost.* Hom. XXI. ad Pop. Antioch. *S. Irenæus* L. I. 9. *Origenes* Hom. II. in Psalm. 37.

(*e*) Alibi jam monui, neminem in veteri Ecclesia externis & violentis mediis ad pœnitentiam esse coactum; Exclusio sane a fidelium communione id unum erat, quod manebat ejusmodi, qui maxime, dum peccati cujusdam publici convicti essent, idipsum atque datum scandalum

dalum pœnitentia expiare detrectabant. Fleury Instit. Jur. Eccl. P. II. c. IV. §. 5.

(*f*) Qui graviora scilicet commisere crimina, seu hæc publica, seu privata essent, quamdiu non publicam agebant pœnitentiam, illis absolutio denegabatur; sec, VII. autem tacito Ecclesiarum consensu obtinuit, *de peccatis publicis publice, de occultis occulte esse pœnitendum*; sed & id contra scholasticos notandum est, frustra eos ex Grat. c. 24. Dist. I. exsculpere pœnitentiam *solennem* a publica distinctam, quandoquidem publica nunquam non externis cum ritibus fiebat. Fuerunt scilicet publice pœnitentium quatuor ordines. 1. *Flentium*, qui in Ecclesiæ vestibulo prostrati, ut ad ipsam pœnitentiam agendam admitterentur, flagitabant. 2. *Audientium*, quibus tantummodo scripturam & sermones ex infima Ecclesiæ parte audire licebat. 3. *Genuflectentium*, seu substratorum, qui jam in navi Ecclesiæ manuum impositiones & benedictiones ab Episcopo, atque opera pœnitentiæ exercenda recipiebant. 4. *Consistentium*, qui quidem necdum oblationes suas facere, nec Eucharistiæ participes fieri; Attamen una cum fidelibus in oratione communi, & sacrificio usque ad finem consistere poterant.

(*g*) Concil. Carthag. II. de a. 390. Can. 3. & 4. Concil. Carthag. III. de a. 397. c. 32. omnino evidenter demonstrant, publicam pœnitentiam a solo Episcopo, & non ob aliis, nisi illius jussu, atque adeo delegata tantum, & vicaria auctoritate esse administratam. Conf. supra §. 164. n. c. Quam solliciti in curandis peccatoribus fuerint Episcopi cumprimis, si occurrente nova peccati specie huic pœnitentia adaptari debuit, exhibent ipsi *Canones pœnitentiales*, seu regulæ normam peragendæ pœnitentiæ præscribentes ex Conciliorum, Pontificum, & SS. Patrum sententiis enaræ; porro *libelli pœnitentiales*, seu illorum Canonum collectiones, quæ ipsæ a presbyteris ad pœnitentias injungendas delegatis inspiciendæ, atque observandæ fuerant. Sed & conf. Concil. Trid. l. c. C. VI. de ministro hujus Sacramen. & Absolut. nec non Catech. Rom. P. II. cap. V.

(*h*) Arbitrantur nonnulli falso: *Culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur*. Enim id tam supra allatis sacræ scripturæ textibus, quam speciatim Gen. III. 17. Num. XXII. 14. XIV. 20. 21. 22. 33. XX. 12. Deut. XXX. 4. II. Reg. XIV. 13. 14. I. Paral. XXI. aperte repugnat. *Neque enim satis est sagittam corpore extrahi, sed plaga quoque a sagitta inflicta sananda est; sic etiam in anima post acceptam peccati veniam pœnitentia curanda est plaga relicta*. S. Chrys. Hom. 80. ad Pop. Antioch. ac *frequentissime a sancto Augustino edocemur, duo hæc in pœnitentia animadvertenda esse, Dei misericordiam, & justitiam; misericordiam, qua peccata & pœnas æternas illis debitas condonat, & justitiam; quæ pœnis tempore definitis hominem punit*. Conf. Catech. Rom. l. c. §. 69. Adde D. Thom. 3. P. q. 86. art. 4. Porro alii non minus falso existimant: *Christi satisfactionem & meritum satisfactione nostra obscurari*. Quibus respondet Concil. Trid. his verbis: *Accedit ad hæc, quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, & conglorificabimur. Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum; quam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus, ita non habet homo, unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent: ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre*, cit. sess. cap. VIII. Sed etiam certissimum & cuivis catholico, ore animoque tenendum est, non minus a Rectoribus Ecclesiæ vi tributæ sibi a Deo potestatis tam *ligandi* quam solvendi peccatoribus imponi posse pœnas canonicas, id quod, ab Ecclesia antiquissima notissimis illis canonibus pœnitentialibus exercitum fuisse novimus. De rigore tamen pœnarum hujusmodi, quæ in satisfactionem criminum aut impositæ fuerant, aut imponendæ, jam ab antiquissima quoque Ecclesia sæpe novimus remissum fuisse; & quidem vel in præmium singularis pœnitentium fervoris, præcipue, dum preces ac libelli martyrum de eodem testabantur, vel ex alia causa, cui charitatis, sapientiæ ac prudentiæ officia suffragabantur. Vid. II. ad Cor. II. 7. & seq. Synod. Nicæn. C. 11. & Ancyr. C. 4. & 5. S. Cypr. Ep. 15. Atque ex hujusmodi causis hodiedum Ecclesia *indulgentiarum* nomine remissionem facit pœnarum temporalium, quas a peccatoribus strictissime exigere posset, quemadmodum mox demonstrabimus canones pœnitentiales nequaquam prorsus esse abrogatos; consistunt igitur indulgentiæ in *remissione penitentiæ in satisfactionem criminum impositæ*. Cap. 4. 14. de Pœnit. Et Concilium Tridentinum singulari decreto de Indulgentiis in sess. XXV. stabilivit credendum: *Potestatem eas conferendi a Christo concessam earumque usum salutarem ac retinendum esse adhibita tamen moderatione, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur*. Quæ utinam moderatio adhibita fuisset sæculo XI. & sequentibus, ubi cuivis

laboriosum opus, cumprimis expeditionem contra Ethnicos, hæreticos & schismaticos suscipienti, aut pecuniam pro ea conferenti; porro cuivis vel Ecclesiam quamdam visitanti, vel in reparationem Ecclesiæ, monasterii, hospitalis, imo subinde pontium, itinerum, rerumque similium refectionem contribuenti non absque pœnitentiæ canonicæ ruina tam facile illius, quæ nunquam non a peccatis magis arcebatur, satisfactionis remissio indulgebatur. Maxime autem Indulgentiarum excessum promotum fuisse per quæstores eleemosynarum illarum quarum intuitu Indulgentiæ concedebantur, quemvis puto seculi XVI. memoria, & ipsius Concilii Trident. cit. Decretum edocet. Clarissimi Van-Espen in eruditissima sua elucubratione de Indulgentiis. P. II. S. I. T. VII. c. II. sub finem hæc est animadversio: *Patres Concilii Trid. doctrinam de Indulgentiis ita expresserunt, ut a quæstionibus & difficultatibus in hac materia Indulgentiarum præsertim quoad earum effectum, seu valorem inter Theologos agitatis, omnino abstinuerint. Hoc indubie intelligens Doctissimus Bossuet Episcopus Meldensis in sua expositione fidei tanta moderatione locutus est de hac materia indulgentiarum, ut dicere non dubitaverit, quod nihil aliud de indulgentiis credendum proponat Tridentina Synodus, quam potestatem eas conferendi a Christo Ecclesiæ concessam esse, earumque usum esse salutarem. Quinex verbis hujus Episcopi Meldensis c. I. n. 27. relatis manifestum est, ipsum existimasse Indulgentiam unice consistere in condonatione sive remissione pœnitentiæ, in satisfactionem criminum pœnitentibus impositæ, quæ est illa species Indulgentiæ, cujus meminere Canones Nicæni, Ancyrani, aliique veteres Canones. Nec mirum, quandoquidem in Decretali, quæ refertur in cap. 14. ff. de Pænitentiis & remissionibus, sub nomine Innocentii III. in Concilio Lateranensi aperte dicatur, indulgentiam in hac pœna, sive pœnitentiæ remissione proprie consistere: præfigens enim terminos, intra quos auctoritas Episcoporum in concedendis Indulgentiis se continere deberet, expresse declarat, ut tempus ibidem præfixum de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Si Theologi, Controversistæ se intra hos limites continerent, minor ipsis esset cum adversariis in hac materia difficultas*. Sed & relatu digna sunt, quæ idem loc. cit. cap. III. §. 14. adfert. *Similiter Dominicus Soto in IV. sentent. Dist. 21. articulo 1. quæst. 2. dicit. Quinimo solent nonnunquam divulgari Indulgentiæ, quibus remittuntur quinque annorum millia, aut plura pœnitentiæ, & quadragenæ totidem. Ad hoc prima fronte responsio dari posset cum Gersone Cancellario Parisiensi in suo tractatu de absolutione sacramentali, atque in alio de indulgentiis, quod istæ portentosæ Indulgentiæ non emanant a Papa, sed sunt Quæstorum imposturæ. Quare præfatus Doctor eas irridet. Et revera tam immodicus excessus non est ferendus: nam audies nonnunquam Indulgentias viginti mille annorum, & ampliores. Hactenus ille, qui deinde nonnullis interpositis quærit: Quid de indulgentiis centum & mille annorum? Dicendum (ait) quod hujusmodi portenta nunquam Papa concedere cogitavit. — — Præterquam quod nullatenus negari potest, quin indulgentiarum quæstores, cum sint homines, non minus ad Religionem attendentes, deridenda nonnunquam prædicent, qui adeo essent publica auctoritate cohibendi*. Omitto adferre aut potius, quia jam hactenus dictis continentur, repetere argumenta ad refutandos errores eorum, qui hujus illiusve nominis Indulgentias aliis, etsi quoque plenariis, magis efficaces, aut Indulgentias ab Episcopis datas aliis, quæ a Pontifice conceduntur, infirmiores esse opinantur. Denique cum ipse LEO P. scribat de vita functis, *Horum causa Dei judicio reservanda est*. c. 1. XXIV. 9. 2. & *de eo, qui in divino est judicio constitutus, nobis non fas est aliud decernere præter id, in quo eum dies supremus invenit*. c. 4. ibid. nec non GELASIUS P. *Mortuos suscitasse Christum legimus, in errore mortuos absolvisse non legimus. -- Quæ ligaveris super terram, ligata erunt & in cælis, & quæ solveris super terram, erunt soluta & in cælis*: SUPER TERRAM *inquit, nam in hac ligatione defunctum nusquam dixit absolvi*, c. 2. ibid. Communiter Doctores accedere non dubitarunt huic, quæ certissimis alioquin principiis nititur, sententiæ, *a Pontifice animabus in Purgatorio non dari Indulgentias per modum jurisdictionis*, sed tantum per modum suffragii, precibus scilicet pro animarum liberatione ad Numen misericordissimum per Christi Sanctorumque merita fusis. Conf. P. *Engel* L. V. Decret. Tit. XXXIX. §. 1. num. 5. *Schmier* L. V. pag. 191. §. 284. Quibus veluti aliis precibus annuere, cum certe a liberrimo ejusdem Numinis pendeat arbitrio; in cassum opinor, omnis nostra humana est disputatio, num talibus indulgentiis animæ ex purgatorio infallibiliter liberentur. Conf. si placet *Laym.* de Indulg. c. VII. n. 3.

* Conferatur etiam *Institutio & doctrina Ecclesiæ Catholicæ circa Indulgentias, & præsertim de Indulgentia anni jubilæi, e Gallico idiom. translata. Vindobonæ per Jo. Thom. Nob. de Trattner* 1775. ubi in cap. 2. §. 1. nu. 3. pag. 16. recte monetur: *Primo etiam perpendo, quod Indulgentia, vi propria, non remittit peccati culpam, nec pœnam peccati æternam, nec omnes illas pœnas*

nas

nas temporales, quas peccator, ex immutabili Dei ordinatione, pati deberet ut se ab æterna pœna redimat. Secundo, quod Indulgentia non tangit præparationes ad Sacramentum Pœnitentiæ excipiendum necessarias, quæ sunt, cordis conversio, humilis accusatio delictorum commissorum, eaque in semetipsum puniendi sincera voluntas. Has tres res Indulgentia in earum vi relinquit, easque præmonet; quia vis sua non extenditur nisi ad pœnitentem liberandum ab una parte illius externæ pœnitentiæ, quam juxta Ecclesiæ leges persolvere debuisset. Hoc est quod haud satis potest Orthodoxis inculcari; nam plerique id nesciunt, aut scire nolunt.

(*i*) Quoad *Jubilæi* historiam hæc habe.

1. Auctor fuit *Bonifacius VIII.* hic enim *anno* 1300. iis, qui tum *& occurrente centesimo anno* Basilicas Principis Apostolorum pœnitentes & confessi visitarent, plenissimam omnium peccatorum veniam concessit. C. 1. de Pœnit. Extrav. Com.

2. *Clemens VI.* anno 1350. ad supplicationem Romanorum centesimum illum annum prævenit novo Jubilæo, quod ipsum dicto anno esse, & imposterum de anno *quinquagesimo in quinquagesimum* recurrere voluit. Et quidem tanta ad Basilicas Principis Apostolorum pro indulgentiis impetrandis tum profectorum multitudine gaudebat Roma, ut quotidie infra dictum annum 5000. peregrinorum ibidem intrantium & exeuntium computarentur, veluti ex magno chronico Belgii narrat Van-Espen l. c. cap. 5.

3. *Urbanus VI.* porro magis Jubilæi reditum acceleravit, statuitque, ut an. 1388. & postea *omni trigesimo tertio* anno rediret. Id quod probavit Urbani successor *Bonifacius* IX. simulque primus erat, qui ad *quasdam alias extendit Ecclesias*; ita tamen, ut privilegiis inserta fuerit clausula *porrigentibus manus adjutrices*, & collectores ad recipiendas oblationes eo fuerint missi. Chronic. Belg. p. 333. Confluente autem licet ingenti iterum Romam profectorum copia non tamen venere Galli, qui insuperhabito Urbano & dein Bonifacio residentem eodem tempore Avenione Petrum de Luna ceu Pontificem Benedicti XIII. nomine insignitum agnoscebant. Sed &

4. Ipsa Romana Ecclesia post Concilium Constantiense & extinctum schisma ad Decretum Clementis VI. rediit, usque dum

5. *Paulus* II. anno 1470. ad *quemvis annum vigesimum quintum* Jubilæum figebat. Idem Pontifex jam an. 1474. *extensione Jubilæi ad omnes Ecclesias facta* Bonifacio liberalior extitit, atque universe ad indulgentias & gratias concedendas adeo fuit facilis, ut ipse pœnitentialem disciplinam non parum lædi animadvertens liberalitati suæ modum ponendum esse duxerit. Extrav. 3. de pœnit. & Remiss. in Com. Novo denique exemplo

6. *Sixtus* V. Initio sui Pontificatus Jubilæum *pro felici regimine* indixit. Et præterquam quod sequentes Pontifices id secuti sunt, eorum nonnulli aliis quoque de causis eandem gratiarum portam aperuere.

* Conditiones in Bullis Jubilæi exprimi solitæ sunt, ut in alterutra assignatarum duarum hebdomadarum quis tribus diebus jejunet, eleemosynam pro viribus suis eroget, & præterquam quod peccatorum confessio rite præstita nec non Eucharistia devote accepta esse debeat, saltem unam ex iis, quæ ab ordinario designandæ sunt, visitet Ecclesiam, ibidem ad finem in Bulla expressum oraturus. Subvenitur quoque pœnitentium multitudini constitutis pluribus confessariis ab ordinario adprobatis, iisdemque concessa ab omnibus omnino reservatis criminibus, sententiis, censuris ac pœnis Ecclesiasticis absolvendi, nec non excepto tantum castitatis & Religionis voto, vota reliqua omnia in alia pietatis opera commutandi licentia. Conf. Cl. Van-Espen l.c. cap. V. & VI.

(*k*) Debuerunt sane Episcopi, ceu in aliarum rerum, ita & in reconciliandorum peccatorum adjutorium sibi Presbyteros adsciscere. Attamen ab iisdem memorati superius *pœnitentiæ* canones usque observari potuissent, si non per eos potissimum tam seculares quam regulares, qui scholasticæ theologiæ dabant operam, invaluisset opinio: devoluta ad presbyteros peccatorum reconciliandorum licentia, etiam pœnitentias imponendas eo ipso eorundem relictas esse arbitrio, & quidem in occulta crimina pœnitentiam occultam statui debere. Hanc sane præstructam opinionem pœnitentiæ publicæ raritas necessario sequebatur.

(*l*) *Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere Sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam & graviora crimina non a quibusvis, sed a summis duntaxat sacerdotibus absolverentur*, ait Concil. Trid. sess. XIV. cap. 7. de doctr. pœnit. atque ita 1. in Pontifice non solum, sed & in Episcopis reservandi auctoritatem, 2. reservationum necessitatem omnibus agnoscendam definivit. Enimvero *per criminum quorumdam reservationem major criminum horror objicitur — & sicut facilitas veniæ est incentivum delinquendi, ita e contrario difficultas veniæ minuit facilitatem peccandi; denique compertum est, morbos, quo graviores sunt, peritiores requirere medicos, atque majore eum discretione remedia esse adplicanda.* Van-Espen, P. II. sect. I. Tit. VI. de sacram. Pœnit. Cap. IX. §. 18. & seq. Tantum igitur abest, ut per reservationes generatim spectatas quid pœnitentiæ sit ademtum, ut potius ita ejusdem vigor restituatur. Sed qua igitur ratione

tione reservationes papales inter ea, quæ veteri quoad pœnitentiam praxi obsistunt, queunt collocari? Dicam ut res est. Reservata quidem jam antiquissimis temporibus erant Pontificibus crimina, verum illorum tantummodo, quos studiose, ut scilicet occasione obtinendæ absolutionis difficiliori reddita alii absterrerentur, ad Pontifices ipsi mittebant Episcopi. (§. 182. n. d. 196. n. d.) Posterioribus demum temporibus insuperhabitis Episcopis sibi Pontifices ea, quæ volebant, crimina, atque adeo pro suo arbitrio reservarunt. Id quod, etsi Episcoporum originariæ auctoritati magnum, non tamen ipsi pœnitentiæ adhuc tantum (si non ea, quæ minus discreta agendi ratio nunquam non profert, pessima consectaria spectes) vulnus inflixit, ac dein, ubi eadem tot religiosorum ordinum consortibus neglecto Episcopo passim absolvenda facillime concedebantur. Restituit quidem aliquatenus Episcoporum auctoritatem Concilium Trident. hac sanctione: *Nullum etiam Regularem posse Confessiones secularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicatur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis & consuetudine quacumque etiam immemoriali non obstantibus*. Sess. XXIII. Cap. 15. de Reform.

(*m*) Verum nequaquam putes pœnitentiæ publicæ disciplinam penitus esse abrogatam. Inculcat eam Concilium Trident. sess. XXIV. cap. 8. de Reform. his verbis: *quando igitur ab aliquo publice & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus, in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire*. Et quamvis ceterum pœnitentias injungendas prudenti Sacerdotis arbitrio idem Concilium relinquit, insignem tamen usum Canonum pœnitentialium hodiedum monstrat pastoribus, dum juxta antiquum Ecclesiæ spiritum in pœnitentiis injungendis eos jubet, *pro qualitate criminum & pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere, atque præ oculis habere, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicinam, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem*. Sess. XIV. cap. 8. Præterea etiam hoc notandum venit, ne per privilegia & licentias regularibus & secularibus sacerdotibus nullam curam animarum habentibus concessas juri parochi sive proprii sacerdotis videatur derogatum, expresse esse statutum, ut fideles saltem semel in anno tempore paschali proprio suo sacerdoti aut alieno de hujus licentia confiteantur. Cap. 2. de Treug. & Pac. Extrav. Com. Conf. Cl. de Riegger L. V. Decret. §. 544. usque 563. nec non ejusdem Celeb. Viri dissertat. de pœnitentiis & pœnis ecclesiasticis §. 1. usque 36.

CAPUT IV.

De Censuris & pœnis Ecclesiasticis.

§. 480. Quod si autem peccatorum nonnulli adeo veniebant in profundum, ut de Ecclesiæ *fine* seu felicitate æterna & exacta traditæ a Christo religionis custodia nihil solliciti, etiam omnia pœnitentiæ ac reconciliationis media contemnerent: tum demum illi, quibus ad *salutem & commune Bonum Ecclesiæ*, scilicet ut fideles ad hujus finem non impediti progrediantur, eumque obtineant, non tantum leges ferendi, & judicandi, sed & coercendi potestatem obtigisse demonstravimus, pro hac sua auctoritate *privationes bonorum & jurium spiritualium* (§. 472. n.a.) omni Ecclesiæ ævo adhibuere. Et quidem eo veteres progressi sunt ordine, ut primo *excommunicationem* (*a*) *minorem, seu medicinalem*, quæ tantum a communione publici cultus divini excludebat (*b*) atque hæc si nihil proficeret, subinde *excommunicationem majorem seu mortalem* (*c*), qua quis omni jure sibi tanquam *membro cœtus Christiani competente* privabatur (*d*), & respectu fidelium ceu *Ethnicus* erat & *Publicanus*, (*e*) adversus ejusmodi omnem monitionem leonioremque modum *contumaciter* spernentes exequerentur (*f*). Universe autem iidem veteres Ecclesiæ nostræ Rectores nunquam non præter justam excommunicandi causam (*g*), & legitimam ipsius excommunicationis formam (*h*) cumprimis, num finem intentum

etiam

etiam ita obtinendi spes, num vero majoris detrimenti periculum adpareat, summa opus esse circumspectione (*i*) prudenter non minus ac sancte existimabant (*k*).

(*a*) De censuris, quæ jam apud Hebræos fuere, Vid. meus Ordo Princip. in P. I. §. 83.

(*b*) Dixere etiam hanc veteres simpliciter *separationem*, nec facile vox *excommunicatio* simpliciter posita aliam quam minorem istam designabat. Ceterum ejusdem erant quatuor gradus: *primus* a sola Eucharistiæ participatione; *alter* a precibus fidelium; *tertius* a precibus quoque Catechumenorum; *quartus* ab omni Ecclesiæ ingressu propter crimina leviora arcebat. Sed & graviorum Criminum rei, qui illico pœnitentiæ publicæ sese subjiciebant ultra hanc separationem nil severius experiebantur.

(*c*) Hæc ipsa apud veteres etiam *Anathema* audiebat teste S. Chrysostomo. Hom. XV. in Epist. ad Rom.

(*d*) Atque adeo non iis, quæ jure naturali gentium aut civili debentur. Neque enim I. ad Cor. V. 4. ad Rom. XVI. 17. ad Thessal. III. 14. II. Joan. V. 10. 11. necessaria his juribus fundata officia, sed periculosæ & ultra necessitatem cum ejusmodi institutæ conversationes eum scilicet in finem prohibentur, ut obdurati confundantur magis, aliique ab eorum præserventur contagio. Neque aliæ conversationes quam istæ a veteribus pari excommunicationis pœna animadvertebantur. Quidquod conversatio cumprimis illa, quæ sceleſtos ejusmodi amice reducendos juxta Christi cum peccatoribus manducantis exemplum respicit, cum officio Christiani hominis, & maxime pastorum quam certissime concordet.

(*e*) Quemadmodum igitur Ecclesia pro Ethnicis & Hæreticis etiam publice orare consuevit, ita non minus pro his, qui sicut Ethnici habendi sunt, etsi nec ipsi ad sacrorum communionem admittantur, nec pro iis tanquam Ecclesiæ membris preces fundi queant, publice orari posse extra dubium est. C. 28. de sent. excomm.

(*f*) Excommunicationem nonnisi mediis aliis incassum adhibitis ferri debere, docent nos his verbis,

1. *S. Ambrosius. Cum dolore enim amputatur etiam, quæ putruit pars corporis & diu tractatur, si potest sanari medicamentis, si non potest, tunc a medico bono abscinditur, sic Episcopi effectus boni est, ut optet sanare, serpentia auferre ulcera, abducere aliqua vel abscindere, postremo quod sanari non potest cum dolore abscindere.* L. 1. off. C. 27.

2. *S. Leo. Nulli Christianorum facile communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium sacerdotis, quod in magni reatus ultionem invisus & dolens quodammodo debet inferre animus.* Ep. 93.

3. *Patres Synodi Ephesinæ damnantes Nestorium. Lacrymis ubinde perfusi ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus*: apud Harduin. Tom. I. Col. 1422.

4. *Chalcedonensis adversus Eutychen. Lacrymantes ac gementes perfecta ejus perditione decrevimus per Dominum nostrum Jesum Christum ab eo blasphematum, extraneum eum esse ab omni officio sacerdotali, & a nostra communione & primatu ministerii*; ibid. Tom. II. Col. 167.

5. *Juliani Eccles. Rom. legati in eodem synodo adversus Dioscorum. Mihi quidem lacrymarum fontes distillant, & tenet linguam ad explanationem communis compassio. Sed quoniam præter meum votum Dioscorus magnæ Alexandrinæ civitatis Episcopus tot se ipsum per inobedientiam criminibus monstravit obnoxium, accusatus a diversis in multis delictis, & TERTIO vocatus regulariter occurrere minime voluit, debilitate conscientiæ tentus, dolens & gemens dico alienum eum esse ab Episcopatus dignitate & omni sacerdotali ministerio.* Ibid. Col. 347.

sed hæc pluraque statim sequentibus magis dilucidabuntur.

(*g*) Nimirum ut adsit,

1. Delictum *gravius*, Can. 41. XI. q. 3. c. 8. 42. XI. q. 8. c. 27. XXXIII. q. 4. C. 3. de solut. Augustin. libr. de fid. & oper. c. 26.

2. *Publicum*, Can. 19. II. q. 1. C. 48. de sent. Excom.

3. *Legitime probatum*, Can. 11. 18. II. q. 1. ubi referuntur hæc peremtoria *Augustini* verba. *Nos vero quemquam a communione prohibere non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum mortalis sit, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive seculari sive Ecclesiastico judicio nominatum, atque* CONVICTUM. Hom. 50. de pœnit.

4. *Contumacia* de qua, ut constet, ipse Christus tres jusserat præmitti monitiones. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum,* EN! MONITIO PRIMA. *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* EN! MONITIO ALTERA. *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* EN! MONITIO TERTIA & post hanc demum tertiam monitionem, scilicet, *si Ecclesiam non audierit*, non post unam monitionem a *Petro* factam; *sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

Quæ omnia a veteribus observata esse, jam ex eorundem monumentis nunc ante not. f. relatis colligi potuerat. Ignotæ profecto tunc tem-

temporis erant excommunicationes *latæ sententiæ*, quas scilicet recentiore praxi ita latas deprehendimus, ut ejusdem transgressor ipso facto sine sententia judicis a fidelium cœtu rescindatur. Ajunt earundem defensores jam ipsam legem subire vicem monitionis competentis. Sed qua quæso ratione salvis iisdem, quas Christus repetitas exigit monitiones, salvis Can. Apost. 73. C. V. XVI. q. 7. atque salva veteris Ecclesiæ praxi hoc ipsum asseri potest? qua quæso ratione *quivis* ejusmodi legis transgressor ut *contumax* & *desperatus* peccator haberi; & a fidelium cœtu rescindi meretur, aut mereri vel potest, dum ad custodiam legis requiritur cognitio viva, hujus generis autem excommunicationes tantæ sunt numero, ut nequidem Canonum interpretes cunctas enarrare audeant, atque adeo multo magis sine culpa alii plurimas possint ignorare.

Sed addamus statim hoc eodem loco, quo veterem Ecclesiam de Excommunicationis justitia solicitam contemplamur, quid eadem de excommunicationibus injustis senserit. Habemus sane clarissimas sententias.

1. *Augustini. Quid obest homini Christiano, quod in illa tabula non velit eum recitare humana ignorantia, si eum de libro viventium non delet iniqua conscientia?* Can. 50. XI. q. 3.

2. *Hieronymi. Apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæritur.* Matth. Cap. 16.

3. *Gelasii P. Cui est illata sententia, deponat errorem & vacua erit. Sed si injusta est, tanto eam curare non debet, quanto apud Deum & Ecclesiam ejus neminem potest iniqua gravare sententia. Ita ergo ea se non absolvi desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum.* Can. 46. XI. q. 3.

4. *Innocentii III. Æterni tribunal judicis illum reum non habet, quem injuste judex condemnat.* Cap. I. de sent. & Re jud. in VI.

5. *Innocentii IV. Cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis: disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat: caute provideat judex ecclesiasticus, ut in eo ferenda ostendat, se prosequi, quod corrigentis fuerit & medentis. Quisquis igitur excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, & causam excommunicationis expresse conscribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum vero hujusmodi scripturæ teneatur excommunicato tradere intra mensem, si fuerit requisitus, super qua requisitione fieri volumus publicum instrumentum, vel literas testimoniales confici, Sigillo authentico consignatas. Si quis autem Judicum hujus constitutionis temerarius extiterit violator, per mensem unum* AB INGRESSU ECCLESIÆ ET DIVINIS OFFICIIS NOVERIT SE SUSPENSUM; *Superior vero ad quem recurritur*, SENTENTIAM IPSAM SINE DIFFICULTATE RELAXANS, *latorem excommunicationis* AD EXPENSAS ET OMNE INTERESSE *condemnet*, & *alias* PUNIAT ANIMADVERSIONE CONDIGNA, *ut pœna docente discant judices, quam grave sit excommunicationum sententias sine maturitate debita fulminare.* ET HÆC EADEM IN SUSPENSIONIS ET INTERDICTI SENTENTIIS VOLUMUS OBSERVARI. *Caveant autem Ecclesiarum prælati, & judices universi, ne prædictam pœnam* SUSPENSIONIS *incurrant. Quoniam si contingeret, eos sic suspensos divina officia exequi sicut prius*, IRREGULARITATEM *non effugient juxta* CANONICAS SANCTIONES: *super qua summum Pontificem poterit dispensari*. Cap. I. de sent. Excom. in 6.

6. *S. Gregorii. Inter querelas multiplices Isidorus vir clarissimus, a fraternitate tua frustra se excommunicatum, anathematizatumque conquestus est. Quod ob quam rem factum fuerit, dum a clerico tuo, qui præsens erat, voluissemus addiscere, pro nulla alia causa nisi pro eo, quod te injuriaverat, factum innotuit. Quæ res nos vehementer affligit: quod si ita est*, NIHIL TE OSTENDIS DE CŒLESTIBUS COGITARE, SED TERRENAM TE CONVERSATIONEM HABERE SIGNIFICAS; DUM PRO VINDICTA PROPRIA (*quod sacris regulis prohibetur*) MALEDICTIONEM ANATHEMATIS INVEXISTI. *Caus. XIII, Qu. IV. C.* 27.

7. *Concil. Sardic. Si Episcopus quis forte iracundus* (QUOD ESSE NON DEBET) *adversus presbyterum sive Diaconum suum* CITO ET ASPERE *commoveatur*, & *exterminare eum de Ecclesia voluerit, providendum est, ne innocens damnetur aut perdat communionem. Concil. Sardic. c.* 17.

Horum SS. Patrum, & ipsorum Pontificum monita rectissime secutos esse dicere debemus illos, qui ob defensionem civilium suorum jurium excommunicati absolutionem non expetiere. Quod si tamen non publica & notoria esset injustitia censuræ, ea pro *foro externo* erit observanda; scilicet tam ratione scandali evitandi; quam ne subditi *temerarie ac tumide reprehensionis superbia* pastoris sui judicium contemnant, ceu, ait S. Gregorius in Homil. XXVI. in Evang. unde Can. I. XI. q. 3. collegit Gratianus; cujus igitur Canonis verba hæc: *Sententia pastoris, sive justa, sive injusta fuerit, timenda est*, ex Gregorii mente & verbis ejusdem c. 77. ibid. relatis interpretationem desiderant. Atque ex his ipsis simul intelligimus, qua ratione, *qui liber est apud Deum, ecclesiastica possit esse innodatus sententia*, cap. 28. de sentent. Excom.

(*b*) Certas pro Excommunicationis senten-

tia

tia verborum formulas antiquissimis Ecclesiæ temporibus æque, ac stylum curiæ, fuisse ignotas probabilius est. Tum scilicet, quando Anathema ab excommunicatione majore distinctam esse speciem, & quidem quoad solennitates adhibendas differre aliter, ac veteres opinabantur, etiam de figendis pro Anathemate certis verbis ac ritibus fuerant solliciti. Conf. Pontifical. Rom. sub Tit. Ord. Excomm. & Absolv. Id autem nunquam non veteres observabant, ut simul atque aliquem excommunicarent, id illico aliis significarent Ecclesiis, ne in earundem communionem per ignorantiam admitteretur.

(*i*) Adparet id, seu veterum facta, seu eorundem verba attendamus, & quidem quod facta attinet, novimus non esse excommunicatos,

1. A *Julio* & *Liberio Constantium*, quantumvis maximus hic esset Arianorum Patronus.

2. A *Liberio Julianum*.

3. A *Damaso Valentem* atrocissimum Catholicorum persecutorem.

4. A *Damaso Justinam Imperatricem* Patronam Arianismi.

5. A *Siricio Theodosium* ob notissimum illud cruentum facinus.

6. A *Leone Theodosium juniorem* Protectorem Dioscori & Concilii Ephesini II.

7. A *Simplicio* & *Felice Zenonem Imperatorem* Concilii Chalcedonensis eversorem.

8. A *Vitaliano Constantem* Heraclii Nepotem, hæreticum, fratricidam, & sacrilegum, &c.

Verba si postulas, audi,

1. *Augustinum*. *Illud non est tacendum etiam cognitos malos bonis non obesse in Ecclesia, si eos a communione prohibendi aut potestas desit, aut aliqua ratio conservandæ pacis impediat*. Epist. 164. ad Emerit. — Si vel ipsum crimen vel persona excommunicanda sociam habeat multitudinem; *Consilia separationis & inania sunt, & perniciosa atque sacrilega, quia & impia & superba sunt, & plus perturbant infirmos bonos, quam corrigant animosos malos* — — *quum vero idem morbus plurimos occupavit, nihil aliud bonis restat, quam dolor & gemitus*. L. III. contr. Epist. Parmen. c. II.

2. *Ivonem Carnotensem*. *Dispensationes rerum temporalium Regibus attributæ sunt & Basilei, id est, fundamentum populi, & caput existunt. Etsi aliquando potestate sibi concessa abutuntur, non sunt a nobis graviter exasperandi, sed ubi sacerdotum admonitionibus non acquieverint, divino judicio sunt reservandi, ubi tanto districtius sunt puniendi, quanto minus fuerint divinis admonitionibus obnoxii.*

Hæc si consideres, & præcipue, si in tuum admittas animum, veluti a veteribus excommunicationes summorum Principum cum fructu communis Ecclesiæ Boni fuer omissæ, ita per latas recentioribus seculi ejusmodi censuras non alium, nisi quod Ecclesiæ ipsius ac Rerumpublicarum pax fuerat turbata, effectum prodiisse. Si addas porro, quod Concil. Trid. sess. XXV. c. 3. de Reform. ita edixit: *Quamvis excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen magnaque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temere & levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari, & perniciem potius parere, quam salutem*, absque dubio concludes, summos Principes quidem *absolute*, non autem in *hypothesi* ista, quam nunquam non veteres præ oculis habuere, salvis eorum monitis, salvo antiquorum Canonum spiritu posse excommunicari. Non objice ab Innocentio I. Arcadium, ab Ambrosio Theodosium esse excommunicatos. Excommunicationem Arcadii post Panvinium eum Bossueto eruditi omnes commentitiam habent. Ambrosius autem ab ingressu Ecclesiæ prohibuit Imperatorem ejusmodi, qui peccata sua confessus, dolens, ac datum scandalum expiaturus pœnitentiæ Ambrosii arbitrio determinandæ ultro sese subjecit. Objice potius per me licet exemplum Gregorii VII. sed perperde simul non nostra, sed Cleri Leodiensis verba: *Hildebrandus Papa auctor est hujus novelli schismatis, & primus levavit sacerdotalem lanceam contra diadema regni*, in Epist. advers. Paschalem P. II. & confer ea, quæ Doctissimus Pereira scripsit, tam in Dissertatione historica, & theologica de gestis ac scriptis Gregorii VII. adversus Henricum IV. Imp. quam in doctrina antiquæ Ecclesiæ de suprema Imperantium civilium etiam in personas ecclesiasticas potestate.

(*k*) Adversus injustas censuras Synodus Nicæna cap. 5. tam clericis quam laicis recursus viam ad Synodum provincialem aperuit, quin multis circa *interponendam*, *introducendam*, & *prosequendam* adpellationem formalitatibus multo post tempore ex civili jure mutuatis tum quidem opus esset. Præterea quantum veteres etiam hac in parte Imperantium civilium adtenderint auctoritatem, satis puto innotescit ex hoc Concilii Tolerani XII. Can. 3. *Si quos culpatorum regia potestas aut in gratiam benignitatis receperit, aut mensæ suæ participes effecerit, hos etiam sacerdotum & populorum conventus suscipere in ecclesiastica communione debebit, ut quod principalis pietas recipit, nec a sacerdotibus Dei alienum habeatur.*

* Sed & pro coronide hic advertas velim, ex-

excommunicationes quidem in subditos fideles latas, uti deduximus, tantum fuisse duplicis generis; attamen deprehendi subinde apud veteres excommunicationem alio longe sensu inter æquales, imo adversus superiores usitatam. Ita scilicet cujusdam Episcopi aliam doctrinam voventis literas communionis non recipiebat Episcopus alter. Ita ob eandem causam ex populo subinde unus proprio motu non communicabat cum altero. Ita denique ipsum suum Episcopum fortasse de hæresi, aliisque suspectum plebs sponte sua fugiebat. Quod quidem ob abusus Synodo Œcum. VIII. prohibitum fuerat. Ista sane animadversio eo confert, ne quotiescunque excommunicationis vocem in veterum Canonibus & scriptis legimus, cum Canonistis medii ævi inde censuram ecclesiasticam proprie talem exsculpamus.

Conf. Cl. de Riegger L. V. Decret. §. 570. usque 591. & Diss. de pœnit. & pœn. Eccles. §. 44. usq. 69.

§. 481. Occurrunt quidem apud veteres etiam aliæ sub aliis nominibus pœnæ ecclesiasticæ, veluti I. Suspensio (*a*), II. Irregularitas ex delicto (*b*), III. Depositio (*c*), IV. Degradatio (*d*), V. Detrusio in monasterium (*e*), VI. Exilium, seu potius ex loco delicti in alium recessus (*f*). Verum quemadmodum nullum quondam inter *censuras* & *vindicativas* pœnas agnitum erat discrimen (*g*) ita etiam hæc omnia sub eodem cum excommunicatione pœnarum ecclesiasticarum genere comprehensa, neque distinguebantur vindicta (*h*), neque in illius, ad quem gladius temporalis pertinet, jurisdictionem offendebant (*i*).

(*a*) *Suspensio* etiam olim erat pœna clericis tantum propria, qua iidem pro modo culpæ a functionibus vi ecclesiastici sui muneris sibi competentibus prohibebantur. Quantumvis autem, ut mox dicemus, a depositione differebat effectu, non tamen de illa aliter ac reliquis ecclesiasticis pœnis differebant veteres, neque illam a potestate clavium magis quam pœnarum Ecclesiasticarum inflictionem repetebant. Conf. Van-Espen P. III. Tit. XI. C. XI. & Tractat. de Censur. Eccles. Cap. X. Ceterum legimus etiam in veterum Canonibus subinde *de reductione clericorum ad communionem peregrinam*. Quo nil aliud sibi volunt hi canones, quam, quosdam clericos, usque dum condigna pœnitentia officium suum recuperassent, habitos fuisse ceu illos peregrinos, qui absque *formatis & commendatitiis literis* advenientes tamdiu ad sacrorum communionem non admittebantur, donec non ab eadem Ecclesia, unde venerant, procuratæ hujus generis litteræ eos communione dignos esse demonstrassent.

(*b*) Fundatur *irregularitas ex delicto* in Epistolis compluribus Pauli, qui scilicet clericos *irreprehensibiles & sine crimine esse debere* aperte scribit ad Tit. 1. 7. ad Tim. II. Atque adeo irregularitas hujusmodi veteribus erat POENA CANONICA *privans jure ecclesiasticos ordines suscipiendi aut susceptos exercendi*. Is proinde loquendi modus, *quod sit impedimentum canonicum*, quantumvis a Scholasticis civitate donatus, proprie tantum ad irregularitatem ex defectu provenientem quadrat. Duo autem quoad irregularitatem ex delicto ex veterum Canonibus observamus. 1. Eam non in publica tantum, sed etiam occulta crimina fuisse statutam. 2. Crimen ejusmodi semel patratum sufficisse, ut etiam peracta dein pœnitentia aditus ad suscipiendos ordines vel susceptorum exercitium maneret præclusus, nisi magna Ecclesiæ utilitas, aut necessitas contrarium expostularet. Can. 68. Concil. Carthag. IV. Can. 2. Concil. Tolet. I. Hinc eorum, qui a Gratiano referuntur Canones 14. 16. 28. Dist. 50., sublesta fides ab eruditis animadverti, & illa ab eodem Gratiano ideo inventa inter crimina publica & privata distinctio. Can. 32. & 34. ibid. juste reprobari potuit. Ceterum irregularitatis casus jam supra retuli §. 286.

(*c*) *Depositio* medium erat inter *suspensionem* & *degradationem*. Naturale enim depositioni erat, ut sit perpetua, non item suspensioni; & quantumvis etiam hæc perpetua esse poterat, ea tamen (sicuti saltem spes remissionis erat) relaxata; beneficii collatione nova haudquaquam fuerat opus, veluti in depositione. In primitiva quidem Ecclesia Clericus semel depositus vix unquam ad functiones clericales restituebatur. Conf. Cl. Van-Espen in Schol. ad Can. XIII. Apost.

(*d*) Non quidem *degradatio*, si vocabulum spectes, sed tamen res eadem nomine *reductionis ad communionem laicam* in antiquis canonibus deprehenditur. Intelligebant nempe non minus veteres hoc nomine pœnam Ecclesiasticam, qua Clericus non tantum sui muneris & functionum potestate, sed ipso etiam statu & dignitate clericali ejusdemque privilegiis exutus ad simplicem laicorum conditionem absque omni restitutionis spe reducebatur. Invenies hanc pœnam quoque nonnunquam significari nomine *excommunicationis Ecclesiasticæ*. Quo id confirmatur, quod supra præmisi: scilicet, vocem *excommunicationis* olim promiscue pro cujuscumque communionis denegatione esse acceptam. Communione ecclesiastica ita privatus non facile simul excommunicatione stricte tali puniebatur, nisi atrociora crimina cum

men-

mentis obstinatione accessissent. Fiebat autem degradatio antiquissimis temporibus tantum ab Episcopo; Concil. Nicaen. Can. 5. & in secunda demum instantia a Synodo provinciali; quam vero ob causas singulorum celebrare cum difficile esset, dein pro examinanda causa Episcopi Episcopos duodecim alios; obtutu Presbyteri Episcopos sex; obtutu Diaconi Episcopos numero tres ceu judices constitui jubet. Cap. 61. XI. q. 3. a quo eodem Canone non nisi secundam instantiam respici, non dicere non poteris, si consulueris Can. 61. XI. q. 3. Ejusmodi autem degradati subinde *curiae* seu societati suae civitatis servire cogebantur, veluti habet Novell. 5. C. 6. & Novell. 123. Cap. 14. quarum Novellarum expertes quod illam antiquorum Canonum phrasim *curiae tradi* non recte & intelligant & interpretentur, haudquaquam mirum est, dum ob antiquitatum *Ecclesiasticarum & civilium* ignorantiam multo pluribus explanationum monstris sua commentariorum volumina repleverint.

(*e*) Quod *detrusionem in monasteria* adtinet, tria, quae in vetustis canonibus expressa sunt, haudquaquam negligas velim. 1. Eam tum temporis tantum adversus eos, qui ob gravia crimina depositi, aut degradati curiae non tradebantur, vel ibidem veniam accepere, fuisse adhibitam Can. 7. dist. 50. 2. Nullatenus in vindictam & carceris loco; utpote quod utrumque genuino Ecclesiae spiritui repugnat, sed tantummodo, ut opportunus illis poenitentiae locus suppeditaretur, & ne perversi ex ipsa depositionis poena sibi suae perversionis lucrum & jam majori cum licentia pessime vivendi occasionem captarent; quemadmodum commonstrant verba Can. 7. dist. 81. *Providentia Episcopi bene proviso loco constituatur, ubi peccata lugeat, & ulterius non committat.* 3. Nulla externa coactione adhibita, adeo, ut *si qui amisso gradu seculariter vivere voluerint, & poenitentiam agere neglexerint*, ex parte Ecclesiae nil aliud, quam AB EJUSDEM COMMUNIONE SEPARATIONEM fuerint experti. C. 8. ibid. Scilicet eatenus tantum haec poena etiam antiquis Canonibus vindicativa dici potuisset, & hodiedum dici posset, quatenus non ex ipsis Canonibus & potestate Ecclesiastica proprie tali, sed & ex lege quadam civili & jussu summorum Imperantium descendit. Ita Justinianus statuit: *Reverendissimis autem Presbyteris aut Diaconis etiam si inventi fuerint pro pecuniaria causa falsum perhibuisse testimonium: sufficiat pro verberibus, tribus annis separari a sacro ministerio, & monasteriis tradi. Pro criminalibus autem causis, si falsum testimonium dixerint; Clero nudatos, legitimis subdi poenis praecipimus: reliquos autem omnes in aliis etiam ecclesiasticis ordinibus constitutos, si falsum testimonium cujuslibet causae, sive pecuniariae, sive criminalis dixisse convincantur, non solum ecclesiastico officio repelli, sed etiam verberibus subdi.* Nov. 123. C. 20.

(*f*) Poenam veri & civilis exilii non nisi a summo Imperante in aliquem statui posse, fatetur ipse Pontifex Coelestinus III. Cap. 10. de Jud. addens causam, quia ultra anathematis mucronem quid faciat, Ecclesia non habet. Exilium itaque ecclesiasticum, seu recessus de loco delicti in alium, partim ad praescindendam peccandi occasionem, partim facilius poenitentiam extra familiarium conspectum suscipiendi causa, partim ut lapis offensionis & scandali una cum delinquentis persona ex fidelium oculis removeatur, salvis civitatum juribus & sine externa violentia imponebatur. Atque ita intelliges C. 23. Dist. 63. Can. 9. III. q. 4. Can. 3. III. q. 5.

(*g*) *Ars illa stricta praecisequе & secundum formalitates logicas de censuris ecclesiasticis loquendi & philosophandi per undecim & amplius secula Ecclesiasticis auctoribus cognita non fuit. Ut enim praeteream Burchardum Wormatiensem Episcopum, & Ivonem Carnotensem Canonistarum suo tempore coryphaeos, in quorum collectionibus nihil ejusmodi deprehenditur; Hugonem Victorinum bis posteriorem tot scriptis celebrem, in quibus tamen nihil ejusmodi agitat: Lombardus & Gratianus . . . . . ille Theologorum, hic Canonistarum, qui annis post Ivonem quinquaginta & seculo duodecimo in decimum tertium jam inclinante per orbem christianum celeberrimi fuerunt, nihil tamen scripserunt, ex quo conjici possit; hunc de censuris praecisum & artificialem loquendi modum illis fuisse cognitum, imo de Gratiano facile demonstrari posset, illi fuisse prorsus incognitum, aut tunc velut paucis sic philosophantibus plane praeteritum. Unde etiam apud eos colligitur esse tres tantum censuras? Depositionem & degradationem eo nomine non esse censendas? Interdictum censuram esse, non autem cessationem a Divinis: Irregularitatem impedimentum esse canonicum, non censuram? Censuras ad forum externum pertinere, non ad internum, sive Sacramentum poenitentiae? Imo ubi apud eos ipsum Censurae nomen sic acceptum, & a caeteris poenis & impedimentis ecclesiasticis distinctum?* Morinus L. 6. de Sacram. Poenit. C. 25. num. 12. Espen P. III. Tit. XI. C. 3.

(*h*) Nullae profecto Ecclesiasticae poenae unquam ad *vindictam*, sed cunctae semper cum respectu ad forum internum & Sacramentale ferebantur. Hinc *Augustinus* ait, *neque a populo Dei separamus, quos* VEL DEGRADANDO *vel* EXCOMMUNICANDO *ad humiliorem* POENITENTIAE *loco redigimus*. L. post Coll. cont. Don.

Hh 2 (i) Uni-

(*i*) Universe illis *temporalium* in Ecclesia pœnarum patronis, apud quos unum alterumve Canonis vocabulum ita, prouti in oculos mentemque semel admisere, præ omnibus certissimis principiis & evidentissimis contrariis testimoniis valet, & qui ex ipsissimis ejusmodi Canonum antiquorum vocabulis temporales pœnas continentibus non melius quam has temporales pœnas Ecclesiæ adjudicando sese extricare queunt, his subveniendum est observationibus:

1. Pœnas haudquaquam omnes, quæ in Canonibus referuntur, propterea etiam esse Canonicas: inserebantur scilicet canonibus antiquis, etiam illæ ordinationes, quæ a potestate civili provenere, & vel ideo, quia inde provenere, cumprimis urgebantur, juxta illud Gelasii P. *ad Anastasium Imperat.* Epist. 8. *ad ordinem disciplinæ publicæ cognoscentes imperium tibi collatum legibus tuis parent ipsi quoque Religionis Antistites*.

2. Eleemosynarum Largitionem in pœnitentiæ foro injunctam cum pœnis pecuniariis ad Tribunalia Ecclesiastica sub comminatione coactionis externæ recentiore ætate solvendis non esse confundendam.

3. Imposita quidem fuisse etiam antiquitus sæpe verbera inferiorum ordinum clericis. Attamen non ab Ecclesiæ Rectoribus qua talibus & virtute potestatis Ecclesiasticæ, sed eatenus, quatenus aut domi suæ aut in seminariis aut scholis ejusmodi clericorum mores corrigendos, & disciplinam curandam habebant, veluti hodiedum ejusmodi verbera a moderatoribus infligi posse quilibet admittit, quin, si sani ratiocinii sit, propterea, quia moderator persona Ecclesiastica est, hæc verbera ideo pœnam Ecclesiasticam esse defendat. Conf. Clariss. de Riegger Lib. V. Decret. §. 605. usque 624.

§. 482. Verum multa in istis omnibus recentior ætas variavit. Præterquam enim quod I. non auditam antea inter *censuras* & *pœnas vindicativas* formavit differentiam (*a*), II. ipsarum censurarum novas *divisiones* (*b*) novasque III. *species*, veluti *Anathema*, secus ac olim distinctum (*c*) ab *excommunicatione majore*, (*d*) & *excommunicationem minorem* cum illa antiqua pariter non prorsus concordantem, (*e*) porro *interdictum* (*f*) & *suspensionis censuram* a suspensionis pœna diversam, (*g*) denique iterum iterumque nova tam IV. circa ferendarum censurarum *jus*, (*h*) quam V. circa *formam* (*i*), & VI. *effectum* (*k*) nec non VII. quoad potestatem ab iisdem *absolvendi* (*l*) copiose invexit.

(*a*) CENSURA videlicet nunc dici debet *pœna spiritualis, quæ privat* USU *quorumdam bonorum spiritualium, & ad* REI CORRECTIONEM *est imposita*. PŒNA ECCLESIASTICA *autem stricte talis privatio bonorum spiritualium in criminis punitionem &* VINDICTAM *directe inflicta*. Sed quodnam quæso contra veterem praxim hujus distinctionis sufficiens fundamentum? Sufficiens certo scholasticis fuit cap. 20. de V.S. ubi Innocentius III. respondit: *Quod per Censuram non solum Interdicti, sed & suspensionis & Excommunicationis sententia valeat intelligi*, atque illico ad determinandas accurate differentias sese obligatos esse existimarunt. Et quandoquidem tunc temporis nil alio opus erat, quam vocabulis differentibus, etsi non differret res ipsa, hinc facillimum illi erat afferere:

Censuræ.	*Pœnæ.*
1. privant hominem tantum usu bonorum spiritualium *communium*.	Non modo usu, sed potestate etiam & facultate.
2. ad *tempus* ut tolli debeant, quamprimum reus resipiscit.	Perpetuæ ex sua natura.
3. unice intendunt emendationem & correctionem delinquentis.	Directe & primario intendunt vindictam, seu criminis punitionem.

Verum novimus Ecclesiam nunquam directe primario vindictam, sed semper emendationem delinquentis & exemplum alios absterrens intendere posse ac debere. Porro falsissimum est censuras tantum semper ad tempus ferri, dum quibusdam in casibus etiam ejusmodi, qui pœnitentia resipiscebant, tamen neque in articulo mortis externa pax & communio a veteribus concedebatur. Et num quæso hanc illamve pœnam ideo, quia non eosdem cum aliis effectus habet, a pœnis stricte talibus propterea eximere oportet. Ut autem concinnam, qua censuras explanant, definitionem non taceamus, scito, hanc esse: quod censura sit *pœna spiritualis medicinalis, per quam homini baptizato delinquenti ac contumaci per ecclesiasticam potestatem quorumdam bonorum spiritualium usus aufertur, donec a contumacia resipiscat*. Præter alia cumprimis verba hæc *baptizato homini* superflue opinor dicuntur cuivis. Quis enim de iis, qui in Ecclesia non sunt, num de hac ejici queant, quæstionem instituet? Ad illud quorumdam quæsitum, num

in mortuos ferri queat excommunicatio, in promptu habemus responsum ex Can. 1. 2. 4. XXIV. q. 2. quos supra in indulgentiarum materia jam in medium protuli, & quibus non obstat c. 28. de sent. Excomm. ubi tantum post mortem tollitur prohibitio sepulturæ, & defunctus in pœnitentia decessisse declaratur. Sic quoque multos post mortem in veteri Ecclesia ita ligatos esse intelligere debemus, ut quia absque pœnitentiæ indiciis ex hac vita migrarunt, sepultura & publicæ orationes ipsis sint denegatæ.

(*b*) Dividi modo debet censura in eam, quæ infertur,

a jure hæc est	& eam, quæ *ab homine* hæc
Vel *latæ sententiæ*, quæ ipso facto incurritur.	Vel alicui *certæ personæ* in *specie* infligitur.
Vel *ferendæ sententiæ*, quæ demum a judice ecclesiastico ex præscripto tamen juris infligitur.	Vel per *generalem* sententiam, indeterminate profertur.

* Introductæ sunt Excommunicationes latæ sententiæ per *librum sextum Decretalium*, in quo deprehenduntur 32. casus ejusmodi Excommunicationis. Conf. Gloss. in cap. 22. de sentent. in VI. In *Clementinis* numerantur 50. Conf. Gloss. in cap. 1. Clem. eodem. Reliquarum, quæ infinitæ sunt, sufficit nosse fontes, veluti Extravagantes, Bullam Cœnæ, Constitutiones Synodales, Visitationes & Renovationes Regularium, & tot Bullas, Rescriptaque Pontificum.

(*c*) Excommunicatio hodie generatim definitur, *quod sit Censura Ecclesiastica, per quam homo christianus a communione Ecclesiæ separatur*. Id si fiat solenniter, tum ANATHEMA compellant. Ipsam autem solennitatem describit nobis Pontificale Rom. his verbis: *Quando anathema, id est, solennis Excommunicatio pro gravioribus causis fieri debet, Pontifex paratus amictu, stola, pluviali violaceo, mitra simplici assistentibus sibi presbyteris duodecim superpelliceis indutis, & tam ipso, quam presbyteris candelas ardentes in manibus tenentibus sedet super faldistorium ante Altare majus, aut alio loco publico, ubi magis sibi placebit; & ibi pronunciat, & profert anathema*. Cujus hæc sunt formalia: *Eum cum universis complicibus fautoribusque suis judicio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & Beati Petri Principis Apostolorum, & omnium Sanctorum, nec non & mediocritatis nostræ auctoritate, & potestate ligandi & solvendi in cœlo & in terra nobis divinitus collata, a pretiosi Corporis & Sanguinis Domini perceptione, & a societate omnium Christianorum separamus, & a limitibus S. Matris Ecclesiæ in cœlo & in terra excludimus, & excommunicatum & anathematizatum esse decernimus, & damnatum cum diabolo & angelis ejus, & omnibus reprobis in ignem æternum judicamus, donec a diaboli laqueis resipiscat, & ad emendationem & pœnitentiam redeat, & Ecclesiæ Dei, quam læsit, satisfaciat, tradentes eum Satanæ in interitum carnis, ut spiritus ejus salvus fiat in die judicii*. Post hæc tam *Pontifex*, *quam sacerdotes debent projicere in terram candelas ardentes, quas in manibus tenebant*.

(*d*) Hodierno more, secus ac olim, vox *Excommunicatio* simpliciter posita denotat Excommunicationem majorem, qua scilicet quis simpliciter a communione fidelium separatur, nisi ex verborum contextu contrarium adpareat.

(*e*) Neque *minor* jam amplius secundum illos diversos computatur gradus, sed est tantummodo *a Sacramentorum perceptione* separatio, quamvis dein per *consequentiam* ab ecclesiasticis dignitatibus & præbendis arceat, utpote dum Beneficiatus Sacramentorum percipiendorum non capax non esse debet. Ceterum & id singulare est, quod hodie hanc minorem Excommunicationem incurrat ille, qui cum excommunicato in casibus prohibitis, de quibus mox audituri sumus, scienter communicat, olim *pari* Excommunicationis pœna in ejusmodi communicantem statuta. Excipe casus duos; scilicet si quis in eodem crimine, ob quod alter excommunicatus est, aut 2. Clericus cum excommunicato a Romano Pontifice in officiis divinis sciens & sponte communicet, quibus casibus hodiedum par Excommunicationis pœna remansit, cap. 18. 29. de sent. Excom. cap. 3. ibid. in VI.

(*f*) *Interdictum* declaratur esse *separatio a jure, vel a judice facta a certis Sacramentis, & omnibus divinis officiis & ecclesiastica sepultura*, & a quibusdam breviter definitur, quod sit *Censura ecclesiastica prohibens usum quarumdam rerum sacrarum, ut fidelibus communem, qua talis est*. Conveniunt omnes in differentia

1. ab *Excommunicatione*, quæ quidem etiam separat a divinis, sed per *consequentiam* & simul denegando totam cum aliis fidelibus *communionem*, dum Interdictum salva communione tantummodo quarumdam divinarum rerum subtrahit *usum*, quatenus is non quædam cum fidelibus communicatio, sed tantummodo *usus* est.

2. a *suspensione*, quod hæc solis sit propria clericis.

Divisiones autem interdicti hæ sunt notissimæ.

IN LOCALE.	PERSONALE.
quod	quod
Directe afficit certum locum	Fertur directe in personas & pariter
& est	est,
Vel *generale*,	Vel *generale*,
quo locus a pluribus inhabitatus interdicitur, uti *regnum*, *civitas*.	afficiens integram communitatem, qua talem.
Vel *speciale*,	Vel *personale*,
quod in sacrum particularem locum v. g. *certam Ecclesiam* fertur.	afficiens personas singulares.

M I X T U M.

Quod ex utroque collectum æque directe & personas & locum respicit.

Hodie nomine Interdicti communiter generale ratione personarum venit. Obstupuit *S. Augustinus*, ubi ab Episcopo quodam contra ipsum reum & omnem domum ejus anathematis sententiam pronunciatam esse audiit, c. 1. XXIV. q. 3. Reprobarunt veteres ejusmodi pœnas, si ipsum crimen quantumvis grave sociam haberet multitudinem, Can. 32. XXXIII. qu. 4. Sed his Canonibus parum attentis inde a Gregorio VII. praxis ista integras Ecclesias, nationes, & communitates censuris mulctandi demum invaluit. Eundem, quem hodie interdictum dicimus, procedendi morem *remedium insolitum* nominavit *Ivo Carnotensis* epist. 94.

(*g*) Suspensio igitur, ut censura, definitur esse *pœna Ecclesiastica* MEDICINALIS, *qua clericus ab* USU *suæ potestatis*, *quam habet ratione* OFFICII *aut* BENEFICII, *prohibetur*. Et pariter in eo differt ab excommunicatione, quod hæc quidem non minus ejusdem potestatis usu, sed tantum per *consequentiam* privet. Ceterum suspensio abit,

1. In *localem*	*personalem*
quæ contingit	quæ
Si clericus a suis functionibus certo in loco peragendis prohibeatur.	In omnibus locis clerico potestatis Ecclesiasticæ exercitium interdicit.

2. In eam, quæ *ab officio*, & eam, quæ *a beneficio* arcet.

utraque

Totalis est vel *partialis*.

Prouti vel ab *omni* prorsus *officio* aut omnium omnino *fructuum* perceptione, vel ab *uno alterove* tantum sacri *officii* actu aut quadam solum, veluti *tertia vel quarta beneficii parte* excludit.

(*h*) Quamdiu interni externique fori distinctio in Ecclesia ignota erat, atque omnes, ceu demonstravimus, pœnæ solam respiciebant pœnitentiam, qua scilicet & delinquens ipse reduci, & in aliis delictorum aversatio excitari posset, tamdiu pœnarum ejusmodi ferendarum jus penes Episcopos, atque eos, quibus illi pœnitentiæ ministerium commisere, usque residebat. Subinde autem simul ac internum forum ab externo separatum, atque illud ad *ordinem*, hoc ad *jurisdictionem* pertinere recentioribus Doctoribus persuasum est, illico ad jus censuras ferendi haudquaquam sufficere ordinem quantumvis sacerdotalem, sed jurisdictionem externam & contentiosam prorsus requiri unanimes concludebant. Qua propter etiam hoc jus non tantum 1. summo Pontifici & 2. Episcopis electis & confirmatis, licet nondum consecratis, sed etiam 3. inferioribus judicibus sive ordinariis sive ad id delegatis, 4. Prælatis in regulares suos subditos, 5. omnibus jurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus, veluti capitulo sede vacante. 6. Quibusvis habentibus jurisdictionem, etsi iidem non sint presbyteri, statuebatur esse quæsitum. Solæ feminæ, in dignitatibus licet constitutæ, hac in parte non capaces habentur, cujus contrarium probare frustra quis adgrederetur ex C. 12. de maior. & obed. dum in ejusdem Canonis casu Abbatissæ a capella sibi subjecta, clericos eandem pro beneficio obtinentes justa de causa quidem repellendi, attamen non stricte censuras ferendi jus adjudicatur. Enimvero quisquis alius, si clericum justa de causa a suo fortasse domestico sacello & concessis hactenus fructibus removeat, num is jam etiam stricte censuram tulisse dici poterit?

(*i*) Consentiunt hodiedum ad censurarum valorem requiri

1. *In eo*, *qui eas fert*, JURISDICTIONEM, quæ quamvis alias adsit, durante tamen adpellatione suspensa esse noscitur. Qua de causa igitur non quidem censura lata per subsequentem tollitur appellationem, sed post hanc interpositam in eadem causa a judice inferiore censura infligi nequit.

2. *In ipso merito* 1. DELICTUM GRAVE & 2. PUBLICUM.

3. *In eo*, *contra quem fertur*, CONTUMACIAM.

4. *In*

4. *In modo ad censuras procedendi, si censura hominis* sit, CITATIONEM LEGITIMAM, ET TRINAM VEL BINAM SALTEM NON ABSQUE ALIQUOT DIERUM INTERVALLO MONITIONEM ut scilicet & delictum, & delinquentes contumacia necessaria non destituatur probatione. Quod si vero *censura juris* subverfetur, in ea quidem, quæ est *latæ sententiæ*, nullam desiderari monitionem; utpote cum lex ipsa sufficienter monere censeri debeat; si tamen censura juris *ferendam* desuper a Judice *sententiam* postulet, tunc quoque illum, qui pro excommunicato declarandus vel denunciandus venit, legitime prius citandum & audiendum esse admittunt, ne ejusmodi, ut ipsius *P. Engel* verbis utar, *justa defensio jure naturæ omnibus concessa* denegetur. Quid autem? *Si defensio* jure naturæ omnibus concessa denegari nequit? Quomodo, non audita defensione, quis censuram latæ sententiæ incurrisse illico dici poterit? conf. P. *Engel* L. V. Decret. Tit. XXXIX. §. 1. n. 9.

5. *in modo ipsas censuras ferendi*; HANC FORMAM; ut

1. fiat per talia verba, quæ sufficienter excommunicationem significant. Verba LATÆ SENTENTIÆ dicuntur esse ejusmodi: *excommunicamus*, *suspendimus*, *sciat se excommunicatum*, *suspensum*, *prohibemus sub excommunicatione ipso jure*, *vel ipso facto incurrenda*. Verba autem FERENDÆ SENTENTIÆ: *qui hoc fecerit*, *excommunicetur*, *ab officio suspendatur*. In verbis ambiguis veluti *prohibemus sub interminatione excommunicationis*, *sub pæna suspensionis*, *Anathema sit*; mitiorem interpretationem pro censura ferendæ sententiæ indulgent, nisi ex iis, quæ circumstant, omnino adpareat contrarium; ex quibus consequitur, in verbis *Anathematis vinculo subjaceat* C. 29. si quis suadente XVII. q. 4. haudquaquam excommunicationem latæ sententiæ contineri.

2. Feratur in scriptis, & quidem

3. Cum causæ expressione.

4. Si excommunicatus hujusmodi scripturæ exemplum requirat, ei intra mensem tradatur.

5. Super ipsa hac requisitione publicum fiat Instrumentum vel litteræ testimoniales sigillo authentico consignatæ.

6. Epistola presbyteris per parochias, etiam vicinis Episcopis, mittatur continens nomen excommunicati, & excommunicationis causam, ne quis per ignorantiam ulterius illi communicet. Conf. C. 1. de sent. Excom. in VI. & Pontif. Rom. l. c.

Speciatim Concil. Tridentinum in iis sententiis generalibus, quæ ad *finem revelationis* tum frequentius fieri solebant, requirit, ut 1. præcedant monitiones, per quas detentor vel inventor rei alienæ in vera & actuali contumacia constituatur. 2. Ut feratur *prorsus a nemine præterquam Episcopo* (quæ verba absque dubio efficiunt, ut vicario Episcopi sua ordinaria jurisdictio hac in parte nil prosit.) 3. Tantummodo in subsidium, si nulla alia via de injusto rei alienæ detentore notitiam obtinendi, remque ipsam recuperandi spes supersit. 4. Ut eadem hæc res non exigui sit momenti. De his excommunicationibus, seu monitionibus ad revelationis finem adhibitis, ait Morinus', eas esse *reliquias veteris disciplinæ*, *quæ cogebat fideles ad denuntiandum aliorum peccata occulta*, *hoc tamen una monens*, *quod antiquis modus cogendi ad revelandum multo esset acceptior & clementior*, *cum totus* (ait) *in salutem proximi vergeret*, *nullumque ex eo temporale emolumentum accusator & Judex efflagitarent*, *aut etiam sperarent*; *sed solam animæ conversionem & curationem attenderent*. Van-Espen Part. III. Tit. XI. C. VI. §. 6.

(*k*) Quæ ad intelligendos censurarum effectus passim explanant, ad hæc præcipue réduci queunt.

1. Monent communionem fidelium esse triplicem, scilicet

1.

Mere internam, qua fideles per fidem & charitatem inter se & cum Christo uniuntur adeo, ut istius unionis obtutu quilibet per privatam suam devotionem non tantum pro se ipso, sed etiam pro altero aliquid apud Deum promereri queat; a qua communione mere interna haudquaquam excommunicatum privari, sed & eundem abolita culpa peccati apud Deum pro se ipso promereri, & etiam alios pro ipso suas preces fundere posse admittunt, modo non sacrificia, collectæ, vel communia suffragia nomine Ecclesiæ pro tali excommunicato sicuti pro aliis Ecclesiæ membris habeantur.

2.

Mere externam, quæ consistit in communione fori judicialis & alio externo fidelium commercio, colloquio, & convictu, a quo excommunicatum esse exclusum hoc notissimo decantant versiculo:

Os, *orare*, *vale*, *communio*, *mensa negatur*.

Ut adeo inter fideles & excommunicatum omnis cessaret *humana*, *politica*, & *civilis communio vel societas*, *quæ fit per verba*, *signa*, *litteras*, *commercia*, *cohabitationem*, *vel amicitiæ signa*, *uti amplexus*, *vel salutationes*, sunt verba P. Engel. Sed jam pridem hac in parte saltem aliquas exceptiones sana ratio obtinuit; illas scilicet, quas priori versiculo in versiculo alio opposuere;

Utile, *lex*, *humile*, *res ignorata*, *necesse*.

Rem

Rem omnem vero *ad evitanda scandala & multa pericula*, *subveniendumque conscientiis timoratis* denique Concilium Constantiense sub Martino V. (etsi in actis Concilii ipsius nil deprendatur) ita definisse dicitur, ut prohibitio non communicandi cum excommunicato ex parte fidelium innocentum generaliter sublata sit exceptis duobus casibus, scilicet 1. si quispiam publice fuerit a suo Judice Ecclesiastico tanquam excommunicatus denunciatus, aut si 2. *ob sacrilegas manus clerico injectas sententiam latam a canone adeo notorie constiterit incidisse*, *ut factum non possit aliqua tergiversatione celari*, *neque alio juris suffragio excusari*; *licet denuntiatus non fuerit*. Quæ ipsa notorietas cum ex multis circumstantiis dependeat, ante examinata per judicem causæ merita vix unquam aderit, ac proin percussor Clerici etiam vix unquam poterit illico tanquam vitandus haberi. Ceterum inde prodiit excommunicatorum *toleratorum & vitandorum* distinctio, quam tamen ita intelligere debemus, ut etiamnum & illæ superius memoratæ circa devitationem exceptiones obtineant, & generatim Jus naturæ, gentium, ac civile, cum Religio civitatis saluti nocere nequeat, certum necessariarum exceptionum numerum non definiri, sed quamlibet pro re nata facile colligi sinat.

3.

Mixtam, *quæ in exterioribus actionibus vel ceremoniis consistens interiorem ac spiritualem fructum ex propria institutione continet*: *quo spectat usus tam activus quam passivus*, *id est*, *administratio & perceptio Sacramentorum*, *Ecclesiæ suffragia*, *quæ in sacrificio aliisque publicis officiis ad Deum pro universa Ecclesia funduntur*, *item satisfactiones Christi & Sanctorum*, *quatenus ab Ecclesia per indulgentias fidelibus adplicantur*. Mera denuo verba P. Engel explanantia id omne, quo tanquam ad communionem mixtam pertinente excommunicatus privatur. Eadem puto, si non plura, paucis diximus, dum supra excommunicatum iis, quæ ipsi ceu membro cætus & corporis nostræ Ecclesiæ competebant, proprie privari enunciavimus.

2. Effectum excommunicationis minoris tantummodo esse eum, ut a passivo privet Sacramentorum usu, nisi quod per *consequentiam* hac censura ligatus ad aliquam dignitatem vel Ecclesiasticam præbendam eligi & assumi nequeat.

3. In suspensione ab *officio* non includi suspensionem a *beneficio*; nec viciffim, nisi suspensio esset perpetua, vel potius in effectu depositio, cum beneficium nempe propter officium detur; imo nec eum, qui suspenditur ab ordine, etiam a jurisdictione illa, quam ut judex exercet, suspensum esse censeri; quemadmodum e converso a jurisdictione suspensus haudquaquam ab iis prohibetur, quæ mere sunt ordinis. Secus si quis simpliciter ab officio suspendatur; hac enim suspensione profecto tam ordinis quam jurisdictionis comprehenditur exercitium.

4. In interdicto *personali generali* Ecclesias in tali loco existentes non esse interdictas, atque adeo in eas ad divina officia admitti posse peregrinos, viatores, aliosque etiam habitatores; qui aut interdictæ communitatis non sunt membra, aut subinde per domicilii mutationem aliove modo talia esse cessarunt, dummodo occlusis janüis aut quacumque demum ratione ii, qui interdicti sunt, ab his divinis officiis arceantur.

5. Interdicto *personali*, *quamvis generali* affectos, non posse etiam singulos vel in loco proprio vel in alieno divina audire.

6. Interdictum autem *locale generale* non impedire, quominus ii, qui extra culpam & extra proximam æque, ac remotam interdicti hujus causam sunt, ultra indictum locum alibi divinis interesse queant.

7. Universe suspensiones ac interdicta interpretationis esse strictissimæ.

8. Dum initio in omnibus Ecclesiis interdicto subjectis nulla plane divina haberi poterant, dein tamen a diversis Pontificibus diversa esse adhibita temperamenta, scilicet circa baptismum & confirmationem parvulorum, pœnitentiam morientium & peregrinorum, sacrum viaticum iisdem subministrandum, prædicandum Dei verbum; porro regulares in indultis accepisse, ne interdicto generali etiam ipsi involuti intelligerentur, atque adeo, ut suis in Ecclesiis divina officia, clausis quidem janüis & sine cantu, ac campanæ pulsu peragere queant; denique statutum esse a Bonifacio VIII., *ut singulis diebus in Ecclesiis & monasteriis Missæ celebrentur*, *& alia dicantur divina officia*, *sicut prius*: *submissa tamen voce*, *& janüis clausis*, *excommunicatis & interdictis exclusis*, *& campanis etiam non pulsatis . . . In festivitatibus vero Natalis Domini*, *Paschæ*, *ac Pentecostes*, *& Assumtionis Virginis gloriosæ*, *campanæ pulsentur*, *& janüis apertis alta voce divina officia solemniter celebrentur*, *excommunicatis prorsus exclusis*, *sed interdictis admissis*. Quod idem privilegium habetur *in festo Corporis Christi & per totam octavam* ex constitutione MARTINI V. INEFFABILE, & EUGENII IV. Excellentissimum. Conf. Cap. 11. de sponf. C. 11. de pœnit. C. 43. de sent. Excom. C. 19. 24. de sent. Excom. in VI.

9. Clericos, si personaliter interdicti vel in loco interdicto celebrent, aut alium sui ordinis exerceant actum, incurrere irregularitatem summo Pontifici reservatam. Illos autem, a qui-

quibus Clerici ad id compelluntur, in reservatam non minus summo Pontifici incidere excommunicationem.

10. Excommunicationem quoque (quamvis quidem Pontifici non reservatam) manere tam eos, qui *interdictos in loco sacro* vel alios *in loco interdicto* præsumpserint sepelire, quam omnes, quantumvis alias sint exemti, qui interdictum a Pontifice aut etiam tantummodo ab Ordinariis latum, interdictos ad divina officia admittendo, violarint.

* Sed cave, *cessationem a divinis*, cum interdicto confundas. Illa siquidem non censura est, neque locum aut personas immediate afficit. Ad ostendendam solum ob atrociora fidelium crimina suam tristitiam subinde Ecclesia a divinis officiis desistere consuevit. Cap. 18. de Sent. Exc. in VI. Ceterum non præterire possum argumenta, quibus P. Engel interdictum generale, etsi innocentes tangat, non obstante supra allato veterum monito vindicatum esse arbitratur. I. Præter Canones provocat ad L. 5. §. 1. Cod. de Lege Jul. Maj. ubi filii perduellium, etsi non nocentes, damnum ex patris patiuntur supplicio. II. Ad exemplum justi belli, in quo multi utique pereunt innocentes. III. Ad hujus medii necessitatem; *quia* INCERTI SUNT CULPABILES, *& si in genere ferretur excommunicatio contra singulos, qui fuerint culpabiles, plerique contemnerent talem censuram, quia* NON CREDERENT SE CULPABILES, *vel diversas excusationes in peccatis quærerent; vel quia* RECTORES ET POTENTES, *qui fortassis non curarent excommunicationem suæ personæ, debent magis curare interdictum generale, ut* POPULUS *propter eorum culpam interdicto affectus contra eos* EXASPERETUR. Enimvero ademta patri perduelli bonorum substantia nil hoc ipso consequi potest ad filios, quibus simul, ne ob irrogatam suo patri pœnam, ceu terrent vestigia, de vindicta cogitent, hujus aliquando sumendæ voluntas, atque vires ita adimuntur. Et quid denique si hac ratione crimen, quod externam civitatis salutem adeo lædit, is VINDICET, qui *Minister Dei & vindex* in IRAM est. Num autem, quia huic illive nocenti spiritualia quædam bona adimenda sunt, etiam innocens ego meis quoque spiritualibus bonis, quæ proprio, & haudquaquam *ab illo nocente in me derivato jure* possideo, sum spoliandus? num eadem hic ejusdem consequentiæ ratio? Num pœnas spirituales generatim in quemcunque nocentem, latas illi, qui innocentes sunt, vindicabunt? Num denique Ecclesia vindex in iram? *Exemplum justi belli* iteratum est testimonium, quantos in errores impingat is, qui aliarum juris partium expers Canonici Juris interpretationem adgreditur. Universalis juris publici notitia, quæ voluntatem singulorum subditorum a communi civitatis, seu in quem translata est, Rectoris voluntate distinctam non agnoscit, nullum etiam hostis lædentis subditum potest æstimare innocentem. Tertio loco, quæ adfert, tacuissem, si non fateretur ipse. Deum vero immortalem? Quales hæ sunt ratiocinationes! Ergone, quia inter decem unus fur certo est, incertum vero, quisnam, decem omnes laqueo perimi debent? Ergone culpabiles lato interdicto generali jam se magis, quam si *speciale* in eos latum fuisset, culpabiles agnoscent? Putarem minus, jam enim nil aliud, quam omnes, sentiunt, & se, si non noscantur, cum innocentibus puniri asserent. Exacerbabitur absque dubio, si noscantur, adversus eos universus ille interdictus populus. Concitabuntur fortasse, uti intenditur, adversus Imperantem subditi. Sed hoc ipsum anne spirituale, anne doctrina, ac exemplo Christi, Apostolorum, & primævæ Ecclesiæ fundatum medium, anne igitur hujus medii necessitas adest? *Nihil* profecto *ejusmodi causæ invenit in* CHRISTO Pilatus, etsi accusatores invalescerent dicentes: *Commovet populum*, Luc. XXIII. 5. & 14. Et denique quo motivo ad temperandum interdictorum rigorem se inductum esse fatetur ipse Bonifacius VIII. Nonne, *quia ex districtione hujusmodi statutorum excrescit indevotio populi, pullulant hæreses, & infinita pericula animarum insurgunt, ac Ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahuntur*. Cap. 24. de sent. Excom. in VI. Cui subjungit Glossa: *Audivi de quodam loco in Marchia, quod tanto tempore fletit interdictum, quod facta relaxatione homines illius loci XXX. & XL. annorum, qui nunquam audiverant Missam, deridebant Presbyteros celebrantes*.

(*l*) De absolutione a Censuris hæc habe:

1. In antiquis quidem Canonibus haudquaquam ipsum hoc verbum *absolutio* pro Censuræ relaxatione deprehenditur, sed qui emendationem suam probaverant, ad *pacem*, *veniam communionem recipi*, vel *reconciliari* dicebantur.

2. Recepta fori interni, externique distinctione demum invaluit, ut absolutio a Censuris, vel pro foro interno tantum, vel etiam pro externo concedi queat. Atque hinc si illa concedatur tantum, foro externo per id non præjudicari, & absolutum in animæ judicio adhue in externo foro accusari & puniri posse deducunt. Magis autem censurarum fini conformatum est id, quod docent alii, scilicet eum, qui a censura *latæ sententiæ* in foro conscientiæ absolvitur, dein non amplius pro foro externo esse inquietandum. Conf. Cl. Van-Espen, Tract. de Cens. c. XI. §. 2.

3. Quemadmodum quivis, qui jurisdictione (etsi non ordine) præditus est, censuras fe-

rendi potestate gaudet, ita patet ejusmodi censuras ab homine latas, ab eodem homine, aut qui huic in ordinaria jurisdictione succedit, relaxari posse.

4. Quod si absolutionem vero is ipse, qui eam tulit, aut qui in hujus jurisdictionem successit, deneget, hodie ad Metropolitam, & ab hoc ad summum Pontificem recurrere nos jubet, cap. 7. §. 3. de sent. Excom. in VI. Olim ad Synodum provincialem provocatio quidem concessa, ultra hanc autem nulla ad sedem Apostolicam Adpellatio permissa fuit. c. 5. Concil. Nicæn. Can. 124. in eod. Eccles. Afric. ap. Voell. & Justell. Tom. I. fol. 395. Sed & hodie nos contra iniquas Censuras aut iniquas absolutionis denegationes optimo, justissimoque medio, quod in recursu ad summum Principem positum est, propterea non spoliatos esse, aut spoliari potuisse jam alibi demonstravimus.

5. Quantumvis etiam censuras juris nemo tollere posset, nisi is, qui Canonem condidit, aut qui huic eidem in jurisdictione successit, ob infinitam tamen ejusmodi censurarum copiam hæc regula obtinuit, ut si conditor Canonis contentam in eo Censuram non expresse sibi reservavit relaxandam, a quovis sacerdote, qui ad excipiendas peccatorum confessiones legitime est adprobatus, absolutio fieri queat. Qua de causa etiam absolutioni sacramentali novimus præmitti solitam hanc formulam: *Absolvo te ab omni vinculo Excommunicationis, Suspensionis & Interdicti, in quantum possum, & tu indiges.*

6. Qui habet facultatem absolvendi a peccatis Papæ reservatis, hoc ipso etiam a Censuris eidem reservatis pro foro interno absolvendi facultate pollet. Neque enim, ut communis sonat regula, ullus casus Papæ reservatus est, qui censuram reservatam non adnexam habet.

7. Casus in quibus omnis cessat reservatio, sunt 1. articulus mortis, in quo omnes sacerdotes a quibusvis peccatis & censuris absolvere queunt. Concil. Trid. Sess. XIV. c. 7. de Sacram. pœnit. 2. Casus occulti quicunque. In his scilicet Episcopi delinquentes quoscunque sibi subditos in sua Diœcesi vel per se, vel per Vicarium ad id specialiter deputatum imposita salutari pœnitentia in foro conscientiæ absolvendi jus recepere. Concil. Trident. Sess. XXIV. c. 6. de Reform. 3. *Si quis pro violenta manuum injectione in Clericum, est vinculo Excommunicationis adstrictus, si habens capitales inimicitias, vel alias justas excusationes, quibus ab itinere rationaliter excusetur, ita, quod sine periculo apostolico se nequeat conspectui præsentare, licet Diœcesano Episcopo, recepto juramento, secundum morem Ecclesiæ sibi absolutionis gratiam impertiri. Sed est illi sub juramenti debito injungendum, ut quam citius opportunitatem habuerit, Romanum Pontificem adeat, mandatum Apostolicum suscepturus*, cap. 11. de sent. Excom.

8. Invaluit circa seculum IX. aut X. non minus ob censurarum frequentiam *absolutio* antiquis Canonibus incognita, quæ vocatur ad *cautelam*, atque ei, qui censuræ sibi inflictæ nullitatem & injustitiam aliquo modo probare potest, ideo conceditur, ne censuratus tanto tempore, quo usque causa plene est finita, omni commercio ecclesiastico & civili exclusus manere debeat. Denegatur tantummodo casu illo, quo *censurans* intra octo dies *manifestæ offensionis* probationem opposuerit. Etenim offensio si debita sit, quacumque incassum obstante contradictione hæc absolutio non differtur, ac unice exigitur a censurato 1. juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, 2. idonea cautio de satisfaciendo in casu, quo censura justa fuerit deprehensa. Præmittitur quoque hæc absolutio absolutioni sacramentali ad *superabundantiam*, quamvis nulla censuræ suspicio subversetur. Imo ne latens fortasse censura gratiæ concessæ impediat effectum, etiam in omnibus rescriptis, Bullis & privilegiis apostolicis de stylo Romanæ Curiæ inseritur, cap. 1. IV. q. 5. c. 40. de sent. Excom. cap. 2. de sent. Excom. in VI. c. 7. §. 2. ibid.

9. Denique & illa absolutionis species apud veteres ignorabatur, quæ *absolutio cum reincidentia, & ad reincidendum* ideo audit, quia non nisi ad determinatum tempus, aut ad certum actum, ceu ferendum testimonium datur, quo elapso aut peracto in censuram rursus incidit absolutus, c. 82. de sent. Excom. in VI.

* Certissimum est, absolutionem a censuris non minus ac ipsam censurarum inflictionem esse actum a potestate ecclesiastica dependentem, proinde censuram non ipso facto per solam tolli satisfactionem, quantumvis vinculum illud, quo peccator ligatus est, apud Deum in culpæ remissione dissolvatur, cap. 28. de sent. Excom.

§. 483. Atque ita etiam eadem ætas non tantum quoad ipsas illas, quas distinctas opinabatur *vindicativas* pœnas, scilicet I. Suspensionem & Interdictum, quatenus per modum *pœna* infliguntur (*a*), II. Irregularitatem ex delicto (*b*), III. Depositionem (*c*), IV. Degradationem (*d*), V. Detrusionem in monasterium (*e*), VI. Recessum ex loco delicti (*f*) magnam adtulit mutationem, sed etiam nec nomine quidem in antiqua Ecclesia cognitas pœnas, veluti *mulctæ pecuniariæ* (*g*), ver-

verberum (*h*), *carceris* (*i*), aliaque corpus & statum externum violenter afficientia media (*k*) introduxit (*l*).

(*a*) Tum ajunt Suspensionem & Interdictum per modum pœnæ contingere, quando in tempus certum ac determinatum, & non ad contumaciam frangendam, sed ad vindicandum delictum concipiuntur; cujus exempla Concil. Trid. Sess. XXIII. c. 8. & 10. de Reformat. exhibet.

(*b*) Juxta hodiernam nempe disciplinam quamvis publica quidem crimina pristinæ irregularitati obnoxia maneant; occulta tamen, id est, quæ *judicialiter probari* nequeunt, secus ac olim condigna pœnitentia ab omni irregularitate purgantur, nisi specialis insuper requiratur dispensatio. Concil. Trident. sess. XXIV. c. 6. de Reform.

* Jam alibi monui non ob manifesta crimina quæcunque, sed tantum ob casus jure expressos contrahi irregularitatem. Sed & id observes, ad contrahendam irregularitatem ejusmodi crimina debere esse consummata. Ceterum si delictum quidem sit consummatum, sed num id irregularitatem adnexam habeat, dubitetur, delicti reus in hoc dubio tutiorem eligere semitam, atque adeo pro irregulari se gerere, & ab ordinum susceptione, vel eorum functione abstinere debet, c. 12. de Homicid. cap. 5. de Cler. Excom. ministr.

(*c*) Conf. Concil. Trid. XIII. c. 4. de Reform. ubi edicitur, quomodo solemnis depositio & degradatio hodie peragi queat.

(*d*) Hodiernam degradationis formam vide in cap. 2. de pœnit. in VI. & Pontif. Rom. sub. Tit. Degrad.

(*e*) Videlicet id, quod olim pœnitentiæ causa & ea, quam supra probavimus, ratione fiebat, cum nomine vindictæ re ipsa dein induebat vindictam. Atque ob illas, quas recentior hæc norma non parere non potuit difficultates, etiam ejusmodi in monasteria detrusionum usus a foro recessit, nisi quod adhucdum cum antiquo ad pœnitentiam respectu sæpe Clerici in monasteria, aut se[illegible]aria ad peccatorum expiationem, & vitæ emendationem secedere jubeantur.

(*f*) Erat scilicet frequenter & Rectorum Ecclesiæ & Interpretum mens, veram relegationis & exilii pœnam a potestate ecclesiastica statui posse. Hinc etiam etiam c. 9. III. q. 5. Can. 23. Dist. 69. cap. 1. de calumn. in præjudicium civilis Imperii exponebant, atque exequebantur.

(*g*) Eodem tempore, quo forum internum in externum; pœnitentia in vindictam; & spiritualis procedendi modus in temporalem abiit, eodem tempore eleemosynæ loco mulcta pecuniaria adparuit. Frustra *Petrus Cunierius Petro Bertrando* Episcopo objecit: ejusmodi pœnas ecclesiasticæ jurisdictioni minus convenire. In promtu enim hujus erat responsum: *Ex quo licet sententiam Excommunicationis apponere, quæ est major, licet etiam apponere pœnam pecuniariam, quæ est minor.* Utinam non plura ejusdem responsa, & quidem ab Episcopis data, nobis ecclesiastici annales exhiberent. Conf. Fleury Hist. Eccles. l. 94. §. 3. 4. Tom. XIX. & Disc. VII. ad Hist. Eccl. Pœnam pecuniariam, ceu temporale medium nonnisi a civili imperio statui posse Patres Concil. Carthagin. V. agnoverunt. Harduin. Tom. I. col. 898. Cujus Concilii Canonem nobis Gratianus integrum, non vero depravatum referre debuisset. Can. 3. XXIII. q. 5. Quemadmodum autem tribunalia ecclesiastica causas quasdam civiles privilegio Principum definiendas accepere, ita etiam quatenus eodem privilegio & nomine imperantis ejusmodi pœnas civiles exercent, in hoc earumdem exercitio turbari nequeunt. Quo sensu si accipiantur Canones recentiores, & Concil. Trid. Sess. XXV. c. 3. lubentes conticescimus.

(*h*) Nova, atque *inaudita est illa prædicatio, quæ verberibus exigitur*, c. 1. Dist. 45. Conf. c. 7. & 8. ibid. & c. 25. Dist. 86. *Hinc etiam ann.* 1562. *ad conclusionem Advocati Fiscalis per Arestum Parlamenti Parisiensis edictum fuit, male & abusive judicasse officialem condemnando aliquem ad fustigationem publicam, inhibitione facta omnibus officialibus & judicibus ecclesiasticis similes pœnas imponere*. Van-Espen P. III. Tit. IX. c. 1. §. 44.

(*i*) Episcopi nunquam in veteri Ecclesia sua auctoritate carceres constituerunt. Ex indulgentia demum civili, & quidem quoad Clericos tantum, iis uti cœpere. Subinde autem illa fori interni externique distinctio, & non tantum simplex pœnitentiarum, & pœnarum, sed insuper pejor illa mediorum spiritualium ac temporalium confusio effecit, ut etiam ad Regnum Christi in hoc mundo (quod tamen propterea non *de hoc mundo* esse scire debebant) carceres proprie pertinere arbitrarentur. Cumprimis autem carcerum abusus in monasteriis contigere. Quapropter etiam Augustissima Nostra ejusmodi carceres singulari constitutione de anno 1771. eliminari & Religiosis Superioribus, ne processus tam civiles, quam criminales contra suos subditos formare attentent, sub gravissimis pœnis prohiberi jussit. Conf. P. Reiffenstuel ad Tit. de Accus. & Inquis. §. 8. & qui Monachii prodit, Anonymi libellum sub Tit. *P. P. Franciscanorum Criminalis Processus*.

(*k*) In Can. fin. dist. 35. c. 8. Dist. 45. c. 1. V. q. 1. Can. 6. XI. q. 1. c. 24. de sent. Excomm. *Pœnas corporis afflictivas, infamiæ & confisca-*

fiscationem bonorum deprehendis. Quidquod etiam pœnam mortis irrogandi facultatem a Papa judicibus ecclesiasticis concedi posse affirment; arg. cap. fin. Ne Clerici, vel Monachi in VI. Id mirum est, quod dum hæreticos judici seculari *ultimo supplicio plectendos* tradidere, irregularitatis evitandæ causa *efficacem* inseruerint intercessionem, ut judex citra mortis periculum sententiam moderetur. Magisque mirum, quod si *efficacem hanc intercessionem* judex in clementem animum admisisset, is ipse velut hæreticus fuisset condemnatus, cap. 18. de hæret. in VI. Non cogitassem sane, aut si cogitassem etiam, attamen non essem elocutus, hanc igitur intercessionem esse meram *ceremoniam*, si non id jam scripsisset Cl. Barthel Tract. de libert. Exercit. Relig. cap. XI. §. 26. Adde Durand. de Maillane dans le Dictionaire de Droit Canonique sub voce *Inquisition*.

(*l*) Conf. Cl. de Riegger L. V. Decr. §. 605. usque 624. Correctio spiritualis maxime intuitu personarum Ecclesiasticarum quomodo instituì debeat, satis exposuimus (§. 201. n. b. num. 1.) Cujus normæ violatores Gregor. in Mor. L. XXIII. cap. 7. 30. ita perstringit: *Hoc habet proprium doctrina arrogantium, ut humiliter nesciant inferre, quod docent, & recta quæ sapiunt, recte ministrare non possint. In verbis enim eorum proditur, quod cum docent, quasi in quodam sibi videntur sublimitatis culmine residere, eosque, quos docent, ut longe infra se positos veluti in imo respiciunt, quibus non consulendo loqui, sed vix dominando dignantur. Recte autem his per Prophetam Dominus dicit*: VOS AUTEM CUM AUSTERITATE IMPERABITIS EIS, ET CUM POTENTIA. *Cum austeritate enim & potentia imperant, qui in subditos suos non tranquille ratiocinando corrigere, sed aspere inflectere dominando festinent.*

FINIS TOMI QUARTI.